SUMMA THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ,

IN QUA

EX FIDEI LUMINE, S. SCRIPTURÆ Oraculis, Ecclesiæ Traditionibus, & Decretis, SS. PP. & Theologorum sententia, & rectæ rationis ductu,

RELIGIONIS CHRISTIANÆ MYSTERIA Sacramenta, Dogmata, & præcepta breviter scholasticè explicantur, & propugnantur ad mentem Doctoris Subtilis

A P. F. SEBASTIANO DUPASQUIER Min. Convent. S. Theologiæ Lectore Emerito, Doctore, ac Provinciæ Seraphici S. Bonaventuræ Exprovinciali conscripta.

TOMUS III.

De Creaturis corporalibus, maximè de homine. De summo ejus bono. De peccatis, ac virtutibus moralibus, Tract. IV. V. VI. & VII.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCVI.
Apud Joannem Manfrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

INDEX
DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM
TOMI TERTII.

TRACTATUS IV.

De creatura corporali, maximè de homine innocente, & peccatore.

TRACTATUS V.

De ultimo fine hominis, seu de summo ejus bono, & beatitudine.

TRACTATUS VI.

De peccatis.

Q.II.

TRACTATUS VII.

De virtutibus moralibus, seu Cardinalibus.

ra-

Q. I.

SUM-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS IV.

De Creatura corporali maxime de homine innocente, & peccatore.

IN superiori tractatu Deum contemplati sumus in nobilissimis suis creaturis purè spiritualibus, sc. Angelis: descendimus ad opera corporalia, quæ mundum hunc inferiorem componunt, & quæ sex dierum spatio condidit, distinxit, ornavit, seu complevit. De mundo ipso, ejusque creatione, & partibus jam diximus in Philosophia, in tractatibus de mundo, & cęlo, & elementis, & de anima. Hìc in iis, quæ ad Theologos, circa creationem, & hominem in duplici ejus statu, sc. innocentiæ, & peccati spectant, paululùm immorabimur: Brevitati tamen pro more studebimus.

DISPUTATIO PRIMA.

De creaturis materialibus in communi, à quo, & quo ordine creatæ fuerint, seu de opere sex dierum.

CIrca existentiam, & naturam rerum materialium nihil videtur addendum iis, quæ in Philosophia diximus; de illarum causa effectrice unum, aut alterum restant hìc theologicè videnda. Ideò sit

QUÆSTIO I.

An Deus sit causa efficiens creaturæ corporalis.

HÆc quæstio proponitur propter Avicennam, & quosdam alios, qui putant, Deum per se non produxisse, nisi primam aliquam Intelligentiam, hanc autem fecisse secundam, & ita successivè usque ad infimam, quæ produxit naturam corpoream. Origenes putat quidem, naturam corpoream non fuisse a Deo factam, sed non ex sua primaria intentione, sed in pœnam malorum Angelorum, quos dicit in pœnam peccati fuisse corporibus quibusdam velut carceribus alligatos. Contra utrunque sit

CONCLUSIO I.

O*Mnis natura corporalis est à Deo, & quidem ex primaria intentione*. Est communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto, [1] docente, quòd *prima causalitas respectu omnium creaturarum est necessariò in tribus Personis Divinis, & hoc respectu earum causarum quantum ad verum esse, sive quantum ad esse simpliciter*. Et alibi [2] docet, Deum esse omnium rerum creatorem, & effectorem principalem vel immediatè, & se solo, vel mediante causa secunda.

Prob. 2. ex Script. Nam in ea narrantur per partes omnium rerum corporearum genera, quæ Deus ab initio temporum creavit, ut constat ex cap. 1. & 2. Geneseos [3] *In principio creavit Deus cœlum, et terram*. Et de illo dicitur, [4] *Qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt*. Et, *creavit Deus, ut essent omnia*. Nec ex ulla authoritate Scripturæ, aut Patrum colligi potest, Angelos, aut aliam creaturam ullam hæc produxisse.

Prob. 3. ratione, quia, ut patet ex dictis in Philosophia, ex 1. hujus Theologiæ, creatio soli Deo competit, nec ulli alteri naturæ competere potest; ergo à solo Deo producta sunt corpora illa, quæ ab initio narrantur producta.

Con-

[1] *d.* 1. *q.* 1. *d.* 8. [2] 4 *d.* 1. *q.* 1.
[3] *Gen.* 1. [4] *Psal.* 103.

Confir. maximè de Angelis. Nam, ut patet ex tr. superiori, illi sunt substantiæ purè spirituales, quæ non agunt, nisi per intellectum, & voluntatem, nec producunt, nisi intellectiones, volitiones, & motus locales, quæ sunt formæ accidentales; ergo non sunt productivi rerum substantialium, saltem per se immediatè, sed per puram applicationem activorum ad passiva.

Prob. 2. p. ex Scoto [1] dicente, quòd *Deus omnia producit propter semetipsum*. Nam sicut non se respicit occasionaliter, & fortuitò, nec indirectè; ita nec quidquam facit, nisi ex vera intentione, & propter seipsum. Et, ut jam ex eodem notabamus, *est omnium effector primarius, et principalis*.

Prob. 2. ex Scriptura, quæ idem docet iisdem ferè verbis, [2] *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*. Et, ut diximus in Physica, efficit etiam omnia cum causis secundis immediatè immediatione virtutis. Item narratur in Genesi, primam omnium rerum productionem esse à Deo, & omnia habere suam bonitatem, quam in eis respiciens eas approbavit. *Vidit enim cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Hinc

Prob. 3. ratione. Nam omnes creaturæ, etiam corporeæ, habent suam perfectionem, & locum in compositione, & ornatu universi; ergo & rationem, propter quam voluerit eas Deus producere. Prob. antec. tum ex Scrip. tum ex Augustino. *Hæc omnia, quæ arte divina facta sunt, & unitatem quandam in se ostendunt, & speciem, & ordinem, seu operationem*, tum 3. quia omnia entia in se absolutè habent unitatem, veritatem, & bonitatem, ergo in se sunt volibilia à Deo, & producibilia, primariò tamen, & ultimatè in Deo ipso, & propter Deum.

Objic. 1. cont. 1. ex Script. *Didici, quòd omnia, quæ fecit Deus, perseverant in æternum*: sed res corporeæ non sic durant; ergo eas non fecit Deus. Min. patet ex Apostolo. Nam quæ videntur, temporalia sunt; sed res materiales videntur; ergo sunt temporales, & non durant in æternum, ut spirituales. Et in Philosophia diximus, materiam esse principium aliquo modo corruptionis.

[1] 4. *d*. 48. *q*. 8, *F*. 6. [2] *Pro*. 14.

Resp. dist. maj. Quæ fecit immediatè per se ipsum, durant in æternum, id. usque in finem mundi, con. maj. & neg. min. quæ fecit mediatè, sc. per causas secundas, neg. maj. & conf. Nam cœlum, & terra, seu mundus, durabit per illam æternitatem, per continuam generationum successionem. Æternitas in Scriptura sæpiùs sumitur pro diuturna duratione.

Objic. con. 2. p. Deus ab initio, & primò creaturas invisibiles fecit, & quidem æquales; ergo non debuit per se producere materiales cum tanta diversitate, & inæqualitate, sed id factum est in pœnam Angelorum peccantium.

Resp. 1. neg. ant. Nam, ut patet ex dictis, Angeli non sunt creati ante cœlos, & sunt specie, & numero plures, & inæquales.

Resp. 2. neg. conf. Nec enim diversitas, vel inæqualitas Deum dedecent, imò commendant infinitam ejus sapientiam, & potentiam, quæ in tanta diversitate, & inæqualitate mirum adeò effecit conventum, & ordinem, qui est *parium, impariumque rerum unicuique sua loca distribuens congrua dispositio.*

Objic. 2. Minus bonum fit propter majus; sed substantiæ spirituales, ut Angeli, sunt majus bonum, & materiales minus; ergo illæ sunt propter Angelos; non autem ex primaria intentione Dei.

Resp. dist. maj. Proximè, & immediatè, con. ultimatè, neg. maj. & conf. Unde creaturæ inferiores hujus mundi factæ sunt propter homines immediatè, & proximè, imò & multæ propter alias; tamen ultimatè factæ sunt propter Deum, qui est omnium finis ultimus.

CONCLUSIO II.

D*Eus non per Angelos, sed per se ipsum immediatè produxit omnes partes mundi.* Est communis contra Avicennam.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui post allatam opinionem Avicennæ illam impugnat per istas propositiones, 1. *Nullus actus accidentalis necessariò requiritur in creãte, tanquam prior necessariò ipso termino creationis*, 2. *Intellectio Angeli est sibi accidentalis* (idem est de volitione) *ergo intellectio non necessariò requiritur in Ange-*

[1] 4. *d.* 1. *q.* 1. *K.* 16. *et* 17.

Angelo præcedens substantiam creandam, 3. *Ad quodcunque producendum extra Angelum necessariò requiritur intellectio Angeli, tanquam prævia, ergo nulla substantia potest creari ab Angelo*.

Prob. 2. ex Script. cit. Nam ubique inducitur Deus ipse immediatè,& per se producens omnia, ut patebit legenti textum; ergo sine fundamento diceretur, ullam creaturam factam esse per Angelos.

Prob.3. ex eodem Scoto. Nam Angelus non agit, nisi per intellectionem, & volitionem, quæ sunt accidentia, sed nullum accidens potest esse principium, ne formale quidem, *quo*, effectivum substantiæ, ergo Angelus non potuit creare, vel producere immediatè ullam creaturam substantialem. Maj. patet ex tr. superiori. Min. prob. ex dictis in Physica. Nulla enim causa imperfectior, & ignobilior potest producere effectum nobiliorem.

Prob. 4. quia hoc fecissent per virtutem intellectivam, aut volitivam, aut motivam; sed nullum horum dici potest; ergo &c. Prob. min. 1. de volitiva, & intellectiva. Sunt enim virtutes *activæ immanenter*. 2. de motiva, quia hæc terminatur præcisè ad ubi, & totum, quod illa potest, consistit in applicatione, seu approximatione agentis ad passum. Ideo in Resurrectione universali, [1] *mittet Filius hominis Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus*, &c. ergo &c.

Objic. 1. ex Scriptura. [2] *Fide intelligimus, aptata esse secula Verbo Dei, ut ex invisibilibus*, sc. Angelis, *visibilia fierent*, sc. res materiales; ergo per Angelos factæ sunt res materiales.

Resp.neg.conseq. Neque enim nomine invisibilium intelliguntur Angeli, sed ideæ existentes in mente Dei.

Inst. Dicitur, quòd *Deus omnia in sapientia fecit*, [3] sed ordo sapientiæ est, ut inferiora faciat per superiora; ergo res materiales fecit per spirituales, seu per Angelos. Ant. patet ex August. [4]

Resp. dist. min. Per inferiora, quoad aliquam administrationem, & directionem, conc. quoad productionem, & conservationem in esse, neg. min. & conf. Nam id probat solùm præsidentiam, & custodiam in

A 3 An-

[1] *Matth.* 24. [2] *Hebr.* 11. [3] *Ps.* 103. [4] 7. *Trin.*

Angelis; & subjectionem in creaturis inferioribus ad Angelos, & superiores, non dependentiam in fieri, & conservari.

Objic. 2. A causa omnino una non est nisi unus effectus, sed Deus est omnino unus, ergo non est causa tot diversarum creaturarum.

Resp. dist. maj. A causa una in virtute, conc. à causa una in entitate, & infinita in virtute, neg. maj. & conf. Nam Deus est quidem summè unus in entitate, sed infinitè multiplex in virtute.

Hæc quæstio quoad virtutem activam Angelorum patet ex dictis tr. præcedenti, ubi docuimus, eos non posse producere ullam formam novam substantialem per se, sed solum applicando activa passivis.

QUÆSTIO II.

An Deus creaverit mundum quoad omnes partes simul, an verò sex dierum distinctorum spatio.

MOyses in creationis historia satis apertè dicit, hæc opera facta esse à Deo per sex dies distinctos, & naturales, constantes vespere, & mane. Et tamen aliqui Patres, & Theologi videntur docere, quòd omnia fecit uno temporis momento, & quòd illa dierum distinctio fuit tantùm in mente Angelorum, ut loquitur S. Aug. qui dies illos vocat *spirituales*, quia consistunt in quodam ordine cognitionis Angelicæ, per quam diversa rerum genera attingunt modò in proprio ipsarum esse, hinc dicitur *vespertina*, & *vespere diei*, modò in Verbo, seu in lumine Creatoris, & hinc dicitur *matutina*, & *mane diei*, quia cognitio rerum in proprio genere est obscurior, & quæ habetur in Verbo Divino, est clarior. Sed tamen hoc non dixit assertivè, sic, quin cum cæteris Patribus conciliari non possit de naturalium dierum senario numero. Suppono autem, utrunque fuisse Deo æquè possibile, sc. omnia simul creare, vel *successivè*, & *continuè*, vel interpolatè; de quo nullus dubitat, sed tantùm est quæstio de facto. Circa quod autem anni tempus, seu partem hæc facta sint, major est controversia.

CONCLUSIO I.

MUndus *creatus est per sex dierum naturalium tepus*. Est communis contra Philonem, qui censet, senario illo dierum numero significari mundi perfectionem, & Cajetanum, qui putat, hæc facta fuisse uno, eodemque die sexies repetito, & Procopium qui vult, illos dies designare solùm diversa rerum creatarum genera. D. Tho. videtur quasi problematicus.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui passim assignat diversis operibus Dei diversos dies, v. g. lucis creationi primum, *sicut Scriptura dicit*, *lucem factam fuisse prima die*, & alibi docet, [2] quòd in fine operum, sc. sexta die.... *faciens hominem creaturam spiritualem, & corporalem in unitate suppositi univit*..... ergo ex Scoto creatio mundi facta fuit per distinctos dies.

Prob. 2. ex Scriptura, quæ per singulos distinctos dies narrat distincta opera Dei circa mundum usque ad ejus complementum. Nam postquàm dixit, *In principio creavit Deus cælum, & terram*, & *dixitque Deus fiat lux*, *addit*, *factum est vespere, & mane dies unus*, & sic de reliquis; ergo id ita factum fuisse dicendum est, quandoquidem Scriptura historica literaliter intelligenda est, quantùm fieri potest. Id patet etiam ex illo alio loco, [3] ubi Moyses dicit sanctificandum esse Sabbatum. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit die septimo*.

Confir. Nam ex contextu Scripturę certum est, non omnia facta fuisse simul, & eodem tempore, alioqui non posset verificari, quomodò terra prius fuerit inanis, & vacua, quomodò fuerit operta aquis, quæ deinde collectæ sunt in locum unum, *ut appareret arida*, quomodò plantæ & animalia facta sint de limo terræ, & homo ipse ita formatus, & Heva ex ejus costa ipso dormiente, &c.

Prob. 3. ex SS. Patribus, qui communiter hæc ad sensum literalem explicant, ut videre est apud Interpretes. Ideò Magister dicit, hanc sententiam magis probari ab Ecclesia Catholica.

[1] 2. *d*. 13 *H*. 7. [2] *De Rer. princ. q*. 12. 4.
[3] *Exo*. 2.

Prob. denique. Nam licèt omnia, & singula potuisset Deus uno verbo, & momento producere, tamen etiam potuit successivè, & per tot plurium dierum spatia, id omninò pendebat ex ejus arbitrio; ergo quandoquidem illa nobis ita facta fuisse narrantur per Scripturā sacrā historicè digestam, & ita factum fuisse credendum est. Nam in Historicis, ut dicebamus, attenditur sensus literalis, quantùm potest sine absurdo, vel inconvenienti.

Objic. 1. Ex Scriptura ipsa colligitur, omnia facta fuisse simul. [1] *Creavit omnia simul*. Et Homo simul cum Diabolo, seu cum brutis, [2] *Ecce Behemot, quem feci tecum*. Accedit Concil. Lateran. III. [3] *Deus ab initio temporis utranque de nihilo simul condidit naturam*, &c. Et in ipso libro Genesis [4] patet, quòd eodem die fecit Dominus Cęlum, & terram, & omne virgultum agri, &c. ergo uno die fecit omnia, non successivè.

Resp. neg. conf. Nam simultas illa non est temporis, sed conditionis, quatenus sc. eodem titulo creationis omnia pendent à Deo æquali dependentia 2. eadem simultas non excludit omnem successionem temporis; est moralis, & extensa, non mathematica, & indivisibilis. 3. ea dicuntur fieri simul, quæ brevi tempore fiunt; ideò intelliguntur de simultate morali. Idem est de 2. textu. *Behemot* Deus non fecerat eodem temporis momento, quo fecit Job. Fecit quidem bestias eodem die cum homine, sed non eodem momento. Et si per Behemot intelligatur Dæmon, iste factus est 1. die, ut diximus. Sic etiam loquitur Concilium. Et nomen diei in 3. textu sumitur etiam extensè, & largè pro tempore aliquo determinato quidem, sed non indivisibili, ut cùm dicitur, *Juxta est dies perditionis*, &, *Abraham exultavit, ut videret diem meum*, id. tempus adventus mei, &c. Uno verbo, sæpe dies ponitur in singulari, pro diebus, & significat aliquam temporis moram, & durationem.

Objic. 2. Dies naturales mensurantur, & distinguuntur per circulum Solis ab ortu ad occasum intra certas horas; sed illi dies non potuerunt sic distingui; ergo non fuerunt veri dies naturales. Prob. min. Nam Sol creatus dicitur tantùm 4. die; ergo illi saltem primi

non

[1] *Eccl.* 18. [2] *Job* 42. [3] *c. fir.* [4] *Gen.* 2.

non potuerunt sic distingui. Non enim potuit moveri, & circuire, antequàm esset.

Resp. neg. maj. Non enim est necesse, ut sic distinguantur; sufficit, ut distinguantur per determinatam mensuram, & durationem aliquot horarum.

Quia ergo Deus in mundi creatione suam manifestavit potentiam, bonitatem, & sapientiam, ita placuit ei successivè illum complere per sex dies, in quibus notatur triplex status ejus, 1. *creationis*, in quo lucet omnipotentia, qua cœlum fecit plenum Angelis, & terram aquis refertam, 2. *distinctionis*, cùm 2. & 3. die divisit lucem à tenebris, diem à nocte, aquas ab aquis, mare ab arida, in quibus elucet sapientia, 3. *ornatus*, seu perfectionis, in reliquis tribus diebus, quibus replevit terram plantis, & reptilibus, & animalibus, aquas piscibus, & aerem avibus, & ornavit cęlos stellis, ostendens bonitatem. Moraliter autem docemur, nobis esse laborandum per sex dies, & 7. quiescendum in Dei obsequio.

CONCLUSIO II.

S*Ex illi dies sufficienter assignantur ad opus creationis*. Est communis.

Prob. 1. ex dictis ex Scoto, qui licèt has quæstiones non examinet in particulari, tamen hos dies sic distinctos ubique supponit, & approbat, ut patet ex locis citatis. Fateor, eum alibi recitasse opinionem D. Augustini de simultate reali creationis, & dierum distinctione penes solam cognitionem Angelicam; sed, ut notat Vulpes, sic eam opinionem retulit sine approbatione. Undè in commentario Magistri examinat quæstiones secundum distinctionem singulorum dierum.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus. Nam Moyses non plures, nec pauciores assignat dies pro singulis operibus; ergo non plures, nec pauciores sunt. Ant. patet ex textu. Prob. conf. ex Augustino. *Major est Sacræ Scripturæ authoritas, quàm cujusvis humani ingenii perspicacitas;* ergo quandoquidem sex dies assignaverit Scriptura his operibus, non plures, nec pauciores sunt fingendi.

Objic. 1. Tempus creationis, quo Deus creavit cœlum, & terram sine luce, debet esse unus dies distinctus ab eo, quo dixit Deus, *Fiat lux*; sed iste dies lucis dicitur primus; ergo fuit alius dies prior. Prob. ant. Nam quandiu fecit cœlum, & terram, *terra erat inanis, & vacua, & Spiritus Domini ferebatur super aquas*, & posteà dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux, factumque est vespere, & mane dies unus*; ergo sunt dies distincti.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam creatio cœli, & terræ fuit initium, & terminus, à quo incepit ille 1. dies. Nam *in principio* idem significat, atque *Deus primò creavit cœlum*, &c. ut mox patebit.

Porrò alia, quæ circa inceptionem, & desitionem mundi possent hìc quæri, v.g. quo anni tempore creatus fuerit, an in vere, an in æstate, vel autumno, & quandiu huc usque duraverit, &c. & alias hujusmodi quæstiones vide in Philosophia. Diximus enim, mundum fuisse creatum in æquinoctio verno, & ab annis circiter 6893. Siquidem scribimus sub initium anni 1694.

Quæres, cur ita successivè res condiderit, cùm potuerit omnia facere in uno instanti.

Resp. 1. cum Ambrosio, [1] *Utique omnia jubere fieri simul potuit Deus, sed distinctionem servare maluit, quam nos in omnibus negotiis imitaremur*, 2. ut ostenderet, quid esset proprium cuique rei, & quid haberet ex privilegio, ideòque eas primò sine ornatu creavit, tùm perfecit, & ornavit, 3. quia sic placuit, & sic melior ratio facti est voluntas facientis.

QUÆSTIO III.

De operibus 1. diei.

Quæ fecit Deus 1. die, narrantur ab initio capitis primi usque ad versiculum 5. inclusivè, nempè cœlum, & terra vacua, & sub tenebris, tum ipsa lux, quæ nomine diei notatur. Sed non conveniunt omnes, quid nominibus illis significetur. Quidam volunt, non fieri ibi mentionem alicujus operis particularis, quod factum sit illa die, sed solùm totius operis,

[1] *L. 2. d. Can. 6.*

ris, seu mundi, qui per alios dies conditus fuit, sicut in facie librorum ponitur titulus, quo per compendium notatur totum, quod in eis tractatur. Alii non conveniunt, quale cęlum hic dicatur creatum, nec quid nomine terræ significetur. Quidam enim volunt, significari materiam primam, eamque rudem, & informem, aut cum forma aliqua substantiali vaga. Denique de luce aliqua controvertuntur. Et hæc omnia hiç breviter deciduntur.

CONCLUSIO I.

COElum, & terra, & aqua verè creata sunt prima die. Est communis contra aliquos præter supradictos, qui volunt, cęlum, & terram fuisse producta ante primam diem, & extra tempus.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, cęlum Empyreum cum terra, & quoddam confusum chaos creatum esse ab initio; & id ubique supponit.

Prob. 2. ex Scriptura, quæ ponit creationem cęli, & terræ in 1. die, & alibi dicit, [2] quòd *sex diebus fecit Dominus cęlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt;* ergo intra, & non ante illos dies creatum est cęlum, & terra. De aqua autem id patet ex eadem Scriptura, in qua refertur, quòd *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; ergo jam erant aquæ. Item inter opera 2. diei narratur positum *firmamentũ in medio aquarum dividens aquas ab aquis*. Item notatur, quòd in illo instanti creationis terra *erat inanis, & vacua*; quod non diceretur, si nondum terra verè extitisset. Item dicitur, [3] *Initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cęli*. Sc. Deus, ut sapiens architectus, 1. terram velut pavimentum, & fundamentum ædificii posuit, & cęlum velut tectum.

Prob. 3. quia si facta essent ante illam diem, non posset assignari initium certum, ac determinatum mundi, nam æquè facilè dicerentur facta mille annis ante reliquas partes mundi, quàm uno momento; sed hæc absurda sunt, & contra omnes Theologos, & Patres; ergo &c. Prob. maj. Nam nullo alio ex capite potest determinari tempus creationis cęli, & ter-

[1] 2. *d.* 14. [2] *Exo.* 20. & 31.
[3] *Psal.* 101.

ræ, quàm ex illis textibus literaliter acceptis, ita ut in ipsa prima die condita fuerint.

Objic. 1. Ex omnium sententia, cęlum, & terra, seu mundus creatus fuit ante lucem; sed lux facta est 1. die; ergo & illa facta sunt ante 1. diem.

Resp. dist. maj. Ante lucem, id. in aliqua parte diei ante illam, in qua facta est lux, con. id. extra illam diem, neg. maj. & cons. Nam sicut dies illa fuit naturalis, & 24. horarum, sub initium ejus creavit Deus cęlum, & terram, quæ tunc fuit *inanis*, *& vacua*, & sub tenebris, deinde facta est lux, quæ fugavit tenebras.

Inst. Sola lux facit diem, & dies incipit à luce, & non à nocte; ergo lux ab initio 1. diei facta est, non cęlum, nec terra.

Resp. 1. neg. ant. Nam pluribus, & maximè apud Palęstinos, & Italos dies naturalis incipit computari à nocte; & hoc videtur fundari in textu ipso, in quo dicitur, *Factum est vespere, et mane dies unus*. Saltem computatur etiam apud nos à media nocte. Unde, cùm probabiliter dicamus, factum esse mundum circa æquinoctium vernum, tenebræ durarunt per sex primas horas illius diei.

Inst. 2. Non potuit computari dies, nec mensurari in illo primo opere; ergo facta sunt ante tempus. Prob. ant. Tempus computatur ex motu cęli; sed in illa creatione nondum movebatur cęlum; ergo, &c.

Resp. neg. ant. & dist. maj. prob. Ex motu cęli, quoad nos, & in præsenti, con. quoad Deum, neg. maj. & cons. Deus non eget medio, vel mensura extrinseca ad dignoscendam durationem rerum, sicut nos; & sic eam potuit revelare Moysi, qui nec aderat tunc ad mensurandum illam durationem ex motu cęli, vel alia mensura.

CONCLUSIO II.

Probabile est nomine cęli, & terræ, quæ dicuntur hodie creata, intelligi cęlos omnes, & terram cum aquis, ipsam, quæ nunc est, non autem materiam primam nudam, & informem, imò & alia elementa. Est communior, licèt probabilitate non careat illa, quæ hæc de solo Empyreo intelligit.

Quo-

Quoad Scotum non habeo, quid hìc sentiat, nisi quòd videtur [1] nomine terræ intellexisse illud chaos, quod ponitur à Theologis attigisse usque ad cœlum Empyreum, & erat materia omnium corporalium contentorum à cœlo Empyreo. Ex Augustino docet, materiam esse quidem priorem natura, quàm formam ullam, & posse divinitùs conservari sine forma ulla, sed tamen nunquam de facto fuisse sine aliqua forma; ergo non censet, quòd terra 1. die creata dici possit materia sine omni forma.

Prob. autem concl. quoad cœlos, quia Scriptura non determinat unum cœlum præ alio, nec Empyreum potiùs, quàm alios, & eadem est ratio de omnibus; ergo nihil prohibet, hoc intelligi de toto cœlo, seu de omnibus cœlis.

Prob. 2. quia cum Moyses hæc diceret, & scriberet ad populum valdè rudem, non ita obscurè locutus fuisset, si de cœlo Empyreo voluisset intelligi, de quo pauci quidquam noverant, vel audiverant; dum ergo utitur simpliciter nomine cœli, debet intelligi generaliter de omnibus illis supernis orbibus, sicut cùm dicitur, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore*, &c. vel *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, intelligitur de omnibus hominibus post Adamum.

Prob. 2. p. de terra. 1. ex eodem textu. Nihil enim cogit aliter intelligere nomen illud, quàm de tali elemento, sicut & nomen aquæ; nec aliàs legitur creata.

Prob. 3. p. quia, ut dicebam, licèt non repugnet, Deum creare, & conservare materiam nudam, & sine omni forma; tamen absque miraculo id non fieret, & nihil cogit asserere tale miraculum in prima illa die, & tam facile fuit Deo creare illa elementa integra cũ sua materia, & formis suis substantialibus, quàm sine formis; ergo &c.

Prob. 4. p. tum quia cætera omnia elementa sunt corporalia, sicut & terra, & commodè sub nomine terræ comprehenduntur corporalia, quorum creatio in particulari non narratur alibi. Et id certum est de aqua. Hanc enim hac die extitisse, patet ex eo, quòd *Spiritus Domini ferebatur super eam*. De aere verò, licèt

[1] 2. *d*. 14. *q*. 1. *D*. 5.

licèt non adeò clarè, tamen non sine fundamento colligitur ex eo, quòd dicatur, quòd *tenebræ erant super faciem abyssi*. Privatio enim illa lucis non erat sine subjecto, nec totum spatium à terra ad cœlos erat vacuum. Item, quia nonnulli per Spiritum illum, qui ferebatur super aquas, intelligunt aerem, seu ventum, qui est aer agitatus, *instar auræ tenuis*. De igne non ita constat, sed tamen inde colligi potest, quòd de illius speciali creatione nihil alibi dicitur. Imò, sicut illo ipso die putantur creati Angeli, & peccasse Dæmones, & damnati fuisse; ita & fuit infernus cum suo igne. Unde breviter dici potest, nomine terræ significari totam massam corpoream ex quatuor elementis coalescentem, quæ sub cœlo continetur.

Objic. 1. con. 1. p. Alii cœli, & maximè firmamentum dicitur creatum 2. die: *Dixitque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum*, &c. ergo prima die solum Empyreum creatum est; ergo &c.

Resp. neg. ant. Dicitur enim tunc positum inter aquas, sed non creatum. Quo autem sensu id dicatur, patebit quæst. seq.

Objic. 2. ex Augustino, & aliis. Sub nomine cœli intelliguntur Angeli; ergo non rectè hoc dicimus de orbibus illis inferioribus Empyreo, quod solum cum Angelis tunc creatum est.

Resp. neg. conf. Nam licèt Angeli putentur creati hac die, nihil tamen cogit dicere, illos creatos cum solo Empyreo.

Objic. 3. ex Scriptura, ubi D. Petrus [i] videtur dicere, cœlos formatos ex aqua, *Latet hoc volentes, quòd cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens*; ergo cœlum ex aqua formatum est; ergo non est concreatum aquæ, & terræ 1. die.

Resp. neg. ant. & explicationem textus D. Petri. Nam vox, *ex aqua*, & *per aquam consistens*, non refertur ad cœlos, sed ad terram. Saltem in bona Grammatica S. Petrus non diceret *consistens*, sed *consistentes*. Sensus ergo est, quòd terra erat undique cincta aquis, ex quibus quasi educta est.

Objic. 4. auctoritatem D. Clementis, qui disputans cum Simone Mago dicit, aquas, quæ erant inter pri-

[i] 2. *Pe.* 3.

primum cœlum, & terram, quasi gelu concretas, & instar crystalli consolidatas factas esse, velut firmamentum, quod ab ipso D. Petro didicerat, & habetur l. 1. Recognitionum; sed hæc facta sunt 2. die; ergo & alii cœli.

Resp. dist. min. Nec facta sunt 2. die, quatenus cœli, qui erant fluidi, facti sunt solidiores, con. quatenus ex integro, & substantialiter producti sunt, neg. min. & cons. Facti sunt ergo fluidiores 1. die, tum sic condensati, ut essent firmiores. De quo infra.

Objic. con. utranque 1. p. ex Augustino, qui putat 1. die productam fuisse nudam materiam, ex qua deinde formata sunt omnia, *Terra hic vocatur materia prima, ex eo, quòd cælum ex illa die 2. & terra die 3. producenda esset;* ergo non tam terra, & cœli verè creati sunt 1. die, quàm eorum, & rerum omnium materia nuda.

Resp. neg. cons. Nam per hæc, & similia non intendit S. August. materiam priùs tempore, sed tantùm priùs natura creatam, quàm cœlum, & terram, quæ ex illa constant; quod patet ex aliis verbis ejus, *Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cùm sit utrunque simul concreatum, & unde factum est* (sc. materia) *& quod factum est* (sc. cœlum, & terra, & alia elementa) *Quamobrem, cùm simul utrunque Deus fecerit, & materiam, quam formavit, & res, in quas eam formavit,* &c.

Objic. con. 3. p. pro materia nuda, ex Scriptura dicente, mundum creatum ex materia invisa, [1] *Creavit orbem terrarum ex materia invisa*; sed materia illa invisa non est nisi materia prima nuda; ergo hæc præcessit creationem cœli, & terræ.

Resp. neg. min. Nam terra recens creata dicebatur invisa ob tenebras, quæ erant super faciem ejus, imò & propter aquas, quibus tegebatur, usque quò Deus jussit eas *congregari in locum unum, ut appareret arida*.

Resp. 2. quòd licèt per materiam invisam intelligeretur materia prima, non tamen sequeretur, eam talem fuisse creatam priùs tempore, sed tantùm priùs natura, quàm ullam formam substantialem elementi

[1] *Sap. 11.*

ti. Ideò dist. min. Materia 1. quæ natura prior est forma elementari, con. quæ fuerit prior tempore sub illa nuditate, neg. min. & conf. Eodem modo respondetur ad alium textum Apostoli dicentis, *Aptata sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*, sc. ex elementis invisibilibus ob tenebras, vel ex materia priùs natura existente, vel ex ideis in mente Divina existentibus.

Objic. 2. Si materia illa, quæ dicitur terra, fuisset induta formis substantialibus elementorum, non diceretur chaos, nec abyssus, nec confusa, &c. sed conseq. est contra Scripturam, & Patres; ergo & ant.

Resp. neg. maj. & conf. Nam hæc dicerentur adhuc, ob tenebras, & aquas, quæ omnia tegebant, & ob defectum plantarum, & fructuum, & quia aquæ non erant in loco suo, &c.

Objic. con. ult. p. Scriptura non dicit, tunc facta esse alia elementa præter terram, & aquas; ergo gratis dicuntur alia tunc creata.

Resp. dist. ant. Non dicitur ita explicitè, con. saltem virtualiter, & implicitè, neg. ant. ut patet ex rationibus allatis.

CONCLUSIO III.

E*A ipsa die creata est lux vera, & corporea, quæ fuit forma accidentalis inhærens corpori alicui distincto ab igne, & Sole, & fuit corpus aliquod cæleste ad modum Solis*. Singulæ partes suos habent patronos, & adversarios.

Prob. 1. ex Scoto, qui docet, 1. *Quòd lux non potest poni substantia, quia est per se sensibilis, non verò substantia*; & addit, quòd *Scriptura dicit, lucem factam fuisse* 1. *die, non quòd tunc fieret accidens sine subjecto, sed tunc fiebat corpus luminosum, cujus forma notior erat lux, & ideò describitur subjectum ignotum per formam notiorem*; ergo tota conclusio est Scotistica.

Prob. 1. p. 1. ex Scriptura, quæ antequam terminet diem unum, seu primum, narrat, quòd *dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux*; ergo sine fundamento, & contra sensum litteralem Scripturæ hæc verba intelligerentur aliter, quàm de luce vera.

Prob.

Prob. 2. p. Quia cætera, quæ hic narrantur facta, sunt corporea, & sensibilia; ergo & ista lux. Nulla enim est ratio aliter intelligendi.

Prob. 2. quia ista lux distingnebat, & illuminabat tres primos dies, & fugabat tenebras, quæ erant super faciem abyssi; sed illi tres dies, & tenebræ illæ erant naturales, & materiales; ergo & ipsa lux. Nam tenebræ materiales non fugantur, nec dies pariter sensibiles illuminantur luce spirituali.

Prob. 3. p. Nam, ut dicebamus ex Scoto, forma substantialis per se non est sensibilis, benè verò lux; ergo hæc non est forma substantialis, sed accidentalis, 2. ex eodem, lux in aliquo est forma accidentalis, v. g. in igne, & Sole; ergo ubique est accidentalis. Nam, inquit Philosophus, quod verè est, nulli accidit. 3. sex dies isti fuerunt uniformes; ergo sicut in aliis diebus, maximè in tribus ultimis, mundus fuit illuminatus per corpus lucidum, nempe per Solem, ita & in primo. 4. quia ex Augustino, *in opere creationis non est quærendum, quid Deus possit, sed quid res exigat*; sed omne accidens exigit substantiam, cui inhæreat; ergo & illa lux exigebat corpus aliquod, cui inhæreret; ergo lux illa non fuit forma accidentalis sine subjecto proprio, sed in aliquo corpore luminoso.

Prob. 4. p. de igne: Nam prima die tota superficies terræ operiebatur aquis, imò & totum ferè spatium inter terram, & infimum cęlum; ergo in eodem spatio non erat ignis. Ant. patet ex opere 2. diei, in qua divisæ sunt ab invicem interposito firmamento, & inferiores *congregatæ sunt in locum unum, ut appareret terra*.

Prob. 5. p. de Sole, 1. quia Sol creatus fuit 4. dies ergo non in isto primo. Prob. ant. Legitur enim, *Fiant luminaria in firmamento cęli, & dividant diem, ac noctem.... & luceant in firmamento cœli, & illuminent terram*; ergo ante 4. diem Sol non illuminabat, nec erat luminare.

Prob. ult. p. Sequitur ergo, quòd, sicut Deus in deserto potuit, & voluit dare Israelitis columnam ignis delatam per Angelum, quæ *lucebat eis per noctem*, ut vicaria Solis, sic potuit, & voluit dare mundo simile corpus, quod illuminaret mundum

vice

vice Solis, & deferretur per Angelum, aut per aliam virtutem Divinam.

Prob. 2. eadem pars, quia non poteſt quidquam aliud congruentius aſſignari, quàm tale aliquod corpus.

Objic. 1. con. 1. p. auctoritatem quandam Auguſtini, qua videtur velle, eam fuiſſe ſpiritualem, & per hanc lucem deſignari confirmationem Angelorum bonorum in gratia, & per ejus diviſionem à tenebris ſeparationem illorum à Dæmonibus; ergo lux illa non fuit vera, nec corporalis.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt in ſenſu quodam myſtico hæc dixerit Auguſtinus, non ſequitur, id dixiſſe in ſenſu litterali, & nec potuit dicere. Nam tenebræ, quæ dicuntur fuiſſe ſuper faciem abyſſi, & expulſæ per illam lucem non erant ſpirituales, nec Dæmones, qui non extiterunt ante bonos, quos prætendit deſignari per lucem. Et Auguſtino alios SS. Patres opponimus aliter ſentientes.

Objic. 2. Non legitur, quid factum ſit de illa luce corporea, & maximè 4. die, qua dicuntur facta eſſe luminaria, nec probabile eſt, Deum tunc primò aliquid feciſſe, ut illud tam citò annihilaret; ergo nec vera, nec corporea fuit illa lux.

Reſp. neg. ant. Nam, cùm dicitur, facta fuiſſe 4. die luminaria, ſatis indicatur, lucem illam primam tranſiſſe in Solem, in quo fuit perfectius luminare, nec incongruum eſt, Deum initio feciſſe aliquid imperfectius, quod deinde perficeretur. Non fuit ergo annihilatum illud primum luminare; ſed perfectum 4. die, cùm ex eo facta ſunt Sol, & luna, & alia aſtra.

Objic. con. 3. p. ex D. Bonaventura. Ratio, propter quam negamus lucem fuiſſe formam ſubſtantialem, eſt, quia hæc non videtur ſicut lux accidentalis; ſed hæc ratio nulla eſt; ergo lux illa dici debet forma aliqua ſubſtantialis. Prob. min. Nam lux ipſa non videtur, ſed corpus, ſeu ſubjectum lucidum, ſeu luminoſum; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam, ut diximus in Philoſophia, lux differt à lumine; iſtud eſt ſpecies viſibilis lucis, hæc verò eſt qualitas per ſe ſenſibilis oculo, ſicut calor tactui, & per hanc videtur

tur corpus, in quo est, & quod illuminat.

Objic. contra 4. Patres dicunt, lucem illam fuisse nubeculam ad instar columnæ deserti; sed hæc dicitur columna ignis; ergo & illa lux fuit ignis elementaris.

Resp. dist. maj. Patres id dixerunt per comparationem quandam quoad effectum, con. propter integram, & perfectam similitudinem, neg. maj. & cons. Comparatur columnæ deserti quoad officium illuminandi terram successivè per diem, non autem quoad substantiam, & alias qualitates, ut patet.

Ex dictis collige, 1. vocem *In principio*, quæ ponitur in textu, idem significare litteraliter, atque *in initio temporis*, seu *primò creavit Deus cælum, & terram inter omnes creaturas*.

2. Quòd vox, *creavit*, sumitur ibi rigorosè pro rerum productione ex nullo præsupposito subjecto. Nulla enim materia realis, & physica præextitit productioni cœli, & terræ, & aliorum elementorum, quæ diximus creata fuisse simul illo die ex nihilo.

3. Quòd vox *Deus* significat, illa omnia opera esse immediatè à solo Deo sine ministerio ullius creaturæ.

4. Quòd nomine *cæli* intelligitur quidem directè, & principaliter Empyreum, quod est sedes Beatorum, sed concomitanter significantur etiam cæteri orbes superiores. Aliqui etiam subintelligunt Angelos cœlorum incolas.

5. Quòd nomine *terræ* intelligitur ipsum elementum, & tota hæc inferior machina, nuda tamen omni ornatu, & concomitanter cætera elementa. Et ideò dicitur fuisse tunc *inanis, & vacua*, seu, ut alii vertunt, *vacua*, seu *desolata*, seu *inculta*, *invisibilis, & incomposita*, seu *indigesta*, *& otiosa*, seu *vacua hominibus, & jumentis*, imo & plantis omnibus, & *invisibilis*, propter tenebras, & defectu lucis.

6. Quòd *tenebræ super faciem abyssi* erant, ut significetur, terram opertam fuisse ingenti aquarum mole. *Abyssus enim est copiosa aqua, ad cujus fundum non facile penetrari potest deorsum versus*, inquit S. Basil. *Abyssus est profunditas impenetrabilis, & incomprehensibilis*, ait August. Item significat aquas,

ipsas.

ipsas opertas caligine, ac tenebris usque ad creationem lucis.

7. Quòd *Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas*, non improbabiliter putatur ventus, sive aura tenuis, quæ movebat aquas, vel ipse Spiritùs S. tertia Trinitatis Persona, qui eis, & toti machinæ vim fecunditatis largiebatur, ut significetur, ait Basil. [1] *Quòd fovebat, & vivificabat aquas, præparans eas ad mox futuram fecunditatem*. Alii Patres aliter explicant, mysticè scilicet.

8. Quòd, ut scribit Seraphicus D. Bonaventura, lux illa intelligitur facta fuisse, ubi nunc est Sol, qui ex illa formatus creditur, producta autem fuit in ea parte, supra quam est nostrum hemisphærium, & illud illuminando fecit diem, & progrediens pervenit ad occasum, & fecit vespere; & post deinde regrediens ad ortum fecit mane, &c.

9. Hanc autem fuisse veram, & corpoream, tribus rationibus probat, quas nos attulimus.

10. Divisit autem lucem à tenebris, 1. quoad locum, quia dum dies est apud nos, apud antipodas est nox, 2. quoad tempus, nam lux, & tenebræ sibi ad invicem succedunt, & 3. quoad causam, quia alia est causa diei, sc. præsentia lucidi corporis est causa diei, & absentia ejus ab hemisphærio est causa tenebrarum, seu noctis.

11. Jam diximus, quòd, quia creatio contigit in æquinoctio verno, incepit Deus ista in matutino tempore, & ante lucis creationem, quæ circa horam sextam contigit.

QUÆSTIO IV.

De operibus 2. diei.

OPera 2. diei narrantur his verbis à Moyse, [2] *Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum, & factum*

[1] *Gen.1.*

factum est ita, vocavitque Deus firmamentum cęlum, & factum est vespere, et mane dies 2. Incipiunt igitur opera distinctionis. Et quærimus hic, quid sit illud *firmamentum*, quales sint illæ *aquæ* positæ super illud.

CONCLUSIO I.

PRobabile est, per firmamentum intelligi totum aerem, qui est inter cęlum infimum, & globum terræ, super quo sunt aquæ subtiliores, et leviores, et sub quo sunt crassiores, et graviores. De hac re nihil reperio apud Scotum. Videtur autem hæc conclusio conformior aliquot SS. Patribus, & D. Thomæ, illamq; inter Scotistas docet PP. Pontius, & Frassen aliqua ex parte.

Prob. 1. ex Scriptura, quæ sæpiùs nomine cœli utitur ad significandum aerem, ut cùm dicuntur *volucres cęli*, quia in aere volitant, non verò intra cœlum, item *cataractæ cœli*, & solemus dicere, *cęlum serenum, rubeum, ignem de cœlo*, &c.

Prob. 2. ex Patribus. Nam, inquit Basilius, [1] *Scriptura S. quod per robustum est, neque cedit, id esse firmamentum dicere consuevit, atque adeò, ut in aere addensato hac ipsa voce plerũque uti videatur.* Item Hieronymus; [2] *Inter cęlum, et terram medium extruitur firmamentum, et juxta Hebraici sermonis etymologiam cęlum ex aquis sortitur vocabulum*; ergo firmamentum non est cœlum ullum, sed aer intermedius. Idem sentit August. [3] *Cùm dicitur firmamentum cœlum, intelligendum est, omnem istam æthereã machinam dici, quæ omnia substantia continet,* &c. Et clariùs adhuc Rupert. Abbas, [4] *Firmamentum non solidum quid, aut durum est, ut vulgo putatur, sed aer est extensus, et addensatus, quia licèt solidum corpus non sit, Scriptura illud firmamentum vocat eò, quòd dividat aquas ab aquis.* Et Beda [5] explicans illum locum, *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cęli,* ait, *Sic intelligendum est, quòd dictũ sit volare aves secundum firmamentũ cęli, quia hoc nomine etiam æther inducitur, hoc est, superius illud aeris spatiũ, quod à turbulẽto hoc, et caliginoso locò, in quo aves volãt, atq; ad astra pertin-*

[1] *ho.1.* [2] *Ep.8.* [3] *22.G.l.4.*
[4] *Ibid.* [5] *Ibid.*

pertingit, & esse tranquillum prorsùs, ac luce plenum non immeritò creditur, &c. In hoc autem Beda videtur non favere nobis, quia non totum aerem, sed superiorem, & subtiliorem duntaxat ejus partem vocat *firmamentum*. Sed eadem est ratio de toto, ac de parte. Nam totum corpus aereum stat inter aquas, & dividit superiores ab inferioribus. Unde

Prob. 3. quia totus iste textus benè, & congruè salvatur de aere, non verò de ullo orbe cœlesti; ergo ita intelligendus est. Prob. ant. Nam aer verè substat aquis, & vaporibus subtilioribus, quæ supra illum sunt, easque sustentat, & dividit ab inferioribus; quod non potest ita verè dici de ullo cœlo. Non enim est probabile, quòd supra ullum cœlum verum contineantur aquę verę. Ad quid enim inservirent ibi? ergo quę dicuntur in textu Scripturę de hoc firmamēto, bene salvantur de aere vastissimè expanso inter cœlum, & terram, & inter aquas superiores, & inferiores.

Confir. quia si ulli orbium cœlestium convenirent, maximè octavo, in quo 4. die astra dicuntur posita; sed non est probabile, quòd ibi sint veræ aquæ, nec opus fuisset dicere, tunc astra fuisse posita in firmamento cœli, sufficiebat dicere in firmamento, quandoquidem nullum aliud esset firmamentum præter ipsum, quod 2. die factum legitur; ergo per illam additionem cœli designatur aliud esse firmamentum illud 4. diei, aliud istud secundæ.

Objic. Si aer designaretur nomine *firmamenti*, Moyses uteretur vocibus æquivocis; sed hoc non debet dici de bono historico Scriptore, & multo minùs de sacro; ergo &c. Prob. maj. Nam eadem voce utitur etiam ad designandum verum cœlum; ergo vox *firmamenti* æquivoca esset, & significaret plura diversa.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Nam, ut notant Interpretes, vox *firmamentum*, ex Hebręo, significat expansionē, seu extensionem, & in hoc sensu tā convenit cęlis, quàm aeri, sed per additum cęli, ut 4. die, limitatur ad significandum orbem sydereum, & per designationem loci *in medio aquarum* designatur aer.

Objic. 2. Moyses, qui narrat ornatum cęli syderei, seu firmamenti 4. die, debuit aliquando narrare creationem ejus; sed nullibi reperitur narrata nisi hac 2. die; ergo firmamentum, quod docet factum 2. die,

die, est ipsummet cęlum sydereum, quod narrat ornatum fuisse 4. die.

Resp. neg. min. Nam ex dictis patet, cęlos omnes dici creatos 1. die, & ita narrari sub nomine cęli, sicut elementa sub nomine terræ.

Objic. 3. Non sunt aquæ super aerem stantes, & immotæ; ergo aer non est firmamentum. Nam istud dividit aquas ab aquis.

Resp. neg. cons. concesso antecedente, de quo mox dicemus.

Inst. Vox *firmamentum* significat aliquid solidum, & stabile; sed talis non est aer, sed è contra est fluidus, & instabilis, perpetuò agitatus; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nec enim inde oritur illa appellatio, sed purè ex officio standi inter aquas superiores, & inferiores, velut terminus earū immutabilis. Nec nomē *firmamēti cogit, ut cęlū stare putemus*, inquit Aug. [1] *Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilē terminum aquarum superiorum, & inferiorum intelligere licet.*

Objic. 4. Aer jam productus erat prima die; ergo non potest dici firmamentum, quod fit 2. die, cum dicitur, *Fiat firmamentum*. Prob. cons. Nam *Fiat lux* significat veram productionem lucis; ergo & *Fiat firmamentum* significat veram productionem ejus.

Resp. neg. utranque cons. Vel sic dist. Non potest dici *factum* 2. die quoad esse substantiale, & entitativum, con. 1. cons. & neg. 2. in ratione firmamenti, neg. 1. cons. Nam ratio firmamenti est quid accidentale entitati aeris. Sicut ratio domus est accidentalis lapidibus, & ratio artificii lignis: sic aer prima die factus est quoad entitatem, & 2. die quoad munus dividendi aquas ab aquis, sustinens superiores; quod non potest dici de luce, quæ facta est quoad esse, & quoad officium lucendi per orbem.

CONCLUSIO II.

Probabile est, nullas veras, & elemētares aquas esse supra cęlos, sed per illas designari vapores qui ex aquis inferioribus elevantur, & in aquas resolvuntur. quoad 1. p. est satis communis. Nam alii per istas a-

aquas

[1] 2. Ge. l. t. 10.

quas intelligunt Angelos, quorum boni sunt in cęlo, mali verò in inferis, alii cęlos ipsos, quos putant fluidos, seu aqueos, & maximè crystallinum, &c.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quomodò aqua est supra cælum? inquit, Aliqui dicunt, quòd evaporatur super cęlum aqua ab aqua sub cęlo, sed illa est fictio, quia non sunt corpora sic porosa, quòd possit aqua per illorum corpora sic transire, nec posset transire per sphæram ignis, quia totaliter corrumperetur. Ideò videtur, quòd dicatur aqua supra cœlum propter quandam proprietatem aquæ. Cęlum enim crystallinum potest dici aqua, quę est supra firmamentum propter similem qualitatem*; &c. Sc. inclinat quoad 2. p. in sententiam nunc allatam de cęlo crystallino.

Prob. 2. quoad 1. p. quia nulla ratio physica, vel moralis, nec utilitas ulla probat existentiam hujusmodi aquarum, nec authoritas ulla Scripturæ, aut Patrum; ergo non sunt asserendæ, quia Deus, & natura nihil agunt frustra. Prob. ant. tum responsione ad rationes, quæ pro veris aquis afferri possunt, tum per verum sensum illius loci Scripturę. Nam sufficienter, & rectè intelligitur de aquis illis, quæ ex vaporibus generantur in aere. Prob. hoc ant. & 2. p. ex aliis locis Scripturæ, in quibus de eisdem aquis fit mentio, quæ non possunt esse aliæ, quàm quæ sic formantur, ut cùm Deus dicitur dare, vel prohibere pluvias de cęlo, cū cataractæ cœli dicuntur apertæ in diluvio, item cùm dicitur [2] *extendere cœlum sicut pellem*, & [3] *Tegere aquis superiora ejus*, & *rigare montes de superioribus suis, et operire cęlum nubibus*, Et *parare terræ pluviam*, & [4] *æthera firmasse sursum, et librasse fontes aquarum*, fontes, inquam, non terrenos, sed qui è cęlo fluunt. Undè Job [5] dicebat de Deo, quòd si *continuerit aquas, omnia siccabuntur*, & *si emiserit, subvertent terram*, & *quòd ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum*, & [6] *si aperuero cataractas cęli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam*, & quòd *ad vocem suam dat Deus multitudinem aquarum in cęlo*, &c. ergo ex Scriptura, per illas

[1] *Repor. d. 1.4. q. 1. n. 16.*
[2] *Psal.* 101. [2] *Psal.* 1.
[4] *Prov.* 8.
[5] *Job.* 12. *et* 26. [6] *Malach.* 3.

illas aquas cœli rectè intelliguntur illæ, quæ ex vaporibus formantur.

Prob. 2. ex PP. Nam S. Ambros. dicit, *quid Moyses* [1] *benedictiones tribuit Joseph à finibus cęli, & rore, & abyssis fontium deorsum venientibus*, & vocat *ferreum cęlum, quod nullum exundat humorem, quando nullus è nubibus imber erumpit. Est etiam ferreum cęlum, subobscurus aer*, &c. ergo Ambrosius per aquas cęlestes, & supernas intelligit rorem, imbrem, & pluvias, quæ in aere formantur ex vaporibus, & inde fluunt.

Objic. 1. diversas utilitates à variis confictas. Nam Beda, [2] & alii dicunt eas in cęlo collocatas, ut temperent Solis ardorem, seu ad remittendum calorem ex vi, & motu syderum excitatum. 2. S. Justinus ait, aquas positas supra firmamentum, ut illud sua gravitate detineant, ne sursùm elevetur, sed in proprio loco contineatur. 3. ut Solis, & Lunæ radios reverberent versus terram. 4. Oleaster putat, id factum à Deo, ut per cœli cataractarum reserationem terram in diluvio Noe obruerent. 5. alii sic positas ad ornatum universi. 6. alii ad voluptatem beatorum. Nam *deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, & Joanni [3] ostendit fluvium aquæ vivæ splendidum, &c. ergo aquæ in cœlo non sunt inutiles.

Resp. neg. conseq. Nam illæ omnes utilitates gratis omninò finguntur, ut discurrenti facilè patebit, nec opus est singillatim immorari.

Objic. 2. Aquæ dicuntur super cœlos sydereos, ut, cùm dicitur, *Aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini*, & tres pueri invitant eas ad benedicendum Domino, *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Dño*; ergo in cęlo, & non tantùm in aere, sunt veræ aquæ. Nam licèt aer dicatur aliquando cœlum, non tamen cęlum cœlorum, nec pluraliter cęli.

Resp. neg. conseq. aliòqui dicerentur esse etiam in Empyreo, quod est sedes Dei, & Beatorum. Istud .n. est unũ cœlorũ. Intelliguntur ergo regiones aeris, & pluraliter loquitur, quia apud Hebręos cęlũ dicitur pluraliter, & caret singulari, apud Latinos verò utroq; modo solet significari. Idem dicitur de cantico puerorũ.

Objic. 2. Si aqua esset tantùm supra aerem, & in vapo-

[1] 1. Ex. 4. [2] *ibid.* [3] *Apoc.* 7.

[illegible] non autem supra cœlum sydereum, vel [illegible] in aere, vel offuscasset diem, nec [illegible] sicut densæ nubes offuscant aerem, & [illegible] sed neutrum dici potest, ergo firmamentum [illegible] est aer; & aquæ illæ superiores [illegible] sed supra cœlum sydereum. Prob. [illegible] eodem tempore fuit effectivè firmamentum [illegible] realis aquarum, & dies illa fuit [illegible] obscura; ergo &c.

[illegible] utramque partem. Nam [illegible] Deus [illegible] aquas, & vapores, sed [illegible] qui non obscurarunt [illegible].

[illegible] Vapores non sunt veræ aquæ, sicut aqua, ex quia [illegible] Scriptura loquitur de aquis superioribus [illegible]; ergo illæ non sunt vapores.

[illegible] Quid enim vetat dicere, vapores [illegible] veram formam substantialem [illegible]?

[illegible] nubes, si non sint formaliter aqua, fal[illegible] Imo & formaliter aquam. [illegible] esse gravidam aqua. Et ipsa Scri[illegible] *aquas suas in nubibus.* [illegible] *in nubibus alli-* [illegible] *admiran-* [illegible] *natura sua fluxam,* [illegible].

[illegible] *pars aeris dicatur firmamentum.*

[illegible] Nam secundum su[illegible] & continet aquas superiores [illegible] inferiores. Nam, ut [illegible] aliquod spatium, vel corpus, [illegible] ut tangat partes divisas secundum [illegible] seu partem indivisibilem, sed [illegible] unam superficiem, aut partem [illegible] unam partem divisi, & per aliam sui [illegible].

[illegible] *huius diei non dicatur, Vidit* [illegible] *specialiter, bene-* [illegible].

Resp.

[illegible] 26. [illegible] 33. *Theol.*

Resp. 1. cum D. Thoma, hujus rei rationem dici posse, quia nondum hac die perfecit divisionem aquarum, sed 3. die, & tunc benedictio data est.

Resp. 2. mysticè cum Hieron. quia primus hic dies discedit ab unitate, quam Deus summè amat, oditque divisionem, quam inducit binarius numerus; quod piè dictum est, & moraliter, non scholasticè.

QUÆSTIO V.

De operibus tertiæ diei.

Legimus, quòd dixit Deus, *Congregentur aquæ in locum unum, et appareat arida*, &c. & *Vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria*, & *Videns, quòd esset bonum*, ait, *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum faciens fructum, et habens ununquodque sementem .... et vidit, quòd esset bonum, et factum est vespere, et manedies tertius*. Igitur hac die facta est separatio aquarum à terra, & productio plantarum, & sic terra, & aqua nihil acceperunt entitatis, sed solam distinctionem, seu separationem ab invicem, & assignatus est utrique locus proprius, sed plantæ verè productæ sunt, & sic Scotus putat, designatum fuisse infernum pro supplicio damnatorum; & purgatorium prope infernum, ubi purgantur animæ electorum, & denique probabiliter Paradisus terrestris quia dicitur, quòd eum *plantaverat*, antequam crearet hominem.

Quærimus ergo hìc breviter 1. quomodò facta sit ea congregatio aquarum in locum unum, an per motum localem, & successivè, an in instanti, & impertransito medio, 2. circa productionem plantarum, an tunc omnes productæ sint de facto cum fructibus, an verò tantùm indita fuerit terræ virtus eas germinandi, &c. Quæ, & alia breviter expediemus.

CONCLUSIO I.

Hodie jubet Deus, aquas per motum localem congregari in iisdem locis, in quibus sunt nunc, et exsiccata est terra, quantũ opus erat, ut super eã graderetur

vice Solis, & deferretur per Angelum, aut per aliam virtutem Divinam.

Prob. 2. eadem pars, quia non potest quidquam aliud congruentius assignari, quàm tale aliquod corpus.

Objic. 1. con. 1. p. auctoritatem quandam Augustini, qua videtur velle, eam fuisse spiritualem, & per hanc lucem designari confirmationem Angelorum bonorum in gratia, & per ejus divisionem à tenebris separationem illorum à Dæmonibus; ergo lux illa non fuit vera, nec corporalis.

Resp. neg. conf. Nam licèt in sensu quodam mystico hæc dixerit Augustinus, non sequitur, id dixisse in sensu litterali, & nec potuit dicere. Nam tenebræ, quæ dicuntur fuisse super faciem abyssi, & expulsæ per illam lucem non erant spirituales, nec Dæmones, qui non extiterunt ante bonos, quos prætendit designari per lucem. Et Augustino alios SS. Patres opponimus aliter sentientes.

Objic. 2. Non legitur, quid factum sit de illa luce corporea, & maximè 4. die, qua dicuntur facta esse luminaria, nec probabile est, Deum tunc primò aliquid fecisse, ut illud tam citò annihilaret; ergo nec vera, nec corporea fuit illa lux.

Resp. neg. ant. Nam, cùm dicitur, facta fuisse 4. die luminaria, satis indicatur, lucem illam primam transisse in Solem, in quo fuit perfectius luminare, nec incongruum est, Deum initio fecisse aliquid imperfectius, quod deinde perficeretur. Non fuit ergo annihilatum illud primum luminare, sed perfectum 4. die, cùm ex eo facta sunt Sol, & luna, & alia astra.

Objic. con. 3. p. ex D. Bonaventura. Ratio, propter quam negamus lucem fuisse formam substantialem, est, quia hæc non videtur sicut lux accidentalis; sed hæc ratio nulla est; ergo lux illa dici debet forma aliqua substantialis. Prob. min. Nam lux ipsa non videtur, sed corpus, seu subjectum lucidum, seu luminosum; ergo &c.

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam, ut diximus in Philosophia, lux differt à lumine; istud est species visibilis lucis, hæc verò est qualitas per se sensibilis oculo, sicut calor tactui, & per hanc videtur.

tur corpus, in quo est, & quod illuminat.

Objic. contra 4. Patres dicunt, lucem illam fuisse nubeculam ad instar columnæ deserti; sed hæc dicitur columna ignis; ergo & illa lux fuit ignis elementaris.

Resp. dist. maj. Patres id dixerunt per comparationem quandam quoad effectum, con. propter integram, & perfectam similitudinem, neg. maj. & cons. Comparatur columnæ deserti quoad officium illuminandi terram successivè per diem, non autem quoad substantiam, & alias qualitates, ut patet.

Ex dictis collige, 1. vocem *In principio*, quæ ponitur in textu, idem significare litteraliter, atque *in initio temporis*, seu *primò creavit Deus cœlum, & terram inter omnes creaturas*.

2. Quòd vox, *creavit*, sumitur ibi rigorosè pro rerum productione ex nullo præsupposito subjecto. Nulla enim materia realis, & physica præextitit productioni cœli, & terræ, & aliorum elementorum, quæ diximus creata fuisse simul illo die ex nihilo.

3. Quòd vox *Deus* significat, illa omnia opera esse immediatè à solo Deo sine ministerio ullius creaturæ.

4. Quòd nomine *cœli* intelligitur quidem directè, & principaliter Empyreum, quod est sedes Beatorum, sed concomitanter significantur etiam cæteri orbes superiores. Aliqui etiam subintelligunt Angelos cœlorum incolas.

5. Quòd nomine *terræ* intelligitur ipsum elementum, & tota hæc inferior machina, nuda tamen omni ornatu, & concomitanter cætera elementa. Et ideò dicitur fuisse tunc *inanis, & vacua*, seu, ut alii vertunt, *vacua*, seu *desolata*, seu *inculta*, *invisibilis, & incomposita*, seu *indigesta*, *& otiosa*, seu *vacua hominibus, & jumentis*, imo & plantis omnibus, & *invisibilis*, propter tenebras, & defectu lucis.

6. Quòd *tenebræ super faciem abyssi* erant, ut significetur, terram opertam fuisse ingenti aquarum mole. *Abyssus enim est copiosa aqua, ad cujus fundum non facile penetrari potest deorsum versus*, inquit S. Basil. *Abyssus est profunditas impenetrabilis, & incomprehensibilis*, ait August. Item significat aquas,

ipsas opertas caligine, ac tenebris usque ad creationem lucis.

7. Quòd *Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas*, non improbabiliter putatur ventus, sive aura tenuis, quæ movebat aquas, vel ipse Spiritus S. tertia Trinitatis Persona, qui eis, & toti machinæ vim fecunditatis largiebatur, ut significetur, ait Basil. [1] *Quòd fovebat, & vivificabat aquas, præparans eas ad mox futuram fecunditatem*. Alii Patres aliter explicant, mysticè scilicet.

8. Quòd, ut scribit Seraphicus D. Bonaventura, lux illa intelligitur facta fuisse, ubi nunc est Sol, qui ex illa formatus creditur, producta autem fuit in ea parte, supra quam est nostrum hemisphærium, & illud illuminando fecit diem, & progrediens pervenit ad occasum; & fecit vespere; & post deinde regrediens ad ortum fecit mane, &c.

9. Hanc autem fuisse veram, & corpoream, tribus rationibus probat, quas nos attulimus.

10. Divisit autem lucem à tenebris, 1. quoad locum, quia dum dies est apud nos, apud antipodas est nox, 2. quoad tempus, nam lux, & tenebræ sibi ad invicem succedunt, & 3. quoad causam, quia alia est causa diei, sc. præsentia lucidi corporis est causa diei, & absentia ejus ab hemisphærio est causa tenebrarum, seu noctis.

11. Jam diximus, quòd, quia creatio contigit in æquinoctio verno, incepit Deus ista in matutino tempore, & ante lucis creationem, quæ circa horam sextam contigit.

QUÆSTIO IV.

De operibus 2. diei.

OPera 2. diei narrantur his verbis à Moyse, [2] *Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum, & factum*

[1] *Gen.1.*

factum est ita, vocavitque Deus firmamentum cælum, & factum est vespere, et mane dies 2. Incipiunt igitur opera distinctionis. Et quærimus hic, quid sit illud *firmamentum*, quales sint illæ *aquæ* positæ super illud.

CONCLUSIO I.

PRobabile est, per firmamentum intelligi totum aerem, qui est inter cælum infimum, & globum terræ, super quo sunt aquæ subtiliores, et leviores, et sub quo sunt crassiores, et graviores. De hac re nihil reperio apud Scotum. Videtur autem hæc conclusio conformior aliquot SS. Patribus, & D. Thomæ, illamq; inter Scotistas docet PP. Pontius, & Frassen aliqua ex parte.

Prob. 1. ex Scriptura, quæ sæpiùs nomine cœli utitur ad significandum aerem, ut cùm dicuntur *volucres cæli*, quia in aere volitant, non verò intra cœlum, item *cataractæ cœli*, & solemus dicere, *cælum serenum, rubeum, ignem de cælo*, &c.

Prob. 2. ex Patribus. Nam, inquit Basilius, [1] *Scriptura S. quod per robustum est, neque cedit, id esse firmamentum dicere consuevit, atque adeò, ut in aere addensato hac ipsa voce plerũque uti videatur.* Item Hieronymus; [2] *Inter cælum, et terram medium extruitur firmamentum, et juxta Hebraici sermonis etymologiam cælum ex aquis sortitur vocabulum*; ergo firmamentum non est cœlum ullum, sed aer intermedius. Idem sentit August. [3] *Cùm dicitur firmamentum cælum, intelligendum est, omnem istam æthereã machinam dici, quæ omnia substantia continet,* &c. Et clariùs adhuc Rupert. Abbas, [4] *Firmamentum non solidum quid, aut durum est, ut vulgo putatur, sed aer est extensus, et addensatus, quia licèt solidum corpus non sit, Scriptura illud firmamentum vocat eò, quòd dividat aquas ab aquis.* Et Beda [5] explicans illum locum, *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cæli,* ait, *Sic intelligendum est, quòd dictũ sit volare aves secundum firmamentũ cæli, quia hoc nomine etiam æther indicitur, hoc est, superius illud aeris spatiũ, quod à turbulẽto hoc, et caliginoso locò, in quo aves volãt, atq; ad astra pertin-*

[1] *ho.1.* [2] *Ep.8.* [3] *22.G.l.4.*
[4] *Ibid.* [5] *Ibid.*

pertingit, & esse tranquillum prorsùs, ac luce plenum non immeritò creditur, &c. In hoc autem Beda videtur non favere nobis, quia non totum aerem, sed superiorem, & subtiliorem duntaxat ejus partem vocat *firmamentum*. Sed eadem est ratio de toto, ac de parte. Nam totum corpus aereum stat inter aquas, & dividit superiores ab inferioribus. Unde

Prob. 3. quia totus iste textus benè, & congruè salvatur de aere, non verò de ullo orbe cœlesti; ergo ita intelligendus est. Prob. ant. Nam aer verè substat aquis, & vaporibus subtilioribus, quæ supra illum sunt, easque sustentat, & dividit ab inferioribus; quod non potest ita verè dici de ullo cœlo. Non enim est probabile, quòd supra ullum cœlum verum contineantur aquę verę. Ad quid enim inservirent ibi? ergo quę dicuntur in textu Scripturę de hoc firmamēto, bene salvantur de aere vastissimè expanso inter cœlum, & terram, & inter aquas superiores, & inferiores.

Confir. quia si ulli orbium cœlestium convenirent, maximè octavo, in quo 4. die astra dicuntur posita; sed non est probabile, quòd ibi sint veræ aquæ, nec opus fuisset dicere, tunc astra fuisse posita in firmamento cœli, sufficiebat dicere in firmamento, quandoquidem nullum aliud esset firmamentum præter ipsum, quod 2. die factum legitur; ergo per illam additionem cœli designatur aliud esse firmamentum illud 4. diei, aliud istud secundæ.

Objic. Si aer designaretur nomine *firmamenti*, Moyses uteretur vocibus æquivocis; sed hoc non debet dici de bono historico Scriptore, & multo minùs de sacro; ergo &c. Prob. maj. Nam eadem voce utitur etiam ad designandum verum cœlum; ergo vox *firmamenti* æquivoca esset, & significaret plura diversa.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Nam, ut notant Interpretes, vox *firmamentum*, ex Hebręo, significat expansionē, seu extensionem, & in hoc sensu tā convenit cęlis, quàm aeri, sed per additum cęli, ut 4. die, limitatur ad significandum orbem sydereum, & per designationem loci *in medio aquarum* designatur aer.

Objic. 2. Moyses, qui narrat ornatum cęli syderei, seu firmamenti 4. die, debuit aliquando narrare creationem ejus; sed nullibi reperitur narrata nisi hac 2. die; ergo firmamentum, quod docet factum 2.

die,

die, est ipsummet cęlum sydereum, quod narrat ornatum fuisse 4. die.

Resp, neg. min. Nam ex dictis patet, cęlos omnes dici creatos 1. die, & ita narrari sub nomine cęli, sicut elementa sub nomine terræ.

Objic. 3. Non sunt aquæ super aerem stantes, & immotæ; ergo aer non est firmamentum. Nam istud dividit aquas ab aquis.

Resp. neg. cons. concesso antecedente, de quo mox dicemus.

Inst. Vox *firmamentum* significat aliquid solidum, & stabile; sed talis non est aer, sed è contra est fluidus, & instabilis, perpetuò agitatus; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nec enim inde oritur illa appellatio, sed pureè ex officio standi inter aquas superiores, & inferiores, velut terminus earũ immutabilis. Nec nomẽ *firmamẽti cogit, ut cęlũ stare putemus*, inquit Aug. [1] *Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilẽ terminum aquarum superiorum, & inferiorum intelligere licet.*

Objic. 4. Aer jam productus erat prima die: ergo non potest dici firmamentum, quod fit 2. die, cum dicitur, *Fiat firmamentum*. Prob. cons. Nam *Fiat lux* significat veram productionem lucis; ergo & *Fiat firmamentum* significat veram productionem ejus.

Resp. neg. utranque cons. Vel sic dist. Non potest dici *factum* 2. die quoad esse substantiale, & entitativum, con. 1. cons. & neg. 2. in ratione firmamenti, neg. 1. cons. Nam ratio firmamenti est quid accidentale entitati aeris. Sicut ratio domus est accidentalis lapidibus, & ratio artificii lignis: sic aer prima die factus est quoad entitatem, & 2. die quoad munus dividendi aquas ab aquis, sustinens superiores; quod non potest dici de luce, quæ facta est quoad esse, & quoad officium lucendi per orbem.

CONCLUSIO II.

P*Robabile est, nullas veras, & elemẽtares aquas esse supra cęlos, sed per illas designari vapores qui ex aquis inferioribus elevantur, & in aquas resolvuntur.* quoad 1. p. est satis communis. Nam alii per istas aquas

[1] 2. *Ge. l. t.* 10.

quas intelligunt Angelos, quorum boni sunt in cęlo, mali verò in inferis, alii cęlos ipsos, quos putant fluidos, seu aqueos, & maximè crystallinum, &c.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quomodò aqua est supra cælum?* inquit, *Aliqui dicunt, quòd evaporatur super cęlum aqua ab aqua sub cęlo, sed illa est fictio, quia non sunt corpora sic porosa, quòd possit aqua per illorum corpora sic transire, nec posset transire per sphæram ignis, quia totaliter corrumperetur. Ideò videtur, quòd dicatur aqua supra cælum propter quandam proprietatem aquæ. Cęlum enim crystallinum potest dici aqua, quæ est supra firmamentum propter similem qualitatem*; &c. Sc. inclinat quoad 2. p. in sententiam nunc allatam de cęlo crystallino.

Prób. 2. quoad 1. p. quia nulla ratio physica, vel moralis, nec utilitas ulla probat existentiam hujusmodi aquarum, nec authoritas ulla Scripturæ, aut Patrum; ergo non sunt asserendæ, quia Deus, & natura nihil agunt frustra. Prob. ant. tum responsione ad rationes, quæ pro veris aquis afferri possunt, tum per verum sensum illius loci Scripturę. Nam sufficienter, & rectè intelligitur de aquis illis, quæ ex vaporibus generantur in aere. Prob. hoc ant. & 2. p. ex aliis locis Scripturæ, in quibus de eisdem aquis fit mentio, quæ non possunt esse aliæ, quàm quæ sic formantur, ut cùm Deus dicitur dare, vel prohibere pluvias de cęlo, cũ cataractæ cœli dicuntur apertæ in diluvio, item cùm dicitur [2] *extendere cælum sicut pellem*, & [3] *Tegere aquis superiora ejus*, & *rigare montes de superioribus suis, et operire cęlum nubibus*, Et *parare terræ pluviam*, & [4] *æthera firmasse sursum, et librasse fontes aquarum*, fontes, inquam, non terrenos, sed qui è cęlo fluunt. Undè Job [5] dicebat de Deo, quòd si *continuerit aquas, omnia siccabuntur*, & *si emiserit, subvertent terram*, & *quòd ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum*, & [6] *si aperuero cataractas cęli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam*, & quòd *ad vocem suam dat Deus multitudinem aquarum in cęlo*, &c. ergo ex Scriptura, per illas

[1] *Repor. d. 1. 4. q. 1. n. 16.*
[2] *Psal. 101.* [2] *Psal. 1.*
[4] *Prov. 8.*
[5] *Job. 12. et 26.* [6] *Malach. 3.*

illas aquas cœli rectè intelliguntur illæ, quæ ex vaporibus formantur.

Prob. 2. ex PP. Nam S. Ambros. dicit, *quòd Moyses* [1] *benedictiones tribuit Joseph à finibus cęli, & rore, & abyssis fontium deorsum venientibus*, & vocat *ferreum cęlum, quod nullum exundat humorem, quando nullus è nubibus imber erumpit. Est etiam ferreum cęlum, subobscurus aer*, &c. ergo Ambrosius per aquas cęlestes, & supernas intelligit rorem, imbrem, & pluvias, quæ in aere formantur ex vaporibus, & inde fluunt.

Objic. 1. diversas utilitates à variis confictas. Nam Beda, [2] & alii dicunt eas in cęlo collocatas, ut temperent Solis ardorem, seu ad remittendum calorem ex vi, & motu syderum excitatum. 2. S. Justinus ait, aquas positas supra firmamentum, ut illud sua gravitate detineant, ne sursùm elevetur, sed in proprio loco contineatur. 3. ut Solis, & Lunæ radios reverberent versus terram. 4. Oleaster putat, id factum à Deo, ut per cœli cataractarum reserationem terram in diluvio Noe obruerent. 5. alii sic positas ad ornatum universi. 6. alii ad voluptatem beatorum. Nam *deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, & Joanni [3] ostendit fluvium aquæ vivæ splendidum, &c. ergo aquæ in cœlo non sunt inutiles.

Resp. neg. conseq. Nam illæ omnes utilitates gratis omninò finguntur, ut discurrenti facilè patebit, nec opus est singillatim immorari.

Objic. 2. Aquæ dicuntur super cœlos sydereos, ut, cùm dicitur, *Aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini*, & tres pueri invitant eas ad benedicendum Domino, *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Dño*; ergo in cęlo, & non tantùm in aere, sunt veræ aquæ. Nam licèt aer dicatur aliquando cœlum, non tamen cęlum cœlorum, nec pluraliter cęli.

Resp. neg. conseq. aloqui dicerentur esse etiam in Empyreo, quod est sedes Dei, & Beatorum. Istud .n. est unũ cœlorũ. Intelliguntur ergo regiones aeris, & pluraliter loquitur, quia apud Hebręos cęlũ dicitur pluraliter, & caret singulari, apud Latinos verò utroq; modo solet significari. Idem dicitur de cantico puerorũ.

Objic. 2. Si aqua esset tantùm supra aerem, & in vapo-

[1] 1. *Ex.* 4. [2] *ibid.* [3] *Apoc.* 7.

vaporibus, non autem supra cœlum sydereum, vel nulla fuisset tunc in aere, vel offuscasset diem, nec apparuisset lux, sicut densæ nubes offuscant aerem, & Solem abscondunt; sed neutrum dici potest, ergo firmamentum illud non est aer; & aquæ illæ superiores non sunt in aere, sed supra cœlum sydereum. Prob. min. 1. enim eodem tempore fuit effectivè firmamentum, & divisio realis aquarum, & dies illa fuit sine dubio clarissima, non obscura; ergo &c.

Resp. neg. conseq. quoad utranque partem. Nam de facto Deus elevavit illuc aquas, & vapores, sed subtilissimos, & limpidissimos, qui non obscurarunt lucem.

Inst. Vapores non sunt veræ aquæ, sicut aqua, ex qua elevantur; sed Scriptura loquitur de aquis superioribus, sicut de inferioribus; ergo illæ non sunt vapores.

Resp. 1. n. maj. Quid enim vetat dicere, vapores elevatos ab aquis retinere veram formam substantialem aquæ?

Resp. 2. illas nubes, si non sint formaliter aqua, saltem retinere virtualiter, imò & formaliter aquam. Ideò dicimus, nubem esse gravidam aqua. Et ipsa Scriptura sic loquitur, [1] *Qui ligat aquas in nubibus.* Unde Nazianzenus, [2] *Quis aquam in nubibus alligat, eamque partim in nubibus figit? (ò rem admirandam!) verbo compressam, tametsi natura sua fluxam, & labilem*, &c.

Quæres, *quænam regio, seu pars aeris dicatur firmamentum.*

Resp. dici posse de toto aere. Nam secundum superiorem partem sustentat, & continet aquas superiores, & secundum infimam tegit inferiores. Nam, ut aliquid dicatur dividere aliquod spatium, vel corpus, non est necesse, ut tangat partes divisas secundum eandem superficiem, seu partem indivisibilem, sed sufficit, ut secundum unam superficiem, aut partem sui tangat unam partem divisi, & per aliam sui partem tangat aliud divisum.

Quæres 2. *cur post opus hujus diei non dicatur, Vidit Deus, quòd esset bonum, neque illud specialiter, benedixit, sicut alia opera.*

Resp.

[1] *Job* 26. [2] *Orat.* 33. *Theol.*

Resp. 1. cum D. Thoma, hujus rei rationem dici posse, quia nondum hac die perfecit divisionem aquarum, sed 3. die, & tunc benedictio data est.

Resp. 2. mysticè cum Hieron. quia primus hic dies discedit ab unitate, quam Deus summè amat, oditque divisionem, quam inducit binarius numerus; quod piè dictum est, & moraliter, non scholasticè.

QUÆSTIO V.

De operibus tertiæ diei.

Legimus, quòd dixit Deus, *Congregentur aquæ in locum unum, et appareat arida,* &c. & *Vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria,* & *Videns, quòd esset bonum,* ait, *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum faciens fructum, et habens ununquodque sementem .... et vidit, quòd esset bonum, et factum est vespere, et mane dies tertius.* Igitur hac die facta est separatio aquarum à terra, & productio plantarum, & sic terra, & aqua nihil acceperunt entitatis, sed solam distinctionem, seu separationem ab invicem, & assignatus est utrique locus proprius, sed plantæ verè productæ sunt, & sic Scotus putat, designatum fuisse infernum pro supplicio damnatorum; & purgatorium prope infernum, ubi purgantur animæ electorum, & denique probabiliter Paradisus terrestris quia dicitur, quòd cum *plantaverat*, antequam crearet hominem.

Quærimus ergo hìc breviter 1. quomodò facta sit ea congregatio aquarum in locum unum, an per motum localem, & successivè, an in instanti, & impertransito medio, 2. circa productionem plantarum, an tunc omnes productæ sint de facto cum fructibus, an verò tantùm indita fuerit terræ virtus eas germinandi, &c. Quæ, & alia breviter expediemus.

CONCLUSIO I.

Hodie jubet Deus, *aquas per motum localem congregari in iisdem locis, in quibus sunt nunc, et exsiccata est terra, quantū opus erat, ut super eā graderetur*

animalia, *et homines*, *& posset germinare plantas*?

Prob. 1. ex ipso textu Scripturæ, qui non videtur posse meliùs intelligi juxta sensum literalem, & historicum, ut patet legenti.

Prob. 2. quoad 1. p. quia non potest meliùs explicari, quomodò id connaturaliter fieri potuerit, quàm quòd Deus jusserit statim, & quasi momentaneè terram excavari alicubi in abyssos, & foveas, & cavitates profundissimas, in venas, & alveos, & alibi elevari in montes, & colles, ut in illis fossis, & abyssis, & caveis, vel antris recluderentur aquæ, quæ ante operiebant totam terram, & per illos alveos, & venas excurrerent fontes, & flumina; nulla enim est in hac explicatione repugnantia, nec incongruitas, sicut in aliis modis, & circumstantiis hæc narrandi; ergo ita dicendum est. Prob. ant. 1. qui dicunt, aquas fuisse super terram, ita, ut globum effecerint in aliqua ejus parte, velut acervum frumenti in aliqua planitie, Deo sic eas condensante, & continente, sicut guttula aquæ effusa super terram siccam, vel pulverulentam in globulos colligitur, hi, inquam, ut minùs probabiliter loquentes rejiciuntur communiter, & contra omnem experientiam, 2. quòd dicunt alii cum Arriaga, Deum aquas in ea loca instantaneè posuisse per solam productionem miraculosam novæ ubicationis, destructa illa priori, quam habebant ab initio, sicut in instanti causat præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, ingeniosè, & subtiliter dictum, sed miracula mihi videntur multiplicare, & fingere valdè majora, & magis extraordinaria. Nam debuerunt annihilari prima ubi, & ipsæ aliquo modo aquæ, & partes terræ, quæ amotæ sunt ex illis cavitatibus, & factæ præsentes in montibus, & collibus. Fateor, non nisi miraculosè potuisse tam citò, & quasi momentaneè foveas istas excavari, & in montes coacervari terram, & tot aquas moveri; sed longè minùs hoc creditu, & captu durum est, quàm illarum ubicationum, & partium creatio, & annihilatio. Ubi apud istos Auctores est modus positivus, & absolutus; apud nos verò est pura relatio, ut diximus in Philosophia; ergo &c.

Prob. 2. pars ex eodem textu Scripturæ. Etenim per ipsam congregationem, seu recessum aquarum à su-

à superficie terræ, quam operiebant, cœpit illa apparere nuda, & sicca, ut posset habitari, & coli, & fructificare; hęc autem non poterat præstare, quandiù immersa, & operta jacebat aquis.

CONCLUSIO II.

C*Ollectis aquis, et illis nudata terra, Deus in illa, et ex illa produxit plantas omnes in statu suo perfecto secundum tempus, quo productæ sunt*. Est contra nonnullos, quibus videtur pręivisse Augustinus, [1] volens hac die solummodò inditam fuisse terræ virtutem germinandi herbas, & arbores.

Prob. 1. ex ipso textu Scripturæ. Nam postquàm legimus Deum dixisse, *producat terra*, &c. additur, quòd de facto, & ex eodem tempore, *factum est ita*, &, *Protulit terra herbam virentem .... lignumque faciens fructum*, &c. ergo non tantùm Deus 3. die indidit terræ vim germinandi herbas, & plantas, sed etiam de facto eas ex illa produxit.

Prob. 2. Nam verè congruum fuit hæc ita fieri ad nutritionem animalium, & hominum. Et re vera id ita factum legitur in sequentibus, quippe dicit Deus homini facto, *De omni ligno Paradisi comedes*, & iste comedit ex ligno vetito; ergo sexta die jam erant plantæ, & arbores perfectæ cum fructibus, saltem permultis, quos statio, seu tempus ferebat.

Dixi propterea, *secundum tempus, quo productæ sunt*. Nam cum hæc creata sint verno tempore, mihi probabilissimum est, plantas tunc primùm creatas fuisse in eo statu, quem secundum species suas exigebant singulæ, sc. alias cum fructibus vernis, alias cum floribus, quibus succedere debuerunt fructus in tempore suo successivè. Et hoc videtur colligi ex verbis Scripturæ. Nam *lignum pomiferum juxta genus suum* significat differentiam genericam, & specificam fructuum, quæ differentia notatur tum ex natura intrinseca, tum ex ratione temporum, in quibus fructus illi maturescunt. Nam aliqui ex natura sua maturescunt, & sunt vernales, alii æstivales, alii autumnales.

[1] 5. *Gen. lit.* 4. *l.* 8. *c.* 3.

Objic. Deus permittit Adæ usum lignorũ omnium, quæ sunt in Paradiso, excepto ligno scientiæ; ergo ex tunc omnia ligna ferebant fructus.

Resp. neg. conf. 1. quia licèt ex privilegio Paradisi potuisset Deus ibi voluisse ad voluptatem fructus omnes apponere homini innocenti comedendos, non sequitur, quòd in reliquis partibus terræ id fuerit concessum, 2. quia neque ex hoc textu in rigore sequitur, hoc ipso die extitisse fructus omnes, sed quòd ex omnibus fructibus, quos pro tempore poterant arbores afferre, poterat comedere.

Objic. 2. ex textu, [1] *Istæ sunt generationes cæli, & terræ, quando creata sunt... omne virgultum agri, antequàm oriretur in terra, & omnem herbam regionis, priusquàm germinaret*; ergo tunc non sunt factæ arbores in statu perfecto, sed tantùm in virtute, quam dedit Deus terræ, ut eas germinaret successivè.

Resp. neg. conf. Nam sequitur tantùm, quòd dederit terræ virtutem successivè germinandi alias plantas, & arbores post istas, quas tunc in ea, & ex ea producebat, & iis similes ex semine singularum.

Inst. Eodem modo produxit singulas plantas, & arbores; sed non omnes ex eo die produxit actu, & per se, ergo nec aliquas. Prob. min. Nam spinas, & tribulos non produxit per se, sed tantùm jussit ex terra germinari post peccatum Adæ, *Quia comedisti ex ligno*, &c. *maledicta terra in opere suo, spinas, & tribulos germinabit*, &c. ergo anteà non erant hæ plantæ.

Resp. neg. min. & conf. prob. Nam ex eo textu colligitur tantùm, quòd terra, cui dederat Deus virtutem potiùs germinandi fructus bonos, ob peccatum amiserat illam virtutem magna ex parte, & inclinata est ad germinandas spinas, & tribulos, potiùs quàm bonas herbas, & frumenta.

Quæri solet hic, 1. *an sic aquæ congregatæ sint, ut globum particularem faciant distinctum à globo terræ, ita, ut aliquæ partes aquæ sint altiores tota terra*.

Resp. 1. certum esse, quòd aquæ collectæ sunt in fossas, & cavernas profundissimas in terra; quod patet de ripis fluminum, fontium, lacuum, & marium, quæ sine dubio sunt altiores.

Resp. 2. ex dictis in Philosophia absolutè, quòd aquæ non faciunt, nisi unum globum cum terra, & quòd

[1] *Ge. 2.*

quòd altissima pars terræ altior est altissima parte aquæ. Vide hujus assertionis rationes ibi.

Dices hoc esse contra Scripturam. Nam Sapiens [1] dicit, quòd *in Verbo Domini stetit aqua, sicut congeries*, & David,[2] quòd *supra montes stabunt aquæ*, & quòd altitudo tribuitur [3] mari. *Veni in altitudinem maris*; ergo aqua est altior terra, saltem in suprema sua parte.

Resp. neg. conf. Nam sapiens loquitur de aquis ante congregationem hodiernam, & eodem sensu loquitur David, quia tunc elevabantur, & altiùs ascendebant, quàm omnes montes, & per altitudinem intelligit profunditatem, ut cùm dicit Christus, *Duc in altum*. Et quando idem Propheta loquitur de his sine figura, potiùs docet, terram fundari super mare,[4] *Super maria fundavit eam*, & quòd [5] *congregat sicut in utre aquas maris*, & navigantes *descendunt mare in navibus*.

Dices. Aqua est levior terra; ergo centrum ejus est excelsius centro terræ, alioqui esset semper in statu violento, & extra centrum, sicut & ipsa terra.

Resp. neg. conf. Nam terra est semper sub aqua, quoad centrum, illamque continet, ne difluat, licèt alicubi sit etiam super illam, sed semper se ipsam sustinens in centro suo.

Quæres 2. *quomodò tam brevi tempore fuerint formatæ tantæ cavitates ad recipiendas tantas aquas, & istæ tam cito collectæ sint, & terra exsiccat.*

Resp. hæc fieri potuisse per solam Dei jussionem. *Jussit Dominus, & facta est terra; jussit Dominus, & facta sunt maria*, &c. ait Chrysost. Dicunt aliqui, hæc præstitisse per Angelos. Id potuit fieri, sed difficiliùs. Recurrunt alii ad ventum; alii ad solem, per quos exsiccatam putant terram. Sed sol nondum extabat, & de ventis difficilius est creditu. Quantus enim ventus fuisset necessarius, ut intra diei partem exsiccaretur tanta humiditas, quæ ex aquarum recessu, & copia relinquebatur.

Quæres 3. *an tunc etiam facta fuerit marium, lacuum, fluviorum, & fontium distinctio.*

Resp. affirmativè. Nam sicut Deus eam distributionem aquarum judicavit utilem mundo, tum ad or-

[1] Eccl. 39. [2] Ps. 103. [3] Ps. 39. [4] Ps. 23. [5] Ps. 106.

natum, tum ad utilitatem, non debuit differri, & per eam verbi ejus jussionem potuerunt hæc omnia disponi.

Dices, Moyses dicit, aquas fuisse in locum unum congregatas; ergo priùs congregatæ sunt in unicum locum, deinde successivè distributæ sunt in fluvios, lacus, & fontes.

Resp. neg. conf. Nam illa unitas loci non est mathematica, sed moralis, aut saltem unitas contiguitatis, imò & continuitatis, si non externæ, saltem internæ. Nam maria omnia per fluvios, & fontes, & subterraneos meatus communicant. Et sic aquarum locus est unus per aggregationem, vel contiguitatem, vel moraliter, ratione distinctionis à terra discooperta. Hic sensus, & explicatio videtur confirmari ex eo, quòd congregationes illas pluraliter expressit, significans aquas in pluribus foveis, & locis collectas. *Congregationes aquarum appellavit maria.*

Quæres 4. *an terra ad productionem plantarum concurrerit efficienter, sicut nunc, an verò materialiter tantùm, & passivè.*

Resp. 1. utroque modo id fieri potuisse, sc. vel à Deo solo effectivè, terra concurrente tantùm materialiter, seu materiam subministrando, vel etiam concurrente activè, sicut deinceps concurrit. Nulla enim est in utroque implicantia. Probabile autem est, terram concurrisse etiam effectivè, quia Scripturæ verba id satis apertè significant. Dicitur enim, *Germinet terra herbam ... & lignum*, &c.

Id confirmatur, quia, ut docet Scotus, Deus non negat creaturis causalitatem, quæ potest eis competere, imò & illam eis communicat, & ad ejus actionem causis secundis assistit. Fateor, quòd prima illa vice per suam omnipotentiam supra vires terræ, & omnium agentium creatorum fecit, ut tam subitò hæc germinaret. Sic etiam permisit Virgini Deiparæ concursum ad generationem corporis Christi cum Spiritu Sancto. Et favet August. *Terra*, inquit, *ad Dei verbum ea produxit.*

Quæres 5. *an tunc ubique, & per universam terram producta fuerit tanta plantarum multitudo, non solùm generica, et specifica, sed etiam individua, quanta nunc existit.*

Resp.

Resp. probabilius videri, quòd non nisi aliqua individua singularum specierum tunc facta sint, quę deinde successivè propagata sunt. Ratio est, quia id sufficiebat Divinæ providentiæ, & omnipotentiæ, ac bonitati. Certè non omnes, & singulas easdem ubique fecit, sed diversas in diversis partibus, ut nunc videmus. Jam enim non omnis fert omnia tellus, & quotidie videmus, aliquas ex una parte orbis in alias transferri.

Dices plantæ nocivæ, aut inutiles, vel venenosæ, & spinæ, & tribuli non fuerunt tunc productæ, sed tantùm post peccatum; ergo non omnes species, & genera plantarum tunc fuerunt producta.

Resp. neg. ant. Nam habent omnes suam virtutem, & utilitatem, & perfectionem, & decorem in Dei providentia.

QUÆSTIO VI.

De operibus quartæ diei.

IN hac die dixit Deus, *Fiant luminaria in firmamento cęli, et dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, et annos, ut luceant in firmamento cæli, et illuminent terram, fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et dividerent lucem, ac tenebras*. Porrò de syderum natura, luce, motibus, & influxibus nihil hìc restat dicendum, suppositis, quę diximus in Philosophia, toto tractatu de Cœlo. Pauca hìc igitur restant examinanda. Nam reliqua sunt clara in textu. Sit igitur

CONCLUSIO I.

QUarta die produxit Deus Solem, Lunam, & stellas in cælis, in quibus nunc sunt. Est communis contra aliquos, qui putant, astra fuisse facta 1. die, & in 4. die fuisse affixa cęlo, ut Rabbini quidam, imò & inter Catholicos Cajetanus, & Catharinus, & contra alios, qui putant, astra formata ex illa luce, quam vidimus 1. die factam, ut Theodoretus.

Prob. autem ex ipso textu, in quo iisdem verbis nat-

narrantur facta illa luminaria, quibus die præcedenti dicebantur productæ herbæ, & arbores. *Fiant luminaria .... fecitque Deus duo luminaria*, &c. ergo sicut ex illis verbis tertiæ diei infertur, herbas, & arbores verè fuisse productas, ita ex istis colligitur, astra verè fuisse producta 4. die. Quod confirmat August. [1] *Quarto die luminaria, et sydera creata sunt*. Et certè sicut 1. die terra fuit creata *inanis*, *et vacua*, & ad 3. diem remissa productio plantarum; ita est de cœlo, quod creatum est 1. illa die, & posteà ornatum astris 4. die; ergo hac tantùm die producta sunt astra, & quidem quoad formam suam substantialem, & non quoad accidentales tantùm, ut docet Valentia.

Objic. 1. luminaria, seu astra, dicuntur à continentia lucis, sed lux 1. die facta est; ergo & astra.

Resp. dist. maj. à continentia, & efficientia lucis propriæ, & sibi innatæ, con. à continentia lucis alienæ, seu distinctæ à propria forma, neg. maj. & conf. Sol non continet lucem velut substantiam, vel qualitatem distinctam, ut vasa continent liquores, sed formaliter, & intrinsecè, sicut ignis calorem, & est illi propria. Diximus autem, quòd lux 1. die facta solis vicaria fuit, & dispositivè in ordine ad ornatum cœlorum, & mundi in Sole, & stellis consummandum 4. die.

Quæres 1. *cur in istam diem dilata fuerit astrorum creatio, et cur non 1. die facta sint cum luce*.

Resp. In his, & similibus præcipua ratio facti est voluntas sapientissima facientis. Tamen Theologi suspicantur, id ita factum, ne rerum, & maximè planetarum effectio tribueretur Soli, & inde occasionem sumerent Hebræi adorandi Solem velut rerum opificem, ut contigit multis Idololatris.

Quæres 2. *cur Sol, et Luna dicantur luminaria magna, cùm plura alia sydera superent ista in magnitudine, et maximè Lunam*.

Resp. dici magna, non secundum se absolutè, sed respectivè ad nos, quia cùm sint nobis propinquiora, majora apparent cæteris, quæ sunt longè altiora.

Quæres 3. *ex qua materia facta sint astra*.

Resp. Volunt aliqui, quòd ex materia elementari ignis, & ideò illa esse ignea, alii ex aqua, alii probabiliùs ea facta esse ex materia cœlesti; & id mihi proba-

[1] *L. 5. Gen. 5.*

babilius videtur, quia locum talis materiæ occupant in cœlis, alioqui debuissent loca eorum mansisse vacua per dies præcedentes, vel admittenda esset penetratio, vel destructio, seu annihilatio materiæ occupantis ea spatia.

Quæres 4. *quo sensu luminaria dicantur in signa.*

Resp. Id non dici, quasi ex eorum aspectu prævideri possint futura, etiam libera, ut volunt Astrologi Judiciarii, sed quia designant tempora, eorum varietates, sc. dies, menses, & annos, &c. ut patet in textu. Unde monet Jeremias [1] *à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes.*

Quæres 5. cur Moyses de Sole, & Luna tantùm fecerit mentionem, non de aliis planetis.

Resp. Fortè, quia isti duo sunt nobis propinquiores, & notiores, alii verò sunt noti doctioribus Philosophis, & Astrologis. Moyses verò, qui rudiorem populum edocebat, reliqua sub stellarum nomine comprehendit.

Quæres 6. an Luna facta fuerit crescens, vel decrescens, vel in plenilunio.

Resp. Id incertum; fortè in plenilunio ob majorem pulchritudinem.

Quæres 7. cur dicantur dividere diem, ac noctem.

Resp. quia alternatim lucent, Sol in die, & Luna in nocte, & sic Sol diem facit, & designat sua præsentia, Luna verò, & stellæ noctu apparent.

QUÆSTIO VII.

De operibus quintæ diei.

IN hac die narrantur facta animalia aquea, & aerea. Dixit enim Deus, *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli, creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum.* Ut vides, opera hujus diei spectant ad ornatum aquæ, & aeris, sicut opera 4. sunt ad ornatum cœli, & opera

[1] *Jerem.* 10.

3. scilicet plantæ sunt ad ornatum terræ. Hìc etiam pauca restant examinanda, quia clara sunt in textu.

CONCLUSIO.

Quinta die producti sunt pisces, et aves ex aqua non tantùm in virtute, sed etiam in re, et secundum species suas in statu perfecto.

Prob. 1. ex ipso textu, maximè quoad 1. partem. Nam sicut ex terra productæ dicuntur plantæ, & id colligitur ex verbis Scripturæ, ita ex aqua pisces, & aves. Dixit enim Deus, *Producant aquæ*, &c. Quod agnovit Scotus, [1] docens, quòd *aliquando mixtum fuit factum ex uno elemento; patet per literam Genesis, ubi suprà, Producant aquæ reptilia*, &c. Quòd autem non solùm pisces, sed etiam aves sint ex aquis, patet ex eodem textu. Alioqui enim esset error in Biblia, quæ dicitur vulgata, in qua expressè legitur, *Producant aquæ reptile, et volatile*; ergo tam volatilia, quàm reptilia, seu pisces, facta sunt ex aqua, licèt illa in aere, ista in aquis vivant.

Confir. 1. quia id agnoscit Ecclesia, canens post Ambrosium, *Magnæ Deus potentiæ, qui ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim levas in aera.* 2. quia aves, & pisces aliquo modo conveniunt in motu. Illi enim quasi natant, & moventur alis, & cauda in aere, sicut isti in aquis: utrique ovipari sunt, & lacte carent, &c.

Prob. 2. pars. Nam, ut dicebamus de plantis, ex omnibus generibus, & speciebus talium viventium debuerunt aliqua effectivè, & in statu actuali, & perfecto creari, tum ob decorem universi, *ut Dei perfecta essent opera*, tum ut essent in statu crescendi, & multiplicandi in suis speciebus, juxta Divinum mandatum, & benedictionem. Quomodò enim propriè dixisset, *Crescite, et multiplicamini*, &c. si nulla tunc hujusmodi animalia extitissent actu, sed tantùm potentia, & in virtute indita aquis; ergo signum est, illa tunc extitisse ex singulis speciebus in statu perfecto ad multiplicandum.

Dico,

[1] *d. 15. D. 7.*

Dico, *ex singulis speciebus*. Nam quoad multitudinem individualem, non fuit tunc necessaria, nec utilis, sed sufficit, quòd ex eo tempore propagata fuerint, ut Deus jubebat.

Objic.1.con.2.p. Aves dicuntur factæ ex terra. *Formatis de humo terræ cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam*. Et prior ille textus, quem adduximus ex vulgata, sic redditur ex Chaldaica, & Hebraica, *Reptificent aquę reptile animæ viventis, et volatile volet super terram*; ergo aves non sunt ex aqua.

Resp.neg. cons. Nam locus ille ex capite 2. sub nomine terræ intelligit omnia elementa inferiora, nec per istum debet inferri contradictio ad præcedentem textum, qui clarissimus est, nec ex illis versionibus potest inferri aliquid in præjudicium vulgatæ, quam sequendam jubet Ecclesia in Concilio Tridentino, & quam sequuntur in hoc SS. Patres communiter. Et Septuaginta legunt, *Producant aquæ reptilia animarum viventium, et volatilia volantia super terram*. Et Paraphrasis etiam Chaldaica dicit, *Producant aquæ reptile animę viventis, et avē, quę volet super terram*.

Objic.2. Deus produxit animantia ex elementis, in quibus vivunt, v.g. pisces ex aqua, & animalia ex terra, quia vivunt in aquis, & in terra; ergo similiter debuit, & voluit creare aves ex aere, sicut vivunt in aere.

Resp. neg. cons. Non enim possumus Dei voluntatem meliùs scire, quàm ex Scriptura, quam ipse revelavit, & dictavit. Præterea fortè aves factę sūt ex tenuiori, ac velut nebulosa materia: fortè etiam propter vicinitatem, & magnam convenientiam aeris, & aquæ. Utrunque enim elementum est diaphanū, humidum, molle, subtile, agitabile, & aer facilè resolvitur in aquam, & hæc evaporatur in aerem. 3. quia multæ sunt aves aquatiles, ut cygni, anseres, anates, merguli, halcyones, &c. *Quidquid ergo aquarum sive labiliter undosum, et fluidum est, sive vaporaliter tenuatum, atque suspensum, ut illud reptilibus animarum, hoc volatilibus appareat distributum, utrunque tamen humidæ naturæ deputatur*, ait August. [1]

Quęres, *cur pisces reputentur inter reptilia*.

Resp. quia, sicut reptilia, super ventrem moventur, nec

[1] 3. Ge. 3.

nec habent pedes. *Animal omne, quod movetur* (inquit Seraphicus Doctor) *aut movetur impellendo se in anteriora, idque facit vel pedibus, et est gressile, vel alis, & est volatile: aut movetur, seipsum trahendo antrorsum, idque fieri potest 4. modis, vel ut trahat se vi oris, sicut vermes, vel vi costarum, et ventris sicut serpentes, vel vi pinnularum, ut pisces, vel denique dicuntur repere, non proprie, sicut lacertæ, et stelliones, qui licèt pedes habeãt, exiguos tamen habent, et parùm se attollunt humo, magnamque partem corporis, dum moventur, applicant terræ; quocirca etiam ista repere dicuntur.*

Queres 2. *cur nunc primùm audiatur nomen viventis, non verò 4. die, cùm productæ sunt plantæ, quæ non minùs vivunt.*

Resp. quia in animalibus vita est sensibilior, & perfectior propter motum. Undè dicitur, *Producant aquæ reptile animæ viventis, quasi in plantis sit anima vires, & in animalibus sit anima vivens, quia hęc moventur, et sentiunt, illæ verò minimè*, ait S. Bonaventura.

Quæres 3. *quid significetur per cete grandia.*

Resp. significari grandiores pisces, ut balenas, quæ sunt velut dracones aquatici. Quippe *cete* ex vi vocabuli Hebraici est *draco*. Illi enim tantæ sunt molis, ut balenæ, ut, cùm super aquas dorsum efferunt, videantur insulæ. Ferunt enim in mari Indico occupare quaternum jugerum, pristes verò ducentorũ cubitorum, & anguillas in Gange tercentum pedum; alii feruntur fuisse sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum latitudinis. Licèt autem sint alia terrestria ingentis magnitudinis, & maximè dracones, tamen non æquant illa aquatilia.

Dices, cur hos potiùs dicatur Deus fecisse, quàm alios.

Respondent aliqui, quia putabãtur sic excrevisse, non verò facti ex Dei consilio: alii, quòd in eis se mirabiliorem ostendat Deus conditor, & faciliùs credendus est creator minorum bestiarum. *Ubi reptilia, quorum non est numerus*, inquit Regius Psaltes. [1]

Quæres denique, cur aquatilia, & volatilia præferat aliis animalibus terrestribus, & perfectioribus.

Resp. quia Deus, sicut natura, ab imperfectioribus incipit, & ad perfectiora progreditur. Undè ultimus est homo.

[1] *Ps.* 103.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De operibus sextæ diei.

DEnique post ornatos cœlos, aquam, & aerem, summo terræ incumbit ornatui Deus, per animalium, & hominis formationem. *Dixit quoque Deus, Producat terra animam viventem, in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ, factumque est ita... et ait, Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, &c. Unde hac die complevit Deus opera sua per creationem animalium terrestrium, & merè corporalium, & hominis, qui ex corpore, & spiritu participat, & cæteris jam perfectis operibus præesse debebat, quasi finis, & dominus.

CONCLUSIO I.

T*Otum opus sextæ diei consistit in productione animalium omnium terrestrium, et hominis, et mulieris.* Est communis, nisi fortè quoad Hevam, quam putant aliqui productam fuisse post sextam, aut septimam diem, & extra ordinem aliorum operum.

Prob. 1. p. de animalibus, & homine. Nam hoc patet ex ipso textu, qui quoad utraque est clarissimus.

Prob. 2. p. de Heva. Nam dicitur, *creavit Deus hominem ad imaginem suam... masculum, et fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait, Crescite, et multiplicamini.. et factum est vespere, et manes dies sextus*; ergo in eadem sexta die utrunque fecit, hominem sc. & feminam.

Objic. 1. Sunt quædam animalia, quæ nascuntur ex commixtione diversarum specierum, ut muli ex equa, & asino, & alia innumera monstra in Africa quotidie nova reperiuntur, alia nascuntur ex putri, ut ranæ, alia ex excrementis, & pravis humoribus, ut pediculi, & pulices, & vermes, alia sunt nociva hominibus, ut serpentes, & per consequens non est probabile, hæc futura, nec facta esse ante peccatum hominis; ergo Deus ea die non fecit omnia animalia terrestria.

Resp.

Resp. neg. conſ. 1. quia licèt tunc non fecerit illa animalia ſpuria, & adulterina, ſufficit creaſſe omnes ſpecies proprias animalium, ex quorum commixtione illa naſcuntur; 2. quia licèt ranæ, vermes, & alia ſimilia naſcantur ex putri materia, tamen etiam naſcuntur ex ovis, & ex vera generatione, 3. quia licèt poſt peccatum quædam fuerint nociva, & inimica homini, tamen ſuum habent locum, & perfectionem, ſeu bonitatem in univerſo. Et patet ex ipſa Scriptura, fuiſſe ſerpentem ante peccatum, qui dicitur tunc fuiſſe callidior omnibus aliis animantibus.

Objic. 2. De Heva, quæ narratur facta ex hominis coſta ipſo dormiente, poſtquam introduxit eum in Paradiſum, & poſt prohibitionem edendi de ligno ſcientiæ. Tunc enim dixit Deus. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*; ergo Heva non fuit niſi poſt ſextum, & ſeptimum diem.

Reſp. neg.conſ. Nam quæ in ea parte 2. narrantur facta, non ſic dicuntur, quaſi tunc tantùm, & eo ordine facta ſint, ſed hæc dicit Moyſes per quandam recapitulationem, & fuſiùs, & per circumſtantias ſingulariores explicat facta, quæ antè dixerat ſuccinctè, & compendiosè. Unde tunc tantùm dixerat, *Maſculum, et fœminam creavit eos*, jam verò narrat, quomodò 1. maſculum fecit, deinde fœminam ex ejus latere formavit.

Inſt. Magiſter, & Scotus agunt de formatione Hevæ, poſtquàm egerunt de operibus ſextæ diei, de his enim agunt diſt. 15. & de illa loquuntur tantũ diſt. 18. ergo cenſent Hevam fuiſſe formatam extra illos dies.

Reſp. neg. conſ. Nec enim id ſequitur ex illo ordine dicendi, ſed tantùm, quòd propter excellentiam operis diſtulit de illo tractare ſpecialiter, & extra ordinem aliorum operum.

Quæres, *utrum in igne, vel ex igne aliqua formaverit animalia, ſicut ex aliis, & in aliis elementis.*

Reſp. negativè. Nihil enim de talibus legitur in Scriptura. Ratio fortè eſt, quia ignis eſt elementum activitate ſua omnia devorans, & licèt Deo non deeſſet potentia in eo conſervandi, & ex eo formandi plura, tamen non placuit hæc facere, quandoquidem facta non dicuntur.

Quod autem putant aliqui, quædam animalia vivere

vivere in igne, non reperitur verum, ut de salamandra, pyrausta, lampyride, quæ licèt faciliùs, & aliquandiu resistant igni propter innatam frigiditatem, & humiditatem, tamen ab eo tandem consumuntur, ut tradunt experti, ut Galenus, & Matthiolus, & alii.

Quæres 2. *Quo sensu dicatur, quòd post opera hujus diei complevit Deus opus suum, et requievit ab omni opere, quod patrarat.*

Resp. hæc significare, quod usque ad 7. diem Deus incubuit operibus prænarratis perficiendis, & mundi opificio complendo, in hac verò 7. quievit à novis creaturis, & rebus faciendis, non autem ex fatigatione quievit, nec à rerum conditarum conservatione, gubernatione, & multiplicandarum cooperatione. De 7. die, vide commentatores.

DISPUTATIO II.

De hominis creatione in statu naturali.

Summum opus creationis, & sex dierum, sicut & ultimum fuit homo, cujus excellentiam, non est, quòd hìc laboremus describere; sufficit dixisse, *quòd ad imaginem, et similitudinem Dei factus est*. Non enim potest altiùs extolli. Porrò de hominis formatione, partibus, & compositione corporali diximus in tr. de generatione; de illius animæ substantia, dignitate, & immortalitate, in tr. de anima, quantum ad Philosophum spectat. Jam quæ ad Theologum, & maximè Scholasticum propriè pertinent, restant examinanda. Dico, *Scholasticum*. Nam plurima, quæ notari possunt de circumstantiis creationis Adæ ad sensum Scripturæ relinquimus Expositoribus, & Interpretibus Scripturæ Sacræ.

Potest autem considerari homo secundum dotes purè naturales, seu in statu puræ naturæ, vel secundum supernaturales, & in statu gratiæ, seu innocentiæ originalis, vel denique secundum depravationem peccati, seu in statu peccati. Et illum ordinem sequemur incipientes à primo.

QUÆSTIO I.

De formatione corporum Adæ, et Hevæ, ex quo, et quando, et quomodò formata sint.

MOyses sic describit formationem hominis, *Formavit Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*. Et, ut ex Hebręo legunt, *Plasmavit Deus hominem pulverem, vel lutum de terra*. Unde videtur, Deum 1. corpus hominis ex luto in modum statuæ delineasse, sicut plastæ fingunt homines luteos. Ideò Job dicebat, *Memento, quòd sicut lutum feceris me*. Deinde carnem induxit, aliasque formas corporeas, & organicas. Tum organizatione perfecta creavit in eo animam rationalem. Sed controvertitur 1. an hæc Deus per se immediatè fecerit, an per Angelos, 2. an simul, & uno instanti ea omnia præstiterit, an successivè, 3. an tunc primum creata fuerit anima Adæ in ejus corpore, an extra corpus creatæ sint omnes, 4. an verè, & realiter formatum fuerit corpus Hevæ ex costa Adæ, an in sensu tantùm morali, aut allegorico.

CONCLUSIO I.

COrpus *Adæ formatum fuit immediatè à Deo ex limo terræ in eo loco existentis*. Est communis quoad utranque partem, contra aliquos putantes, illud corpus fuisse formatum per Angelos, & alios dicentes, Deum collegisse terram illam ex quatuor mundi partibus.

Prob. 1. p. 1. ex ipso textu, in quo semper ista formatio tribuitur Deo. [1] *Creavit Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam*. Et ipse Deus, non Angelus ullus inducitur dicens *Faciamus hominem ad imaginẽ*, &c. Et infrà, [2] *Formavit Dominus Deus hominem*. Item ex Patribus. Nam Tertull. [3] loquens de hominis dignitate inquit, *Quantum contulit ille, qui eum fecit jam tunc gloriantem, quòd illa pusillitas, limus, in manus Dei, quæcunque sunt, pervenit? Satis bea-*

[1] *Gen.* 2. [2] *Job.* 10. [3] *De Resur.* 6.

beatus, *& si solummodò contactus... Itaque toties honoratur*, *quoties manus Dei patitur*, *dum tangitur*, *dum decerpitur*, *dum effingitur*, &c. & S. Ambros. versans illud psal. 118. *Manus tuæ fecerunt me*, *& plasmaverunt me*, addit, *Bestias non fecerunt manus tuæ*, *sed dixisti*, *Producant aquæ reptilia*, *& produxit terra quadrupedia... me autem fecisti*, *me tuis manibus figurasti*, &c. *SS. Basilius*, *Ambrosius*, *& Cyrillus sic docent hominem à Deo sine alio conditum*, *ut contrariam sententiam vocent Judaicam*, inquit Cornelius à lapide, &c. ergo ex Patribus homo immediatè à Deo formatus est, non per Angelos.

Prob. 2. ex Scoto, [1] quia Angelus *non potest formare mixtum perfecta*, *seu plena mixtione*, *nec potest introducere formam ullam substantialem in materia*, &c. ut diximus tr. superiori.

Prob. 3. quia eodem modo loquitur Moyses, & adscribit Deo istud opus, ac omnia alia; sed alia non dicuntur per Angelos facta; ergo nec istud.

Prob. 2. p. sc. quòd productus sit de limo terræ. Nam licèt facile fuerit Deo formare hominem, vel immediatè de nihilo, vel de materia aliqua subli-miori, v. g. cœlesti, tamen sic illi placuit, fortè ad humiliationem ejus, ne sc. superbiret, sciens, quòd *pulvis est*, *& in pulverem revertetur*. Unde Scriptura illi exprobrat; *Quid superbis terra*, *& cinis?* Et Sapiens dicit, [2] quòd *Deus de terra creavit hominem*.

Prob. 3. p. quia sine ullo prorsùs fundamento dicitur, Deum aliunde limum, seu terram illam asportasse, v. g. ex quatuor partibus mundi, & absque necessitate multiplicantur nova miracula, quibus tam brevi temporis spatio adduxerit terram ex ultimis mundi finibus, sc. ex Africa, America, Asia, & Europa; ergo dicendum est, terram illam, ex qua sumptus est Adam, fuisse ex loco ipso, in quo formatus est. Igitur formatus est de terra rubra, Unde dictus est Adam, quæ est in agro Damasceno.

Dixi *de limo terræ*, non de simplici pulvere, quippe cùm sit purus, & aridus, non fuisset aptus plasmationi, sed de pulvere diluto, & humectato liquo-re.

[1] *2. d. 8. B. 3.*
[2] *Eccl. 17.*

re aqueo; & sic coalescebat ex pluribus elementis.

Objic. 1.con. 1.p. August. docet, quòd Deus corporalia per Angelos disponit; ergo & corpus hominis per illos formavit.

Resp. neg.conf. quia licèt id verum sit de his, quæ fiunt in rerum administratione post conditum orbem, tamen in illo initio per se ipsum voluit omnia creare.

Scotus notat triplicem actionem in hominis formatione, sicut & in ejus resurrectione, 1. collectionem materiæ, sc. pulveris, & cinerum, 2. inductionem formæ corporeitatis, & 3. animationem, 1. potuit fieri per Angelos, & fiet in Judicio, cùm Angeli à quatuor ventis congregabunt electos, at 2. & 3. per solum Deum fieri possunt.

Objic. 2. Si Deus per se formasset hominem, non loqueretur de se ipso pluraliter dicens, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, quippè summè unus est, & singularissimus; ergo illa loquutio, & actio non potest convenire nisi Angelis, qui plures sunt, & quibus homo assimilatur potiùs, quàm Deo.

Resp.neg.ant. Nam, ut aliàs notavimus, illa pluralitas refertur non ad Deum absolutè, sed ad Personas Divinas; & sic loqui voluit in solius hominis formatione, quia in illo solo voluit se manifestare unum, & trinum, ut notant SS. Patres, & Theologi, sc. in unitate substantiæ animæ, & trinitate potentiarum ejus.

Objic.con. 2.p. Corpus hominis constat ex quatuor elementis; ergo non ex sola terra factus est.

Resp. dist. ant. Ex quatuor elementis negativè, & velut à termino à quo, con. tanquam ex partibus intrinsecis, & formaliter, & actu componentibus, neg.ant. & conf. Corpus hominis, sicut & alia, est mixtum quoddam, in mixto autem non manent formaliter elementa, ut diximus in Philosophia.

CONCLUSIO.

P*Otuit Deus formare corpus Adæ, et creare animam successivè, aut simul, et eodem instanti temporis,*

an

an ita fecerit, vel successivè, incertum est, probabilior est aliqualis successio, non quòd priùs anima creata fit. Est communissima quoad 1. & quoad 2. videtur certa, quoad 3. videtur communior, & quoad 4. est certissima contrà Origenem, qui voluit animas omnes creatas esse cum Angelis, & ob peccata aliquas eorum tradi in corpora, quod erroneum est, & contra definitionem Ecclesiæ contra Priscillianistas.

Prob. 1. p. quia nulla est in utroque repugnantia; ergo utroque modo potuit formari.

Prob.2.p. quia nulla ratio positiva, nec authoritas Scripturæ determinat illam successionem, vel simultatem instantaneam hujusmodi creationis, ut patet legenti; ergo &c.

Prob.3.1. p. quia modus loquendi Scripturæ innuit aliquam successionem per diversitatem actionum. Dicit enim, quòd *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, &c. sc. formationem corporis præmittit animationi. Imò & ipsa vox formationis ex limo terræ innuit 1. collectionem pulveris, & 2. mixtionem ejus cum aqua, vel alio liquore, 3. plasmationem, & figurationem partium corporis, & denique inspirationem in faciem, quæ omnia successionem insinuant. Et ideò SS. Patres ut Chrysostomus, [1] & Augustinus, & Bonaventura, & alii graves Theologi sic censent.

Confir. quia hæc omnia, quæ narrantur de hominis formatione indicant aliquos motus locales terræ, & partium ejus; ergo & successionem, quæ videtur inseparabilis à tali motu.

Prob. 2. quia nisi priùs formatum fuisset corpus Adæ, quàm animatum, non deberet potiùs dici, Deum inspirasse in faciem, quàm in cor, vel aliam partem quamlibet corporis, quandoquidem ea omnia simul fierent, sc. corpus, & anima, & animatio.

Prob.4. p. ex dictis in tr. de anima. Sine ullo enim fundamento, & contra omnes rationes fingitur, animas extra, & ante corpora produci.

Objic. 1. con. 2. & 3. p. Scriptura dicit, statim factum esse, non corpus, nec animam, sed totum hominem, *Faciamus hominem*, & *Creavit hominem*, &

[1] *ho.12.et 13.Gen.*

& Formavit Deus hominem ; sed corpus non est homo ; ergo non priùs creavit corpus, quàm animam.

Resp. dist. maj. Factum esse hominem successivè, aut instantanee, & simul, con. instantanee, & simul, neg.maj. Sic diceres, à fabro factam esse domum, aut statuam, nec tamen inferres, illa facta esse simul.

Inst. Cætera animalia facta sunt simul; ergo & homo. Prob. cons. quia majoris est dignitatis, quòd factus sit simul, & uno instanti, quàm successivè.

Resp. neg. cons. & ant. prob. Nam potiùs major applicatio, & amor ex parte Dei apparet in illa operatione successiva, & per partes.

Igitur probabilius est, formationem, & organizationem corporis Adæ factam fuisse successivè per partes, sed in ipso instanti ultimatæ, & perfectæ organizationis Deum creasse in tali corpore animam rationalem.

CONCLUSIO III.

C*Orpus Hevæ realiter, et verè formatum fuit ex costa Adæ*. Est communis, & dicitur de fide contra Cajetanum, qui putat, hoc dictum esse allegoricè, ut significetur, hominem debilitari per matrimonium.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui non dubitat, quin verè ex costa formatum fuerit corpus Hevæ, sed *in illa costa non fuit ratio seminalis*: quod probat, quia costa illa non erat materia propinqua generationis corporis Hevæ, sicut est verum semen in generationibus naturalibus. Et clariùs in Reportatis. Dico, inquit, *quòd propriè loquendo de semine, illud dicitur semen, quod est in potentia propinqua, et proximè se habet ad formam inducendam. Quia igitur non fuit potentia in costa, ut immediatè ex ipsa fieret corpus mulieris per agens naturale, ideò non propriè potuit corpus formari ex costa per actionem seminalem*, &c. *Solùm impropriè potuit dici semen respectu corporis*, &c. ergo Scotus supponit, verè corpus Hevæ formatum fuisse ex costa. Nam, si putasset, id dici tantum mysticè, & allegoricè, frustrà laborasset sustinendo, costam non habuisse rationem veri seminis.

Prob.

[2] *2.d.8.M.12.q.2.n.1*

Prob. 2. ex clarissimis Scripturæ textibus historicis, qui per consequens debent sumi literaliter, quantum possibile est. Dicit itaque, [1] quòd *Immisit Deus soporem in Adam, & quòd cùm obdormisset, tulit unam de costis ejus... et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*. Profectò vanè notasset Moyses tot circumstantias hujus facti, nisi verum esset physicè, & ut narratur. Additur, quòd facta muliere Deus *adduxit eam ad Adam, qui dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Quod ex multis aliis Script. locis confirmatur. Nam inquit Sapiens, [2] *Deus de terra creavit hominem, et creavit ex ipso adjutorium simile sibi*, sc. mulierem. Et Paulus, [3] *Non vir ex muliere, sed mulier ex viro*.

Confir. ex SS. Patribus. Dicit enim Hieronymus, [4] non posse aliquem in Deum credere, nisi credat, vera esse, quæ scripta sunt, inter quæ numerat, *Adam à Deo plasmatum, Hevam ex costa illius, et latere fabricatam.* Et S. Chrysost. [5] *Ne homo solus habitaret in terra, fecit illi adjutorium, evulsa costa è latere implevit carnem, applicavit ad Adam, ut ei nomen imponeret*, &c.

Prob. 3. quia quòd hæc in vero, & physico sensu capiantur, nulla includitur repugnantia, vel absurditas; ergo quandoquidem hæc ita narrantur facta, ita debent intelligi. Nec enim potest alia fingi ratio hæc à vero, & reali sensu detorquendi, quàm vel impossibilitas, vel absurditas, maximè in iis, quæ pendent ex Dei voluntate.

Objic. 1. pro Cajetano. Adam ante, vel post formationem Hevæ fuisset monstruosus, si ab eo fuisset verè ablata costa; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. maj. Nam vel illa costa erat superflua, & sic deformis erat antè, vel necessaria, & sic restabat mancus, & defectuosus; ergo & monstruosus ante, vel post illam Hevæ formationem.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Nam nec superflua erat, nec necessaria absolutè, ita, ut ejus defectu, vel præsentia oriretur ulla monstruositas, quia inquit textus, *Deus replevit carnem pro ea*, sc. loco avulsæ costæ posuit carnem, qua omnis defectus reparabatur.

Objic.

[1] *Ge.2.* [2] *Eccl.17.* [3] *1.Cor.12.*
[4] *Ep.ad Phill en.* [5] *Ho.3.Gen.*

Objic. 2. Unica illa costa non sufficiebat ad formationem totius corporis; ergo potior materia ejus aliunde sumpta est, quàm ex costa Adæ; ergo Heva potiùs dicenda est formata ex terra, aut aliunde, quàm ex costa Adæ. Ant. patet. Nam corpus Hevæ constabat aliis pluribus costis, & aliis ossibus, & membris; ergo maxima pars aliunde sumpta est.

Resp. neg. 2. conf. Nam ideò dicitur Heva formata ex costa Adæ, quia hæc fuit materia notabilior, & quasi prima, & fundamentalis totius ædificii, licèt alia longè major quoad molem ex terra, vel aere, aut aliunde sumpta fuerit. Nobis sufficit, quòd ad hæc verè sumpta fuerit costa.

Objic. 3. ex Scriptura, Heva, & Adam simul creati sunt sexta die, & uterque existebat ante circumstantias temporis, in quo hæc facta narrantur; ergo hæc non sunt intelligenda literaliter. P ob. ant. 1. Nam cap. 1. dicitur, *masculum, et fœminam creavit eos*. 2. cùm loquitur textus de costa ista, dicit, quòd *Deus adduxit Hevam ad Adam*, ergo ab ipso recesserat, & distabat, quando formata est, quod non esset verum, si ex ejus latere formabatur. Tunc enim non poterat ab ejus latere distare. 3. quia idem dicitur de animalibus terrestribus, quod de Heva, sc. quòd Deus adduxit ea ad Adam, ut vocaret ea, & tam Hevæ, quàm bestiis nomina dedit. 4. quia tunc dixit de Heva, *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, ergo sicut id moraliter dicitur de aliis uxoribus, ita & de ista, & sicut Heva, nec aliæ non dicuntur realiter, & verè formatæ de carne Adæ, ita nec verè id dicitur de costa.

Resp. neg. 1. ant. & consequentias omnes deductas ex illis textibus. Nam cùm dicit Moyses, quòd Deus eduxerit fœminam de costa, narrat circumstantias formationis ejus, quas omiserat anteà, contentus dixisse compendiosè, quòd masculum, & fœminam creavit eos, & cùm istud dicit, non docet, eos eodem instanti, & simul creatos. 2. hinc sequitur tantùm, quòd Deus, accepta costa seorsum formavit Hevam, & posteà adduxit eam ad Adam, vel *adducere* ponitur pro *ostendere*, aut *præsentare*. 3. ex bestiis nihil rectè infertur. Nam cùm illas adducit Deus, non dicit, *Faciamus Adæ adjutorium simile sibi*, ergo

tunc

tunc non erat fœmina, sed tunc tantùm facta est, & quidem antequàm bestias adduceret. 4. denique sine fundamento aptantur omnibus uxoribus illa verba Adæ, *Hoc nunc os ex ossibus*, &c. Nam id verè potuit dicere de sua, quæ formata fuerat de suis ossibus, & carne sua, quæ sine dubio adhærebat costæ, non de aliis. Nam Sara non erat de carne Abrahæ, &c. Dicitur de aliis, *Et erunt duo in carne una*, sc. illa unitas attenditur in prole ex duobus una.

Inst. Somnus Adæ non fuit verus; ergo nec reliqua. Prob. ant. Si fuisset verus, diceretur, quòd excitasset eum Deus post factum; sed hoc non apparet in textu, ergo &c.

Resp. neg. ant. & maj. prob. Nec enim minutissima, & quæ per se intelliguntur, sunt semper exprimenda in Historiis quantumcumque veris, & in factis physicissimis, ut legenti patebit.

Inst. 2. Historia serpentis tentatoris est moralis, & metaphorica, nam serpens ponitur pro Diabolo, ergo maledictio non cadit verè in serpentem; ergo ita est de costa.

Resp. neg. ant. Nam verè Diabolus per serpentem seduxit Hevā, & maledictio verè cadit in illud animal literaliter, & in Dæmonem allegoricè, & indirectè. Sed quid prohibet, plures sensus reperiri eodem textu?

QUÆSTIO II.

De perfectione corporis Adæ.

IN hac quæstione dubia quædam resolvuntur circa corpora Protoparentum, v. g. de eorum statu, in quo creata sunt, de integritate, pulchritudine, &c.

Suppono autem 1. quòd licèt corpus humanum in aliquibus minutioribus qualitatibus non præstet multis corporibus aliorum animalium, tamen integrè, & absolutè spectatum longè præstat. Nam, inquit Seneca, *magnitudine corporis non æquamus elephantes, nec velocitate cervos, nec levitate aves, nec impetu tauros. Beluis est solidior cutis, decentior damis, densior ursis, sagacitate narium nos canes vincunt, acie luminum aquilæ, spatio ætatis corvi*, &c. Perfectio cujusque rei attenditur eò, quòd sit ad suum finem or-

Resp. neg. conf. 1. quia licèt tunc non fecerit illa animalia spuria, & adulterina, sufficit creasse omnes species proprias animalium, ex quorum commixtione illa nascuntur; 2. quia licèt ranæ, vermes, & alia similia nascantur ex putri materia, tamen etiam nascuntur ex ovis, & ex vera generatione, 3. quia licèt post peccatum quædam fuerint nociva, & inimica homini, tamen suum habent locum, & perfectionem, seu bonitatem in universo. Et patet ex ipsa Scriptura, fuisse serpentem ante peccatum, qui dicitur tunc fuisse callidior omnibus aliis animantibus.

Objic. 2. De Heva, quæ narratur facta ex hominis costa ipso dormiente, postquam introduxit eum in Paradisum, & post prohibitionem edendi de ligno scientiæ. Tunc enim dixit Deus. *Non est bonum hominem esse solum*; ergo Heva non fuit nisi post sextum, & septimum diem.

Resp. neg. conf. Nam quæ in ea parte 2. narrantur facta, non sic dicuntur, quasi tunc tantùm, & eo ordine facta sint, sed hæc dicit Moyses per quandam recapitulationem, & fusiùs, & per circumstantias singulariores explicat facta, quæ antè dixerat succinctè, & compendiosè. Unde tunc tantùm dixerat, *Masculum, et fœminam creavit eos*, jam verò narrat, quomodò 1. masculum fecit, deinde fœminam ex ejus latere formavit.

Inst. Magister, & Scotus agunt de formatione Hevæ, postquàm egerunt de operibus sextæ diei, de his enim agunt dist. 15. & de illa loquuntur tantū dist. 18. ergo censent Hevam fuisse formatam extra illos dies.

Resp. neg. conf. Nec enim id sequitur ex illo ordine dicendi, sed tantùm, quòd propter excellentiam operis distulit de illo tractare specialiter, & extra ordinem aliorum operum.

Quæres, *utrum in igne, vel ex igne aliqua formaverit animalia, sicut ex aliis, & in aliis elementis.*

Resp. negativè. Nihil enim de talibus legitur in Scriptura. Ratio fortè est, quia ignis est elementum activitate sua omnia devorans, & licèt Deo non deesset potentia in eo conservandi, & ex eo formandi plura, tamen non placuit hæc facere, quandoquidem facta non dicuntur.

Quod autem putant aliqui, quædam animalia

vivere

vivere in igne, non reperitur verum, ut de salamandra, pyrausta, lampyride, quæ licèt faciliùs, & aliquandiu resistant igni propter innatam frigiditatem, & humiditatem, tamen ab eo tandem consumuntur, ut tradunt experti, ut Galenus, & Matthiolus, & alii.

Quæres 2. *Quo sensu dicatur, quòd post opera hujus diei complevit Deus opus suum, et requievit ab omni opere, quod patrarat.*

Resp. hæc significare, quod usque ad 7. diem Deus incubuit operibus prænarratis perficiendis, & mundi opificio complendo, in hac verò 7. quievit à novis creaturis, & rebus faciendis, non autem ex fatigatione quievit, nec à rerum conditarum conservatione, gubernatione, & multiplicandarum cooperatione. De 7. die, vide commentatores.

DISPUTATIO II.

De hominis creatione in statu naturali.

SUmmum opus creationis, & sex dierum, sicut & ultimum fuit homo, cujus excellentiam, non est, quòd hìc laboremus describere; sufficit dixisse, *quòd ad imaginem, et similitudinem Dei factus est*. Non enim potest altiùs extolli. Porrò de hominis formatione, partibus, & compositione corporali diximus in tr. de generatione; de illius animæ substantia, dignitate, & immortalitate, in tr. de anima, quantum ad Philosophum spectat. Jam quæ ad Theologum, & maximè Scholasticum propriè pertinent, restant examinanda. Dico, *Scholasticum*. Nam plurima, quæ notari possunt de circumstantiis creationis Adæ ad sensum Scripturæ relinquimus Expositoribus, & Interpretibus Scripturæ Sacræ.

Potest autem considerari homo secundum dotes purè naturales, seu in statu puræ naturæ, vel secundum supernaturales, & in statu gratiæ, seu innocentiæ originalis, vel denique secundum depravationem peccati, seu in statu peccati. Et illum ordinem sequemur incipientes à primo.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De formatione corporum Adæ, et Hevæ, ex quo, et quando, et quomodò formata sint.

Moyses sic describit formationem hominis, *Formavit Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*. Et, ut ex Hebręo legunt, *Plasmavit Deus hominem pulverem, vel lutum de terra*. Unde videtur, Deum 1. corpus hominis ex luto in modum statuæ delineasse, sicut plastæ fingunt homines luteos. Ideò Job dicebat, *Memento, quòd sicut lutum feceris me*. Deinde carnem induxit, aliasque formas corporeas, & organicas. Tum organizatione perfecta creavit in eo animam rationalem. Sed controvertitur 1. an hæc Deus per se immediatè fecerit, an per Angelos, 2. an simul, & uno instanti ea omnia præstiterit, an successivè, 3. an tunc primum creata fuerit anima Adæ in ejus corpore, an extra corpus creatæ sint omnes, 4. an verè, & realiter formatum fuerit corpus Hevæ ex costa Adæ, an in sensu tantùm morali, aut allegorico.

CONCLUSIO I.

Corpus Adæ formatum fuit immediatè à Deo ex limo terræ in eo loco existentis. Est communis quoad utranque partem, contra aliquos putantes, illud corpus fuisse formatum per Angelos, & alios dicentes, Deum collegisse terram illam ex quatuor mundi partibus.

Prob. 1. p. 1. ex ipso textu, in quo semper ista formatio tribuitur Deo. [1] *Creavit Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam*. Et ipse Deus, non Angelus ullus inducitur dicens *Faciamus hominem ad imaginē*, &c. Et infrà, [2] *Formavit Dominus Deus hominem*. Item ex Patribus. Nam Tertull. [3] loquens de hominis dignitate inquit, *Quantum contulit ille, qui eum fecit jam tunc gloriantem, quòd illa pusillitas, limus, in manus Dei, quæcunque sunt, pervenit? Satis.* bea-

[1] *Gen.* 2. [2] *Job.* 10. [3] *De Resur.* 6.

beatus, & si solummodò contactus... Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum effingitur, &c. & S. Ambros. versans illud psal. 118. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me*, addit, *Bestias non fecerunt manus tuæ, sed dixisti, Producant aquæ reptilia, & produxit terra quadrupedia... me autem fecisti, me tuis manibus figurasti*, &c. *SS. Basilius, Ambrosius, & Cyrillus sic docent hominem à Deo sine alio conditum, ut contrariam sententiam vocent Judaicam*, inquit Cornelius à lapide, &c. ergo ex Patribus homo immediatè à Deo formatus est, non per Angelos.

Prob. 2. ex Scoto, [1] quia Angelus *non potest formare mixtum perfecta, seu plena mixtione, nec potest introducere formam ullam substantialem in materia*, &c. ut diximus tr. superiori.

Prob. 3. quia eodem modo loquitur Moyses, & adscribit Deo istud opus, ac omnia alia; sed alia non dicuntur per Angelos facta; ergo nec istud.

Prob. 2. p. sc. quòd productus sit de limo terræ. Nam licèt facile fuerit Deo formare hominem, vel immediatè de nihilo, vel de materia aliqua subliniori, v. g. cœlesti, tamen sic illi placuit, fortè ad humiliationem ejus, ne sc. superbiret, sciens, quòd *pulvis est, & in pulverem revertetur*. Unde Scriptura illi exprobrat, *Quid superbis terra, & cinis?* Et Sapiens dicit, [2] quòd *Deus de terra creavit hominem*.

Prob. 3. p. quia sine ullo prorsus fundamento dicitur, Deum aliunde limum, seu terram illam asportasse, v. g. ex quatuor partibus mundi, & absque necessitate multiplicantur nova miracula, quibus tam brevi temporis spatio adduxerit terram ex ultimis mundi finibus, sc. ex Africa, America, Asia, & Europa; ergo dicendum est, terram illam, ex qua sumptus est Adam, fuisse ex loco ipso, in quo formatus est. Igitur formatus est de terra rubra, Unde dictus est Adam, quæ est in agro Damasceno.

Dixi *de limo terræ*, non de simplici pulvere, quippe cùm sit purus, & aridus, non fuisset aptus plasmationi, sed de pulvere diluto, & humectato liquo-

re

[1] 2. *d*. 8. *B*. 3.
[2] *Eccl*. 17.

re aqueo; & sic coalescebat ex pluribus elementis.

Objic. 1.con. 1.p. August. docet, quòd Deus corporalia per Angelos disponit; ergo & corpus hominis per illos formavit.

Resp. neg.cons. quia licèt id verum sit de his, quæ fiunt in rerum administratione post conditum orbem, tamen in illo initio per se ipsum voluit omnia creare.

Scotus notat triplicem actionem in hominis formatione, sicut & in ejus resurrectione, 1. collectionem materiæ, sc. pulveris, & cinerum, 2. inductionem formæ corporeitatis, & 3. animationem, 1. potuit fieri per Angelos, & fiet in Judicio, cùm Angeli à quatuor ventis congregabunt electos, at 2. & 3. per solum Deum fieri possunt.

Objic. 2. Si Deus per se formasset hominem, non loqueretur de se ipso pluraliter dicens, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, quippè summè unus est, & singularissimus; ergo illa loquutio, & actio non potest convenire nisi Angelis, qui plures sunt, & quibus homo assimilatur potiùs, quàm Deo.

Resp.neg. ant. Nam, ut aliàs notavimus, illa pluralitas refertur non ad Deum absolutè, sed ad Personas Divinas; & sic loqui voluit in solius hominis formatione, quia in illo solo voluit se manifestare unum, & trinum, ut notant SS. Patres, & Theologi, sc. in unitate substantiæ animæ, & trinitate potentiarum ejus.

Objic.con. 2.p. Corpus hominis constat ex quatuor elementis; ergo non ex sola terra factus est.

Resp. dist. ant. Ex quatuor elementis negativè, & velut à termino à quo, con. tanquam ex partibus intrinsecis, & formaliter, & actu componentibus, neg.ant. & cons. Corpus hominis, sicut & alia, est mixtum quoddam, in mixto autem non manent formaliter elementa, ut diximus in Philosophia.

CONCLUSIO.

P*otuit Deus formare corpus Adæ, et creare animam successivè, aut simul, et eodem instanti temporis,*

an

an ita fecerit, vel successivè, incertum est, probabilior est aliqualis successio, non quòd priùs anima creata sit. Est communissima quoad 1. & quoad 2. videtur certa, quoad 3. videtur communior, & quoad 4. est certissima contra Origenem, qui voluit animas omnes creatas esse cum Angelis, & ob peccata aliquas eorum tradi in corpora, quod erroneum est, & contra definitionem Ecclesiæ contra Priscillianistas.

Prob. 1. p. quia nulla est in utroque repugnantia; ergo utroque modo potuit formari.

Prob. 2. p. quia nulla ratio positiva, nec authoritas Scripturæ determinat illam successionem, vel simultatem instantaneam hujusmodi creationis, ut patet legenti; ergo &c.

Prob. 3. 1. p. quia modus loquendi Scripturæ innuit aliquam successionem per diversitatem actionum. Dicit enim, quòd *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, &c. sc. formationem corporis præmittit animationi. Imò & ipsa vox formationis ex limo terræ innuit 1. collectionem pulveris, & 2. mixtionem ejus cum aqua, vel alio liquore, 3. plasmationem, & figurationem partium corporis, & denique inspirationem in faciem, quæ omnia successionem insinuant. Et ideò SS. Patres ut Chrysostomus, [1] & Augustinus, & Bonaventura, & alii graves Theologi sic censent.

Confir. quia hæc omnia, quæ narrantur de hominis formatione indicant aliquos motus locales terræ, & partium ejus; ergo & successionem, quæ videtur inseparabilis à tali motu.

Prob. 2. quia nisi priùs formatum fuisset corpus Adæ, quàm animatum, non deberet potiùs dici, Deum inspirasse in faciem, quàm in cor, vel aliam partem quamlibet corporis, quandoquidem ea omnia simul fierent, sc. corpus, & anima, & animatio.

Prob. 4. p. ex dictis in tr. de anima. Sine ullo enim fundamento, & contra omnes rationes fingitur, animas extra, & ante corpora produci.

Objic. 1. con. 2. & 3. p. Scriptura dicit, statim factum esse, non corpus, nec animam, sed totum hominem, *Faciamus hominem*, & *Creavit hominem*, &

[1] *ho. 12. et 13. Gen.*

& *Formavit Deus hominem*; sed corpus non est homo; ergo non priùs creavit corpus, quàm animam.

Resp. dist. maj. Factum esse hominem successivè, aut instantanee, & simul, con. instantanee, & simul, neg. maj. Sic diceres, à fabro factam esse domum, aut statuam, nec tamen inferres, illa facta esse simul.

Inst. Cætera animalia facta sunt simul; ergo & homo. Prob. cons. quia majoris est dignitatis, quòd factus sit simul, & uno instanti, quàm successivè.

Resp. neg. cons. & ant. prob. Nam potiùs major applicatio, & amor ex parte Dei apparet in illa operatione successiva, & per partes.

Igitur probabilius est, formationem, & organizationem corporis Adæ factam fuisse successivè per partes, sed in ipso instanti ultimatæ, & perfectæ organizationis Deum creasse in tali corpore animam rationalem.

CONCLUSIO III.

C*Orpus Hevæ realiter, et verè formatum fuit ex costa Adæ*. Est communis, & dicitur de fide contra Cajetanum, qui putat, hoc dictum esse allegoricè, ut significetur, hominem debilitari per matrimonium.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui non dubitat, quin verè ex costa formatum fuerit corpus Hevæ, sed *in illa costa non fuit ratio seminalis*: quod probat, quia costa illa non erat materia propinqua generationis corporis Hevæ, sicut est verum semen in generationibus naturalibus. Et clariùs in Reportatis. Dico, inquit, *quòd propriè loquendo de semine, illud dicitur semen, quod est in potentia propinqua, et proximè se habet ad formam inducendam. Quia igitur non fuit potentia in costa, ut immediatè ex ipsa fieret corpus mulieris per agens naturale, ideò non propriè potuit corpus formari ex costa per actionem seminalem*, &c. *Solùm impropriè potuit dici semen respectu corporis*, &c. ergo Scotus supponit, verè corpus Hevæ formatum fuisse ex costà. Nam, si putasset, id dici tantum mysticè, & allegoricè, frustra laborasset sustinendo, costam non habuisse rationem veri seminis.

Prob.

[2] 2*d*. 8. *M*. 12. *q*. 2. *n*. 1

Prob. 2. ex clarissimis Scripturæ textibus historicis, qui per consequens debent sumi literaliter, quantum possibile est. Dicit itaque, [1] quòd *Immisit Deus soporem in Adam, & quòd cùm obdormisset, tulit unam de costis ejus... et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Profectò vanè notasset Moyses tot circumstantias hujus facti, nisi verum esset physicè, & ut narratur. Additur, quòd facta muliere Deus *adduxit eam ad Adam, qui dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Quod ex multis aliis Script. locis confirmatur. Nam inquit Sapiens, [2] *Deus de terra creavit hominem, et creavit ex ipso adjutorium simile sibi*, sc. mulierem. Et Paulus, [3] *Non vir ex muliere, sed mulier ex viro.*

Confir. ex SS. Patribus. Dicit enim Hieronymus, [4] non posse aliquem in Deum credere, nisi credat, vera esse, quæ scripta sunt, inter quæ numerat, *Adam à Deo plasmatum, Hevam ex costa illius, et latere fabricatam.* Et S. Chrysost. [5] *Ne homo solus habitaret in terra, fecit illi adjutorium, evulsa costa è latere implevit carnem, applicavit ad Adam, ut ei nomen imponeret*, &c.

Prob. 3. quia quòd hæc in vero, & physico sensu capiantur, nulla includitur repugnantia, vel absurditas; ergo quandoquidem hæc ita narrantur facta, ita debent intelligi. Nec enim potest alia fingi ratio hæc à vero, & reali sensu detorquendi, quàm vel impossibilitas, vel absurditas, maximè in iis, quæ pendent ex Dei voluntate.

Objic. 1. pro Cajetano. Adam ante, vel post formationem Hevæ fuisset monstruosus, si ab eo fuisset verè ablata costa; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. maj. Nam vel illa costa erat superflua, & sic deformis erat antè, vel necessaria, & sic restabat mancus, & defectuosus; ergo & monstruosus ante, vel post illam Hevæ formationem.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Nam nec superflua erat, nec necessaria absolutè, ita, ut ejus defectu, vel præsentia oriretur ulla monstruositas, quia inquit textus, *Deus replevit carnem pro ea*, sc. loco avulsæ costæ posuit carnem, qua omnis defectus reparabatur.

Objic.

[1] *Ge.2.* [2] *Eccl.17.* [3] *1.Cor.12.*
[4] *Ep. ad Phulen.* [5] *Ho.3.Gen.*

Objic. 2. Unica illa costa non sufficiebat ad formationem totius corporis; ergo potior materia ejus aliunde sumpta est, quàm ex costa Adæ; ergo Heva potiùs dicenda est formata ex terra, aut aliunde, quàm ex costa Adæ. Ant. patet. Nam corpus Hevæ constabat aliis pluribus costis, & aliis ossibus, & membris; ergo maxima pars aliunde sumpta est.

Resp. neg. 2. cons. Nam ideò dicitur Heva formata ex costa Adæ, quia hæc fuit materia notabilior, & quasi prima, & fundamentalis totius ædificii, licèt alia longè major quoad molem ex terra, vel aere, aut aliunde sumpta fuerit. Nobis sufficit, quòd ad hæc verè sumpta fuerit costa.

Objic. 3. ex Scriptura, Heva, & Adam simul creati sunt sexta die, & uterque existebat ante circumstantias temporis, in quo hæc facta narrantur; ergo hæc non sunt intelligenda literaliter. Prob. ant. 1. Nam cap. 1. dicitur, *masculum, et fœminam creavit eos*. 2. cùm loquitur textus de costa ista, dicit, quòd *Deus adduxit Hevam ad Adam*, ergo ab ipso recesserat, & distabat, quando formata est, quod non esset verum, si ex ejus latere formabatur. Tunc enim non poterat ab ejus latere distare. 3. quia idem dicitur de animalibus terrestribus, quod de Heva, sc. quòd Deus adduxit ea ad Adam, ut vocaret ea, & tam Hevæ, quàm bestiis nomina dedit. 4. quia tunc dixit de Heva, *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, ergo sicut id moraliter dicitur de aliis uxoribus, ita & de ista, & sicut Heva, nec aliæ non dicuntur realiter, & verè formatæ de carne Adæ, ita nec verè id dicitur de costa.

Resp. neg. 1. ant. & consequentias omnes deductas ex illis textibus. Nam cùm dicit Moyses, quòd Deus eduxerit fœminam de costa, narrat circumstantias formationis ejus, quas omiserat anteà, contentus dixisse compendiosè, quòd masculum, & fœminam creavit eos, & cùm istud dicit, non docet, eos eodem instanti, & simul creatos. 2. hinc sequitur tantùm, quòd Deus accepta costa seorsum formavit Hevam, & posteà adduxit eam ad Adam, vel *adducere* ponitur pro *ostendere*, aut *præsentare*. 3. ex bestiis nihil rectè infertur. Nam cùm illas adducit Deus, non dicit, *Faciamus Adæ adjutorium simile sibi*, ergo

tunc

tunc non erat fœmina, sed tunc tantùm facta est, & quidem antequàm bestias adduceret. 4. denique sine fundamento aptantur omnibus uxoribus illa verba Adæ, *Hoc nunc os ex ossibus*,&c. Nam id verè potuit dicere de sua, quæ formata fuerat de suis ossibus, & carne sua, quæ sine dubio adhærebat costæ, non de aliis. Nam Sara non erat de carne Abrahæ,&c. Dicitur de aliis, *Et erunt duo in carne una*, sc. illa unitas attenditur in prole ex duobus una.

Inst. Somnus Adæ non fuit verus; ergo nec reliqua. Prob. ant. Si fuisset verus, diceretur, quòd excitasset eum Deus post factum; sed hoc non apparet in textu, ergo &c.

Resp. neg. ant. & maj. prob. Nec enim minutissima, & quæ per se intelliguntur, sunt semper exprimenda in Historiis quantumcumque veris, & in factis physicissimis, ut legenti patebit.

Inst. 2. Historia serpentis tentatoris est moralis, & metaphorica, nam serpens ponitur pro Diabolo, ergo maledictio non cadit verè in serpentem; ergo ita est de costa.

Resp. neg. ant. Nam verè Diabolus per serpentem seduxit Hevã, & maledictio verè cadit in illud animal literaliter, & in Dæmonem allegoricè, & indirectè. Sed quid prohibet, plures sensus reperiri eodem textu?

QUÆSTIO II.

De perfectione corporis Adæ.

IN hac quæstione dubia quædam resolvuntur circa corpora Protoparentum, v. g. de eorum statu, in quo creata sunt, de integritate, pulchritudine, &c.

Suppono autem 1. quòd licèt corpus humanum in aliquibus minutioribus qualitatibus non præstet multis corporibus aliorum animalium, tamen integrè, & absolutè spectatum longè præstat. Nam, inquit Seneca, *magnitudine corporis non æquamus elephantes, nec velocitate cervos, nec levitate aves, nec impetu tauros. Beluis est solidior cutis, decentior damis, densior ursis, sagacitate narium nos canes vincunt, acie luminum aquilæ, spatio ætatis corvi*, &c. Perfectio cujusque rei attenditur eò, quòd sit ad suum finem or-

 ganis

ganis præstantissimis instructa, vel quòd præstantissimè instructa, vel quòd præstantissimæ sit formæ corporeæ, & singularis secundum singulos membrorum articulos, singulosque sensus tam internos, quàm externos. Quilibet enim artifex intendit inducere operi suo dispositionem optimam, non quidem simpliciter, seu respectivè ad quodcunque aliud corpus, sed absolutè, & in ordine ad finem, ad quem illud construxit. Unde licèt quoad alia non habeat aliorum omnium operum perfectionem, & ab ea deficiat in aliquo, non minuit absolutam ejus præcellentiam. Inde sit

CONCLUSIO I.

Corpora Protoparentum fuerunt in ipsa eorum creatione usquequaque perfecta, sc. secundũ figuram, staturam, membra omnia, & sensus omnes, non tamen gigantea corporis mole.

Prob. 1. ex Script. qua dicitur, quòd *Dei perfecta sunt opera*; & quòd *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, & 2. quòd in eo statu ea creavit, in quo possent administrare mundum, & alias creaturas, quas illis subjiciebat, v.g. operari, & custodire Paradisum, in quo posuit eos, ut operarentur, & custodirent. 3. quia defectus ex peccato irrepserunt. 4. sic videtur decere Deum in illo opere, quod erat summum, & caput omnium aliorum. Et denique in eo statu, & perfectione creati sunt, in quo potuerit Deus eis dicere, *Crescite, & multiplicamini*, sc. in ætate, & dispositione idonea ad generationem.

Confirm. ex S. Aug. [1] Nam *Infantilis ætas corporis infirmitatem significat, & animi ignorantiam dicit, atque à Deo in pœnam culpæ progenitoris ordinata est. Talis non est creatus Adam, habens vitiosa primordia*; ergo creatus est in virilis ætatis statu, & statura.

Igitur creati sunt in ea corporum perfectione, quæ viros decet maturos, vel 33. annorum, ut aliqui putant, vel circiter, saltem respectu nostri. Nam fortè in illo tempore, quo vivebant ad nongentos, & plu-

[1] *L. de pecca. Mer.* 13.

& plures annos, tardiùs maturescebant.

Prob.2.p.quòd sc.statura corporum illorum non fuit gigantea, sed proportionata communiori. Nam 1. ex Scriptura narrantur gigantes nati ex commixtione filiarum hominum cum filiis Dei, quod non diceret, si Protoparentes, qui tunc fortè adhuc vivebant, fuissent giganteæ proceritatis. 2. quia statura illa est improportionata, & non resurgent homines in ea magnitudine, *sed in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*.

Porrò perfectio, & præcellentia corporis humani attenditur, 1.ratione staturæ, quippe solus homo erectus stat, & elevata cervice, ut quasi spectator omnium cuncta ritè discernat, & dijudicet, & ut omnia cognoscens, sed non terræ, sed cœlo natum, & sic despectis terrenis ad cœlestia contendat.

2. Ratione sensuum externorum, non quòd simpliciter in singulis præcellat, in iis enim à pluribus animantibus superatur, ut dicebamus, sed respectivè ad rationem,& judicium, cui inserviunt, & ad animam, cui uniuntur, atque etiam, quia in omnibus sufficienter illi à natura providetur, cùm alia animalia, quæ in aliquibus excellunt, in aliquibus etiam deficiant.

3. Ratione sensuum internorum; siquidem facultate imaginativa, cogitativa, æstimativa, memorativa,seu reminiscitiva, longè cæteris viventibus omnibus præcellit.

4. Ratione manuum, quæ plus præstant homini ad usus singulos, & vitæ commoda procuranda,& incommoda propellenda,quàm vel pennæ, & rostra avium, vel ungues,vel cornua,&c. cæterorum animalium.

5. Ratione linguæ, & loquelæ. Licèt enim quædam aves sint garrulæ, & verba efformare conentur; non tamen est vera loquendi facultas,nec tam promptè, nitidè, & faciliter verba proferunt.

6. Ratione pulchritudinis membrorum. Nulla siquidem animalia habent membra tàm concinnè disposita, aut eleganti adeò aspectu, aut tanto decore exornata, sicut homo.

Quæres 1. *an fuerint etiam summa pulchritudine corporea præditi*.

Resp. eam fuisse eximiam. Ratio est, quia, cùm

Deus ipse illos propriis manibus, & per seipsum formaverit, quid eis potuit deesse ad venustatem, & perfectam conformationem, & proportionem partium omnium.

Objic. 1. con. 2. p. ex Script. Jos. 14. dicitur, *Adam maximus inter Enacim sepultus est*; sed illi Enacim fuere famosi Gigantes, ergo & Adam. Prob. min. Arbe erat pater Enoc, cujus filii sunt Enacim.

Resp. neg. maj. & conseq. Nam ut notat ibi Lyranus, ly, *Adam*, ibi significat, non Protoparentem, nec est nomen proprium, sed commune, & significat hominem, & quidem maximum, non mole, sed virtute. Si Adam sumatur propriè, dicitur maximus inter Enacim, non mole, alioqui monstruosus fuisset potiùs, quàm perfectus, sed virtute, sapientia, dignitate, nempe caput generis humani.

Quæres 2. *an temperamentum eorum fuerit ad justitiam, vel ad pondus*.

Resp. non fuisse ad pondus, sed ad justitiam.

Ratio est, quia temperamentum ad pondus, licèt sit possibile, ut diximus in Philosophia, tamen fortè non congruit perfectioni corporis humani ad suas functiones, & operationes diversarum facultatum, quarum aliæ plus caloris, aliæ plus siccitatis, aliæ plus frigiditatis, &c. exigunt. De hoc videbimus aliàs, de temperamento corporis Christi, quod sine dubio fuit eximium, ad minùs æquè, ac in Adamo.

QUÆSTIO III.

Ubi creati fuerint Adam, & Heva, & an, & quid sit Paradisus.

CIrca locum, in quo creatus fuerit Adam, suppono triplicem reperiri in Scriptura significationem Paradisi. 1. significat locum illum voluptatis, quem Deus ab initio paraverat, & in quo posuerat illum, & ex quo pulsus est post peccatum. *Plantaverat Dominus Paradisum voluptatis*, &c. Et iste dicitur Paradisus terrestris, 2. significat sedem Beatorum, ut cùm dicit Angelus Joannis, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso*

Dei

Dei mei, & Paulus dicit, *se raptum fuisse in Paradisum*, 3. significat moraliter quietem à laboribus, ut cum Christus dicit latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso*, sc. quiesces à laboribus, & passionibus, donec fruaris gloria cœlesti mecum. Alii Paradisum triplicem distinguunt, 1. *corporeum* in ordine naturæ, in quo fuit Adamus, 2. *spiritualem* in ordine gratiæ, in quo sunt justi per gratiam justificantem, 3. *divinum* in ordine gloriæ pro Beatis. Hic autem agimus de primo.

Porrò de isto aliqui non literaliter pro vero, & reali loco non admittunt, sed mysticè, & figuraliter intelligunt, alii moraliter. Contra quos sit

CONCLUSIO I.

P*Aradisus, de quo hìc agitur, est verus locus realis, et corporeus, non quidem totus orbis terrarum, sed locus particularis intra ipsum*. Est communis contra Origenem quoad 1. p. & quosdam recentiores quoad 2.

Prob. 1. cum Scoto, ex Scriptura, quæ cum tot circumstantiis veris, & realibus de illo loco loquitur, ut sine violentia maxima facta verbis non possit aliter intelligi, quàm de loco vero, & reali. Dicitur enim, [1] *Plantaverat Dominus Paradisum voluptatis à principio*, & ibi, *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave, lignum etiam vitæ ... lignum quoque scientiæ boni, & mali, & fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum*, &c. Certè, nisi tot verba sumantur literaliter, non video textum ullum in tota Scriptura sumendum literaliter.

Prob. 2. ex PP. Nam, inquit Chrysost. [2] Moyses describens Paradisum, & nomen loci, in quo erat, sc. *Heden, & plagam orientalem, quam spectabat, & nomina fluminum è Paradiso egredientium ferè nota omnibus, tam subtiliter, & accuratè enarravit, ut non liceret negare volentibus decipere simpliciores, dicendo, nullum fuisse in terra Paradisum*, &c. *Certè*, inquit Epiphan. [3] *si non est Paradisus* C 3 *sensi-*

[1] *Gen.* 1. [2] *Hom.* 13. *Gen.*
[3] *In an. contr.*

sensibilis, non est fons, non ficus, non folia, non comedit Heva, sed jam fabula est. Et S. Hieron.[1]de Origene dicit, quòd sic *Paradisum allegoricè, & ut historiæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligens, totam Paradisi continentiam tropologica interpretatione subvertat*. Et alibi tales interpretes arguit, quòd *conantur ipsam evertere veritatem*.

Confir. ex Syn.[2] VI. Constantinop. ubi recitatur, & approbatur Epist. Sophronii, in qua inter Origenis errores reponit, quòd *extra paternam, et Apostolicam traditionem Paradisi plantationem projecerit*. Et certè licèt non careat hæc historia, sicut nec reliquæ, suis sensibus mysticis, & allegoricis, quos afferunt alii SS. PP. & mystici, tamen non impedit, quin & sensum habeat literalem.

Prob. 2. p. ex ead.[3] Script. Nam, *Emisit Deus Adam de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est*, &c. non ergo ejecit eum ex toto orbe. Item *collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubin... ad custodiendam viam ligni vitæ*; quod etiam de toto mundo dici non potest, 3. *In medio fons oriebatur irrigans universam terram, & inde divisus in quatuor capita*, &c.

Confir. ex SS. PP. Nam, inquit Basil.[4] *Paradisus Locus erat deliciis affluens, omnem creaturæ sensibilis exuperans pulchritudinem*, &c. Et Damasc. [5] *Est locus Dei manibus in Heden ad Orientem mirabiliter consitus... divinus profectò locus mirificè congruens primi hominis dignitati, in quo nullum animal habitabat, sed solus divinarum manuum factura homo*. Et Isidorus, [6] *Paradisus est locus in Orientis partibus constitutus, cujus vocabulum ex Græco in Latinum vertitur hortus: porrò hebraicè dicitur Heden, quod in nostra lingua delicia interpretatur*, &c. ergo Paradisus ille erat locus particularis Orientis mundi.

Objic. 1. con. 1. p. varia Scripturæ loca, in quibus nomen Paradisi sumitur tropologicè, vel pro statu gratiæ, ut cùm dicitur, *In deliciis Paradisi fuisti*, sc. de Lucifero, aut de Lymbo Patrum, *Hodie mecum eris in Paradiso*, nō. n. intelligitur de Paradiso cœlesti, qui non-

[1] *Ep.* 61. [2] *Act.* 11. [3] *Gen.* 3. [4] *Or. de Parad.* [5] *de fid.* 11. [6] 5. *Ety.* 3.

nondum erat apertus, nec de terrestri, quem supponimus, quod forte non extabat, 3. de aquis diluvii, quæ ad 15. cubitos elevatæ sunt super altissimos montes, & tamen non intrarunt istum Paradisum, qui per consequens vel non extitit, vel fuit in altiori aliqua regione aeris; ergo non realiter, sed mysticè loquitur Scriptura de hoc Paradiso. Prob. conf. Non est potior ratio illam hìc literaliter intelligendi, quàm alibi; ergo, &c.

Resp. neg. conf. Nam, ut jam monui, licèt aliquando Scriptura, & Patres in alium sensum utantur minùs rigorosum voce *Paradisi*, non sequitur, quòd in hac historia sumatur metaphoricè.

Objic con. 2. Cùm dicitur, [1] *Fluvius egrediebatur è loco voluptatis ad irrigandum Paradisum*, designatur oceanus, qui est ut *fluvius quidam circundans totam terram*, inquit Damasc. *de quo dixisse mihi videtur Divina scriptura, quòd fluvius procedit de Paradiso*; sed oceanus extenditur per totum orbem; ergo & Paradisus.

Resp. neg. maj. tum quia oceanus non egreditur de toto orbe, nec de loco voluptatis, tum quia non dividitur in quatuor capita, seu flumina, sed innumera, quæ inde oriuntur.

Objic. 2. Locus ille paratus erat pro toto genere humano, si in justitia originali propagatus fuisset; ergo debebat per totum orbem extendi. Prob. conf. quia totus orbis erat destinatus habitationi hominum, & in casu durationis innocentiæ debuisset esse inhabitatus, quandoquidem remansissent omnes in illo Paradiso.

Resp. dist. ant. Pro toto genere humano, ita ut omnibus patuisset, conc. ita ut ille tantùm fuisset habitatus, nec alibi, nec extra illum homines habitassent, neg. ant. Nam Deus fecerat etiam reliquam terram habitabilem. Et id patet ex Scriptura. Dixerat enim Deus, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam*, & dominamini, &c. quod non poterant facere intra Paradisum commorantes.

[2] *ibid. c.* 19.

CONCLUSIO II.

Probabilius est, Adamum extra Paradisum creatum esse, Hevam autem in Paradiso. Est communis.

Prob. 1. par. 1. ex Script. *Plantaverat Dominus Paradisum voluptatis, in quo posuit hominem, quem formaverat*; ergo seorsim plantatus est Paradisus, & homo jam formatus erat, quando Deus eum ibi collocavit.

Confir. Nam post peccatum *emisit eum Dominus de Paradiso, ut operaretur terram, de qua sumptus est*; ergo sumptus fuerat de terra extra Paradisum.

Prob. 2. ex congruentiis propter quas putant Patres, & Theologi sic fieri debuisse. 1. est, ut sciret, hanc illi habitationem non esse à natura debitam, sed ex liberalitate Divina concessam. 2. ut post visam aliam terram meliùs agnosceret, & æstimaret donum istud sibi gratuitò donatum, & Dei erga se benevolentiam agnosceret. 3. ut ex ejus doni pretio cautior fieret, ne per inobedientiam factus indignus eo privaretur, indeque ad fidelitatem, & obedientiam stimularetur. 4. ut ex ejus privatione acriùs peccati pœniteret, & gravitatem ejus magis agnosceret, & justitiam punientis timere disceret.

Prob. 2. p. 1. ex eadem Script. quæ narrat formationem Hevæ ex costa Adæ post introductionem istius in Paradisum. Nam 1. dicit formatum hominem, 2. hunc positum in Paradiso, & 3. formatam Hevam ex costa dormientis hominis.

Confir. utraq; pars ex Patrib. Nam, inquit S. Ambr. [1] *Adverte, quia extra Paradisum vir factus est, & mulier intra Paradisum, ut scias, quòd non loci, nec generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam sibi compares.... Unde in inferiori loco vir melior invenitur, & illa, quæ in meliori loco, hoc est in Paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est*, &c.

Objic. Femina ignobilior est viro; ergo non debuit in nobiliori loco formari.

Resp. neg. conf. ob rationes mox allatas ex Ambrosio. Nec enim loci nobilitas quidquam facit ad hoc.

Præ-

[1] *De parad.* 4.

Præterea congruentiæ allatæ magis valent pro viro, quàm pro fœmina, quam vir sufficienter poterat erudire, si voluisset.

Quæres 1. *quanta fuerit amplitudo illius Paradisi.*

Resp. id incertum esse. S. Augustinus [1] censet eum fuisse amplissimum, & id colligit ex magnitudine fontis, seu fluvii ex eo decurrentis, quippe in quatuor alios grandes fluvios dividitur. Moyses Barsepha, & Tostatus dant illi circuitum 12. leucarum, Suarez putat, eum æquare amplitudinem Regni non parvi. In his nihil certius incertitudine.

Quæres 2. *quis, & qualis sit ejus situs.*

Resp. Id pariter incertum. Non puto tamen, verum esse, quod dicunt aliqui, eum esse proximum cęlo, ut Rupertus, vel in media regione aeris, ut Basilius, vel in valle, aut saltem planitie, ut Perrerius, quia, inquit, ea loca sunt fertiliora, vel in sublimiori loco, quàm reliqua tota terra, ut Damascenus, quia talia loca sunt salubriora, sed in parte nec nimiùm elevata, nec multùm demissa, sed mediocriter excelsa, ita, ut mediam aeris regionem excedat, & hæc ultima opinio probabilior videtur.

Ratio est. quia, si esset in valle profundiori, non videtur, quomodò illa quatuor flumina, quæ inde fluere dicuntur, possent irrigare universam terram, cujus maxima pars esset altior illorum fonte, deinde valles, & planities sunt obnoxiæ nubibus, tempestatibus, & aliis temporum incommodis, quibus sine dubio non erat obnoxius ille voluptatis situs.

Hinc sequitur, eum fuisse in loco eminentiori circa 2. regionem aeris, quæ salubrior est, immunis ab illis incommodis, sc. à ventorum violentis agitationibus, à terræ crassioribus vaporibus, &c. Si enim esset nimiùm elevatus, non esset humanæ habitationi commodus propter nimiam subtilitatem, siccitatem, ardorem, & agitationem ex vicinia ignis, Solis, & motus cœlorum, & cometarum, qui ibi formantur, & accenduntur.

Quæres 3. *in qua parte mundi situs sit.*

Resp. ipsum probabiliter esse in parte orientali, & confinibus Mesopotamiæ, & Arabiæ, non multum à Chaldęa, & Syria Damascena, ita, ut habuerit ab O-

[1] *gen. lit.* 10. 1. *de Parad.* 15.

riente partem illam Perfidis, quæ tendit in Parthiam, à Meridie finum Perficum, & Arabiam orientalem, ab Aquilone Affyriam verfus Babylonem, & Seleuciam .... ab Occafu Chaldæam, & Syriam Damafcenam, & plagam verfus Judæam. Congruentias hujus opinionis vide apud Interpretes, & Cofmographos.

Ratio petitur ex Scriptura, ubi dicitur, quòd *Plantaverat Dominus Paradifum voluptatis ab initio*. 70. legunt, *in Eden ad Orientem*, & Hebræa verfio dicit, *Plantaverat Deus Paradifum in Eden*; Eden autem erat in finibus Mefopotamiæ, vel Syriæ, &c.

Quæres 4. *an ille Paradifus adhuc exiftat*.

Refp. affirmativè. Nam fic tenent communiter SS. Patres, & Theologi, à quibus non decet diffentire fine gravi fundamento, quale nullum habemus in contrarium. Imò non defunt rationes valdè probabiles in ipfa Scriptura pro ejus exiftentia. Nam Enoch legitur translatus fuiffe in Paradifum, & ibidem putatur collocatus Elias. Quòd autem nullus homo mortalis ipfum hucufque potuerit invenire, non eft mirum, quia Deus ejus aditum præclufit, & fub cuftodia Cherubin armati pofuit.

Dices. Saltem fuiffet deftructus aquis diluvii; ergo adhuc non extaret. Quis enim eum reparafset?

Refp. neg. ant. Poterat enim Deus eum præfervare.

De Paradifi amœnitate non eft, quod dicam. Sufficit, quòd à Deo ipfo plantatus fuit ad omnem amœnitatem, & delicias naturales, & honeftas, &c.

QUÆSTIO IV.

De arboribus fcientiæ, & vitæ.

TRes arborum differentiæ erant in Paradifo, inquit Severianus, una quidem data erat homini, ut viveret, altera, ut benè viveret, altera, ut femper viveret. Alii diftinguunt. 1. *communes*, quæ in cibum, & oblectationem datæ funt, 2. *vivificas*, quibus confervabatur vita, ut lignum vitæ, 3. *probatrices*, quibus Deus probare voluit hominis virtutem, & obedientiam, ut lignum fcientiæ. Vel ut loquitur Seraphicus Doctor, *quædam proderant corpori ad ejus nu-*

tri-

tritionem, & sustentationem..... Aliæ proderant animæ hominis. Hujusmodi erat arbor scientiæ boni, & mali, cujus fructus interdictus est homini, sc. ad probandam ejus obedientiam:... Tertii generis fuit arbor vitæ ipsi homini, hoc est, conjuncto ex anima, & corpore profutura, quippe tribuens homini perpetuam vitam... Harum duntaxat duarum arborum propriè meminit Moyses propter singulares, & admirandos earum effectus, propter quos Deus eas posuerat in medio Paradisi inter se propinquas, ut aspiciens homo arborem vitę, amore immortalitatis ad observantiam Divinę legis acriùs incitaretur, cernens autem arborem scientiæ boni, & mali, mortis metu, tanquam fræno quodam in Divinorum præceptorum obedientia contineretur, &c.

De his ergo duobus fructibus, seu lignis, velut pręcipuis hìc agimus, & quærimus, an fuerint reales, an veram, & realem virtutem habuerint causandi scientiam, & immortalitatem, & cujus speciei fuerint, &c.

CONCLUSIO I.

ARbores illæ fuerunt veræ, & reales, & probabile est, arborem scientiæ fuisse speciem pomi, seu mali. Est communis, & de fide quoad 1. p. contra Origenem, qui hæc omnia mysticè interpretatur, quoad 2. verò est communior contra nonnullos, quorum alii putarunt fuisse frumentum, alii vitem, alii ficum, ex cujus foliis post esum fecerunt sibi perizomata, &c.

Prob. 1. p. ex Scriptura, in qua historicè narrantur præ cæteris duæ istæ arbores. *Produxit Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali*; ergo idem est de his duobus lignis, ac de aliis, & sicut alia fuerunt realia, ita & ista, & nulla est ratio recurrendi ad sensum allegoricum pro istis potius, quàm pro illis.

Confir. ex consensu communi Patrum, & Theologorum, qui sic intelligunt, sc. literaliter de veris arboribus, & fructibus.

Prob. 2. p. ex Script. quæ dicit *ex arbore malo* Sponsum fuisse suscitatum ad incarnandum. *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi vio-*

lata est genitrix tua, sc. Heva per hujus pomi esum. Fateor, nomine isto mali, posset intelligi quælibet alia arbor frugifera, sed quandoquidem potior est conditio sensus literalis, quando nulla ratio cogit in contrarium, ideò probabilius dixi esse ita intelligendum.

Objic. 1. con. 1. p. Effectus, qui tribuuntur istis fructibus, non sunt reales, neque oriuntur ex eorum virtute physica, sed morali; ergo neque illæ arbores dici debent reales. Ant. patet ex dicendis.

Prob. cons. Neque enim est potior ratio loquendi moraliter de virtute, & effectibus illarum arborum, quàm de illarum entitate.

Resp. neg. cons. & ant. prob. Nam longè facilius, & naturalius fuit Deo prohibere Adæ esum pomi scientiæ sub pœna mortis, quàm fingere illorum existentiam, & loqui de illis, quasi fuissent realiter, cùm non fuissent, nisi imaginariè. Certum est, ac verum physicè, quòd Deus creavit cæteros fructus, & concessit eorum usum; ergo & verum esse potest, quòd prohibuit istum verè existentem, ut probaret hominis obedientiam .... & propterea dicatur arbor scientiæ boni, & mali, quia inde scivit Deus virtutem, & vitium Adæ, & iste expertus est bona, quæ pendebant ex obedientia, & innocentia, & mala, quæ orta sunt ex inobedientia.

Objic. con. 2. p. Probabilius est, fuisse vitem, aut frumentum; ergo &c. Prob. ant. quia Christus quasi in remedium, & reparationem peccati Adæ circa illam arborem, & fructum se tradidit sub pane, & vino in Eucharistia; ergo, &c.

Resp. neg. ant. & cons. prob. Nam, ut ait Moyses Barcepha, frumentum non est arbor, sed seges, nec etiam vitis est propriè arbor, sed arbustum.

Objic. 2. cũ aliis. Meliùs, & probabiliùs dicitur fuisse ficum, ergo, &c. Prob. ant. Nam statim, ac comederunt, & se nudos agnoverunt, ex ipsamet arbore sibi fecerunt perizomata, ut tegerent nuditatem suam. *Non est verisimile*, inquit Gennadius, *cùm degustationem illico secutus sit pudor, relicta proxima arbore, alias errabundos quæsiisse, quarum foliis tegerentur*; ergo, &c.

Resp. neg. ant. utrumque. Imò non est probabile, quòd sub illa arbore manserint veniente Domino,

nec se illius foliis tegere voluerint, cujus contactu se reos agnoscebant. Præterea ficus non est fructus tam pulcher oculis, aspectuque delectabilis, quàm plurima poma, lignum autem scientiæ dicitur *pulchrum oculis, aspectuque delectabile*.

Queres 1. *cur dicatur lignum scientiæ boni,& mali*.

Resp. 1. hoc non dici, quasi ejus fructus habuerit virtutem acuendi ingenium, ut fingunt Judæi, & Ophitæ; alioqui Deus non prohibuisset eum, nec serpens mentitus fuisset promittens Protoparentibus, quòd ex ejus esu *aperientur oculi eorum scientes bonum, et malum*, & grande bonum ex suo peccato accepissent, sc. scientiam.

Resp. 2. arborem illam sic dictam ab eventu, quatenus in pœnam inobedientiæ per ejus esum, didicerunt, *quid interesset inter obedientię bonum, & inobedientiæ malum*, inquit Augustinus. Et sic Adam expertus est, agnovitque differentiam inter bona, quibus ante esum potiebatur, & mala, quæ illi ex ejusdem esu advenerunt. Et ita censent communiter SS. Patres, & Theologi.

CONCLUSIO II.

F*Ructus vitæ habuit virtutem conservandi vitam longiorem, sed non perpetuam, seu non conferebat immortalitatem.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dicunt, quòd in statu innocentiæ non fuisset homo corruptus, quia deperditio paulativa* (humidi) *fuisset restaurata per esum fructus ligni vitæ: quod probatur per illud Gen. 2. Ne forte sumat de fructu ligni vitæ, et vivat in æternum. Sed contrà, quidquid fuisset principium activum in homine, non potuisset continuare actionem, quin aliquando debilitaretur, quia omne agens physicum in agendo debilitatur.* Esto ergo, *quòd natura esset debilitata, et sumeret de fructu, non potuit sustentari per istum fructum, nisi convertendo ipsū ut alimentū in substantiā, et naturā suā; sed illud conversum non potuit esse nobilius, quàm convertens. Similiter natura fuit prius debilitata, et in convertendo etiam nutrimentum illius fructus magis debilitatur, etc. ergo semper debilitatur, et ideò quandoque* de-

[1] 2 *d.* 9. *A.* 4.

deficiet. Quod probat experientia de vino, quod primò convertit aquam in se, sed toties apponitur aqua, ut tandem deficiat virtus conversiva, &c.

Prob. 2. quia virtus illius arboris erat finita; ergo non poterat tribuere homini vitam infinitam, seu absolutè immortalem, sed longiorem.

Prob. 3. quia talis virtus in illo fructu fuisset otiosa, & inutilis, quia homo non debebat vivere in terris vita æterna, nam post aliquod tempus vitæ hujus assumendus erat in cœlum; ergo &c.

Prob. 4. Si ex usu ligni vitæ, & virtute ejus physica potuisset homo fieri immortalis, immortalitas ei fuisset naturalis, non verò supernaturalis; sed conf. est falsum; ergo & ant. Min. patet ex censura Ecclesiæ, qua damnatur hæc propositio Baii, quæ est 78. inter damnatas, *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis* ejus conditio. Et S. August. [1] dicit, quòd *mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris*. Et c. 5. dixerat, *quòd corpus Adæ ante peccatum & mortale, & immortale secundum aliam, & aliam causam dici poterat; mortale, quia poterat mori, & immortale, quia poterat non mori ... Aliud autem est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ*, &c. ergo ex natura sua mortalis erat, licèt potuisset non mori, prorogando vitam per esum ligni vitæ usque ad tempus, quo assumendus esset in vitam beatam.

Objicies 1. ex Scriptura dicente Deo de Adam, [2] *Ne fortè sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum*, ideòque emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis; ergo ex Scriptura lignum vitæ dabat immortalitatem.

Respond. neg. conf. Nam eodem sensu dicebat ista Deus, quo dicebat, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, sc. ironicè, & exprobrans ei, quòd per esum ligni vetiti prætenderat esse sicut Deus, & ut significaret, quòd sicut ex inobedientia amiserat similitudinem gratiæ, ita & usum ligni vitæ, & ipsam immortalitatem, qua poterat non mori. *Hoc dupliciter intelligi potest*, inquit Augustinus, *vel unus ex nobis, quasi*.

[1] 6. Gen. 25. [2] Gen. 3.

quasi & ipse Deus, quod pertinet ad insultationem ad scientiam sc. dignoscendi boni, & mali, ut iste per experimentum disceret, dum sentit malum, quod Deus per sapientiam novit. Est ergo Ironia, & Sarchasmus, inquit Cornelius.

Objic. 2. ex Augustino. *Gustus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat, & post peccatum potuit insolubilis manere, si permissum esset illi de arbore vitæ edere*. Et alibi, *cibus aderat homini, ne esuriret, potus ne sitiret, et lignum vitæ, ne senectus eum dissolveret*, ergo fructus vitæ impediebat mortem, seu dissolutionem senectutis.

Resp. neg. conf. Nec enim id sequitur, nec intendit Augustinus, nec ullus alius ex SS. Patribus, sed tantùm, quòd ex beneficio talis fructus diutissimè potuisset homo vivere, & non mori tam citò, imò nec mori, quia post plurimos annos longioris vitæ fuisset translatus de hoc mundo in cœlum. Certè sine usu talis fructus potuit ipse Adam, & Mathusalem, & plures alii ad nongentos, & plures annos protrahere vitam. Quid non fecissent beneficio ligni vitæ? Et hoc vocat Scriptura *vivere in æternum*, id. diutissimè.

Objicies 3. cont. fundamentalem rationem Scoti. Fructus vitæ poterat ante conversionem sui in substantiam aliti reparare in eo vires deperditas, & alias qualitates vitales amissas; sed in tali casu effectus non superaret causam, quando cibus conversus fuisset in substantiam hominis; ergo penitùs reparasset vires perditas, & sic potuisset dare veram immortalitatem. Prob. maj. Nam videmus in pueris, quòd per cibos non solùm reparantur qualitates calid. & humidi, sed etiam acquiritur substantia solidior, & crescunt, & in ægris medicinæ priùs reparant amissas vires, & sic post illam reparationem cibi convertuntur in meliorem substantiam, quàm in morbo; ergo ita esset de ligno vitæ; per ejus usum primò expellerentur noxii humores, tum repararentur amissæ vires, & bonæ dispositiones; & denique acquireretur optima substantia æqualis primigeniæ.

Resp. dist. maj. Per aliquod longum tempus, con. perpetuò, & semper, neg. maj. & ant. prob. Fateor, quòd vigente, & crescente robore naturali fieri potest

ilia

illa perfecta restauratio per salubres cibos, & medicinas, sed quando natura pervenit ad terminum præfixum vigoris, nequit deinceps tam perfectè restaurari bona dispositio, alioqui semper etiam cresceret homo, & crescere debuisset Adam per illum fructum, sicut crescunt pueri, quandoquidem in illo semper ille fructus causasset eundem vigorem. Quod non dicent Adversarii; unde sicut recurrunt ad terminum præfixum à Deo naturæ, ultra quem non cresceret Adam, ita & recurrendum ad similem terminum, ultra quem non possent tam perfectè vires ejus resarciri; sed paulatim deficerent irreparabiliter.

QUÆSTIO V.

An Adam fuerit factus natura sua immortalis, an ex gratia, & quomodo.

SUppono ex dictis aliàs, quòd aliquid dicitur naturale, vel 1. quia convenit rei ex principiis suis intrinsecis, & essentialibus, ut risibilitas homini, vel 2. propter aptitudinem, aut appetitum, quem habet ad illam rem, quatenus sine violentia potest illi inesse, sic gratia diceretur naturalis homini, id est, non violenta, vel 3. quia illi inest à nativitate, seu ab initio constitutionis ejus, licèt non debeatur illi ratione ullius entitatis essentialis, sic etiam gratia dici posset naturalis Adæ, & Angelo, quatenus eam habuerunt ab initio creationis suæ, & in gratia creati sunt, quamvis absolutè, & in substantia sit eis supernaturalis, & purè gratuita. Loquimur de naturalitate immortalitatis in homine in 1. illo sensu. Nam de 2. & 3. non est difficultas, quin sic illi fuerit naturalis.

Suppono 2. immortalitatem Adæ posse intelligi provenire vel ab intrinseco, sc. ab aliqua qualitate ipsi divinitus indita, quæ ipsum perpetuò conservaret contra omnem defectum, & alterationem, vel ab extrinseco, per Dei providentiam specialem, quæ illum per se immediatè ab omni corruptione conservasset, vel per aliqua remedia ab extrinseco adhibita contra corruptiones, & alterationes omnes, quæ illi sive ab interna elementorum, & qualitatum

pugna

pugna venirent, sive ab extrinsecis injuriis. Tale remedium potest excogitari in usu ligni vitæ.

CONCLUSIO I.

Adam creatus est natura sua mortalis, & poterat mori; non tamen erat moriturus, nisi peccasset. Est communis contra Michaelem Bajum quoad 1. p. & de fide, quoad 2. contra Pelagium.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Concedo, quòd primus parens habuit potentiam ad mori.... & dico, quòd homo, stante statu innocentiæ potuit mori, ista tamen potentia non fuisset redacta in actum, & sic poterat non mori... Dico, quòd stante innocentia non accidisset mors; quia quilibet fuisset translatus in Paradisum, antequàm fuisset alteratus alteratione improportionata animæ*; ergo ex Scoto, Adam ex natura sua erat mortalis, & poterat mori, licèt non fuisset moriturus, si perstitisset innocens.

Prob. 1. p. quia per peccatum non amisit intrinseca naturæ suæ, & mansit post peccatum ejusdem speciei, & naturæ, cujus erat antè, iisdem constans elementis, & qualitatibus inter se pugnantibus, denique iisdem principiis corruptionis; sed jam post peccatum est natura sua mortalis; ergo & antè.

Prob. 2. ex censura supradictæ propositionis 78. Michaelis Baii. Nam si error, vel hæreticum est dicere, quòd *Immortalitas primi hominis non est gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*, sequitur, contradictoriam esse veram, & orthodoxam, *Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris*, inquit Augustinus. [2] Et est doctrina communis SS. Patrum.

Prob. 2.p. 1.ex Scriptura, qua constat, mortem venisse homini ex peccato. [3] *In quocunque die comederis, morte morieris*, sc. morte tam corporis, quàm animæ per amissionem gratiæ. Et post peccatum damnatur ad mortem post labores vitæ. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram*, &c. Et [4] *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors.*

Prob.

[1] *2.d.19.A.& B.3.& 4.* [2] *7.Gen.litt.25.*
[3] *Gen.2.* [4] *Rom.5.*

Prob. 2. ex Conciliis. Hoc enim definitur in Milevitano, *Qui dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita, ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anath. sit.* Et Arausic. II. con. 1. & 2. & Trident. [1] anathema dicit ei, *qui non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso trangressus fuisset, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram, et indignationem Dei, atque ideò mortem, quam anteà illi comminatus fuerat*, &c.

Objic. con. 1. p. Deus [2] *creavit hominem inexterminabilem; invidia autè Diaboli mors intravit in orbem terrarū*; ergo homo creatus fuit natura sua immortalis.

Resp. neg. conf. Nam re vera Deus fecerat Adam inexterminabilem per gratiam suam, non verò per naturam.

Objic. 2. Ideò mors sequitur peccatum, quia per illud deordinatur natura; sed natura Adæ manebat integra, si Adam non peccasset; ergo erat ex natura sua immortalis.

Resp. dist. maj. Deordinatur moraliter, & quoad gratias supernaturales, con. maj. & neg. min. quoad naturam, saltem substantialiter, neg. maj. & conf. alioquin majores peccatores citiùs morerentur. Depravata est ergo natura humana moraliter per peccatum, & quoad privationem gratiarum, & donorum; &, si læsa fuit etiam in naturalibus, non tamen quoad hoc, ut præcisè, & physicè hinc incurrat immortalitatem.

Inst. Erat immortalis per innocentiam; sed innocentia erat homini naturalis; ergo & immortalitas.

Resp. dist. maj. Per innocentiam moraliter, & ex pacto, ac voluntate Dei, con. physicè, & per connexionem physicam, & essentialem, neg. maj. Et dist. etiam min. innocentia negativa erat naturalis, con. positiva, neg. min. & conf. Immortalitas pendebat ab innocentia, quia sic Deus statuerat, & innocentia erat naturalis Adæ negativè, quatenus natura hominis de se non connectitur cum gratia positiva innocentiæ.

Objic.

[1] *Sess. 5. can. 1.* [2] *Sap. 2.*

Objic. 5. Anima, & corpus hominis naturaliter appetunt uniri; ergo mors est homini violenta, & immortalitas naturalis, & debita.

Resp. neg. conf. Nec enim ex appetitu naturali immortalitatis arguitur immortalitas naturalis, alioqui etiam beatitudo esset ei naturalis, quia illam appetit naturaliter. Præterea ex natura ipsa corporis ejus concurrit ad sui corruptionem, & mortem per pugnam elementorum, & qualitatum, ex quibus componitur; & inde mors est illi naturalis.

CONCLUSIO II.

Adam stante innocentia fuisset immortalis per donum Dei, non quidem intrinsecum, seu per qualitatem intrinsecam concreatam, sed per *providentiã, seu manutenentiam Dei extrinsecam.*

Prob. 1. ex Scoto, qui negat, immortalitatem hominis innocentis probari, aut venisse *propter aliqualem qualitatem supernaturalem traditam animæ in statu illo, quæ quidem conservasset corpus à corruptione, & hæc dicitur justitia illa originalis. Non tamen video*, inquit, *quòd illa qualitas posset facere, quòd tale corpus non pateretur à contrario*, &c. ergo ex Scoto, immortalitas Adæ non venisset ab ulla qualitate intrinseca, sed ab extrinseco. Non *accidisset mors*, inquit, *cujus causam assigno talem, quia quilibet fuisset translatus in Paradisum, antequam fuisset alteratus, &c.*

Prob. 1. par. ex dictis in præcedenti. Nam si non erat immortalis ex natura sua, ergo ex dono aliquo Dei. Nec in hoc immorandum.

Prob. 2. par. ex Augustino, qui hanc gratiam tribuit Deo conservanti, non autem ulli entitati, *sicut vestimenta filiorum Israel attrita non sunt 40. annis per desertum, nec calceamenta pedum sunt vetustate consumpta, Deo supra id, quod illorum natura postulabat, tota illo tempore conservante: sic animali, & mortali corpori hominum in statu innocentiæ contulisse Deum statum quendam, quo sine defectu annorum esset, quousque ad omnimodam immortalitatem perveniret*; ergo sicut non dicitur Deum contulisse vestibus, aut calceis Hebræorum qualitatem quandam,

ne

ne deficerent per 40. annos; ita nec contulisset Adæ, ne moreretur, sed utrunque præstabat extrinsecè per assistentiam specialem, qua denegasset concursum suum causis corrumpentibus intrinsecis, & extrinsecis. Idem dicendum est de pueris in fornace Babylonica, &c.

Prob. 3. Nam illa qualitas fuisset purè spiritualis, & inhærens animæ, vel purè materialis, & inhærens soli corpori; sed neutrum dici potest; ergo id non fieret per qualitatem intrinsecam. Prob. min. 1. non purè spiritualis, quia sic nihil potuisset conferre corpori, ne læderetur, vel alteraretur, sed illud in sua dispositione relinqueret. 2. non purè materialis, quia & ipsamet fuisset corruptibilis, sicut aliæ omnes qualitates materiales.

Confir. quia non apparet, quomodo per ullam qualitatem physicam, & infusam homini potuisset reddi impassibilis à causis intrinsecis, & extrinsecis; ergo &c. Prob. ant. 1. Non enim impediebat, quin egeret cibo, & sic posset mori fame, aut nimia saturitate. 2. neque explicari potest, quomodò impediret, ne posset feriri, aut præcipitari, aut suffocari, aut cremari, &c.

Dices, quod impediret, ne anima posset à corpore separari.

Contra. In tantùm id posset impedire, quatenùs impediret, ne destruerentur dispositiones ad conservationem formæ in subjecto; sed istud non impediret; ergo nec illam separationem. Prob. min. Non impediret, ne corpus egeret cibo, & per consequens ne alteraretur fame, & consumeretur humidum radicale; ergo &c. Unde recurrendum fuisset ad lignum vitæ, per quod restaurarentur vires deperditæ, & prorogaretur vita; illud autem lignum erat causa extrinseca homini; ergo potiùs illi, quàm ulli qualitati intrinsecæ tribuenda esset illa immortalitas.

Prob. denique, quia sufficienter, & commodius explicatur per illam extrinsecam, & specialem Dei assistentiam, qua illum conservaret contra omnes causas corruptivas, vel eum ab illis præservaret absque multiplicatione entium sine ulla necessitate; ergo ita potiùs dicendum est fore, quàm per ullam entitatem intrinsecam. Unde concludit Scotus, quod ista immortalitas non fuit impossibilitas moriendi, etiam stante isto statu justitiæ originalis, sed possibilitas

litas non moriendi, quæ conservabatur per esum ligni vitæ, custodiam Angelorum, & protectionem Divinam.

Objic. 1. Deus non solet præstare effectus diu duraturos per solam suam voluntatem extrinsecam, sed per causas aliquas secundas; sed illa immortalitas erat effectus permanens, & poterat effici per aliquam qualitatem infusam, vel infundendam homini; ergo ita fiebat.

Resp. 1. dist. maj. effectus positivos, & naturales, transeat, negativos, & supernaturales, neg. maj. Immortalitas autem erat effectus negativus, ad quem nolitio concurrendi cum causis corruptivis, & volitio conservandi vitam sufficiebat. 2. negatur etiam min. Nam illa immortalitas erat parum duratura, & parum duravit.

Ob. 2. Debebat immortalitas in Adā causari, sicut in corporibus gloriosis; sed in istis causatur per qualitatem intrinsecam illi statui accommodatam, ergo & in isto per aliam proportionatam statui Innocentiæ.

Resp. 1. neg. maj. quia longè differunt istæ immortalitates. Nam in beata, & in statu gloriæ corpus, & vita conservantur cum impassibilitate, sine cibo, & potu, quod non fiebat, nec fieret in statu innocentiæ, sed homo egebat cibis, & potu, à quibus poterat alterari, & pati.

Resp. 2. neg. min. Nam etiam Beati post resurrectionem custodientur speciali providentia, & voluntate Dei ex Scot. [1] *Dico, quòd causa impassibilitatis est voluntas divina non coagens causæ secundæ corruptivæ*, &c.

Objic. 3. Eodem modo Adam fuisset præservatus à morte, quo appetitus ejus subjiciebatur rationi; sed hæc subjectio veniebat à qualitate intrinseca justitiæ originalis; ergo & illa immortalitas. Min. patebit ex dicendis. Maj. prob. Nam eadem est ratio de utroque.

Resp. neg. maj. & prob. ejus, quidquid sit de minori, de qua infra. Et disparitas est, quia illa subjectio appetitus optimè intelligitur fieri per qualitatem qua roboratur ratio, & reprimitur appetitus, quando-

[1] *4.d.49.q.13.D.5.*

doquidem tam ratio, quàm sensus sunt capaces habituum ad bonum, & malum, non verò immortalitas, quandoquidem corpus in statu innocentiæ non videatur capax qualitatis impedientis alterationem, & corruptibilitatem supposita indigentia cibi, & potus, & remedii ex ligno vitæ.

Objic. 4. Immortalitas Adæ fuisset positiva, ita, ut non potuisset mori; ergo præstabatur per causam aliquam intrinsecam. Prob. ant. Non poterat mori sine culpa, quia mors ibi fuisset pęna; sed ibi non potuisset esse culpa, quia erat status innocentiæ; ergo neque mors.

Resp. neg. ant. & maj. prob. Nam cessante culpa secluso decreto de punienda culpa per mortem, seu ex natura rerum mors hominibus non fuisset pœna potiùs, quàm in brutis, & plantis, in quibus accidit ex conditione naturæ, & non ex pœna; supposito autem pacto, & decreto de dono immortalitatis perseverantiæ Innocentiæ, & de inferenda morte, si peccaret, mors habet rationem pęnæ, sicut immortalitas habuisset rationem gratiæ, & etiam mercedis.

Objic. 5. Textum Augustini, quem miratur Gaudentius pro nobis adduci, sicut miraculum immortalitatis, seu inalterabilitatis vestimentorum Israëlitarum in deserto non fiebat per miracula innumera, quibus Deus impediret, ne Sol, & arenæ, & aliæ causæ adurerent, & alterarent vestes eorum, sed per qualitatem, & virtutem, quam semel illis indiderat, ut resisterent causis corruptivis; ita est de immortalitate Adæ, si non peccasset, alioqui comparatio Augustini non quadraret; ergo S. Augustinus est contra nos.

Resp. neg. ant. Imò sicut non videtur, quænam qualitas, & virtus supernaturalis poni potuerit in vestibus Israëlitarum ad eas conservandas, præter extrinsecam voluntatem Dei volentis eas conservare, & non concurrere cum causis corruptivis, ita est de ista immortalitate, & sic comparatio optimè quadrat.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De scientia primi hominis in creatione.

JAm incipimus considerare hominem creatum in perfectionibus naturalibus animæ suæ. Et 1. in scientia ejus, quæ pertinet ad Intellectum, & quærimus, an, & qualis in eo fuerit. Nam, quæ de animæ ipsius substantia, creatione, & facultatibus examinari possent, vidimus in Philosophia.

CONCLUSIO I.

ADam creatus est cum omnibus scientiis, & cognitionibus naturalibus, licet potuerit deinceps in scientia proficere. Est communis, & supponitur à Scoto, [1] dum quærit de filiis nascituris in statu innocentiæ, an crevissent in corpore, & scientia, sicut modò. Nisi enim supponeret ipsos Protoparentes omni scientia donatos ab initio creationis, idem quæreret de illis,ac de illorum filiis.

Prob. 1. ex Script.[2] *Disciplina intellectus replevit illos,creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & bona, ac mala ostendit eis*. Item quia de facto Deus [3] *Adduxit cuncta animantia ad Adam, ut videret, quid vocaret ea; appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ, & omne, quod vocavit animæ viventis, ipsum est nomen ejus;* ergo signum est, quòd rerum omnium essentias, & proprietates novit, alioqui non potuisset nomina propria imponere.

Prob. conf. ex Chrysostomo [4]. Nam, *qui congruis nominibus jumenta appellare, & volatilia cœli, & alias bestias potest, quomodo non omni scientia, & industria pollet?*

Prob. 2. Nam talis scientia maximè decebat statum, & finem, propter quem creabat eum Deus. 1. Sicut creabat eum adultum, & perfectum donis corporeis, & sensuum, ita & in anima, 2. quia creabat, & ab hoc ipso tempore, ut dominaretur, & esset doctor, & rector

[1] 2.*d*.20.*q*.3. [2] *Eccl*.17. [3] *Gen*.2. [4] *Ho*.14.*gen*.

ctor totius mundi hujus; sed ad hæc requirebatur scientia omnium rerum; ergo &c. 3. quia non erat minoris conditionis, quàm reliqua animantia; sed hæc omnia creavit cum omnibus cognitionibus, & qualitatibus, ad quas poterant naturaliter crescere, & ipsas arbores cum fructibus suis; ergo &c.

Prob. 2. par. Nam dicitur ibidem, quòd Deus dedit illis *cor excogitandi*. 2. quæ sciebat per scientiam infusam, potuit addiscere tum per ratiocinationes, tum per experientias. Et confir. Nam scientia infusa Adæ non fuit perfectior scientia Christi D. sed de Christo dicitur, quòd *proficiebat ætate, & sapientia coram Deo; ergo* idem dici potest de Adam. 3. denique potuisset addiscere, & acquirere cognitionem secretorum, & cogitationum cordium; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. par. Ex Scriptura post esum pomi scientiæ *aperti sunt oculi amborum*; sed id dicitur de oculis mentis per novas cognitiones; ergo non omnes acceperant à Deo.

Resp. dist. maj. Aperti sunt oculi mentis quoad cognitionem practicam peccati sui; & fœditatis ejus, & cognitionem experimentalem nuditatis suæ, con. maj. & min. Nam hæc tunc quidē experiri cœperunt, & intuitivè agnoscere, sed antea cognoscebant illa in genere, & abstractivè.

Inst. Deus ipse increpans dicit, *Quis indicavit tibi, quòd nudus esses*? &c. ergo ante peccatum nesciebat Adam, se esse nudum.

Resp. neg. conf. Nam sciebat quidem, se esse nudum, quomodò id ignorasset? sed id nesciebat cum verecundia. Nuditatem suam anteà videbat, sed non erubescebat.

Objic. 2. Adam, & Heva crediderunt serpenti dicenti, *eritis sicut Dii scientes bonum, & malum*, sc. ex comestione pomi scientiæ; sed non credidissent, nec se falli paterentur, nisi ex ignorantia; ergo multa ignorabant. Prob. maj. Nam, inquit Apost. *mulier fuit seducta in prævaricatione*.

Resp. dist. maj. Crediderunt de scientia aliqua supernaturali, & qualem Deus habet, con. de scientia naturali, neg. maj. & conf. Nam sicut non dicimus, Protoparētes habuisse omnes scientias supernaturales,

ita

ita potuerunt quoad eas decipi, & sperare, aliquas haberi posse ex esu pomi scientiæ.

Inst. 1. Si potuerunt sic decipi, in hoc fuerunt ignorantes, quòd putarunt, se posse ex cibo talem scientiam accipere; ergo non habuerunt tantam scientiam ne naturalem quidem.

Resp. dist. antec. Fuerunt ignorantes ex peccato præsumptionis, & superbiæ jam in cordibus admisso, conc. ante peccatum, neg. ant. & conseq. Nam, inquit Augustinus [1] *Quomodò verbis serpentis crederet mulier, à bona, atque utili re divinitùs se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio?*

Inst. Post peccatum dixit Deus, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum*, ergo per esum pomi acquisivit aliquam scientiam etiam naturalem, quam non habebat.

Resp. neg. cons. Nam, ut jam notavimus, id dictum est ironicè, & per sarchasmum, & ex indignatione.

CONCLUSIO II.

Probabile est Adamo infusos fuisse habitus fidei, ac scientiarum aliquarum supernaturalium, v.g. speciem aliquam repræsentantem abstractivè Essentiam Dei.

Prob. 1. ex Scoto, [2] *Fides infusa fuit necessaria homini salvando pro omni statu, quia sicut anima non est accepta Deo, nisi ornetur, et perficiatur per charitatem quoad voluntatem, sic non acceptatur à Deo, nisi perficiatur habitu supernaturali quoad intellectum*, &c. sc. per fidem, qua proponantur illa, quæ per charitatem amet in Deo, ergo habitus fidei debuit esse in Adamo. Quoad speciem autem Essentiæ Dei patet ex dictis de Angelis. Nam, ut probet, hanc fuisse in Angelis, dicit, [3] quòd *homo pro statu Innocentiæ potuerit aliquo modo habere notitiam distinctam de ultimo fine, seu de summo bono, qualis est Essentia Dei*, ergo ex Scoto vera est tota conclusio.

Prob. 1. p. quia Protoparentes habuerunt omnem cognitionem sibi necessariam ad salutem; sed talis est cognitio ex fide, quæ regulariter datur per infusio-

[1] 11. *gen. lit.* 30. [2] 3 *d.* 25. *q.* 1. *A.* 2. [3] 2. *d.* 3. *q.* 9. *E.* 7.

nem habitus, vel saltem alia cognitione, seu scientia supernaturali; ergo probabile est, imò plusquam probabile est, hos habitus non defuisse illis. Maj. patet. Nec enim Deus illis defuit in necessariis ad salutem, qui tam liberaliter providit etiam in non necessariis, ut erant scientiæ, & alii habitus naturales; & potiùs fecerat eos ad finem supernaturalem, quàm ad naturalem. Prob. min. Nam sine fide impossibile est placere Deo, & fides est sperandarum rerum substantia, & argumentum non apparentium; ergo &c.

Confir. ex Patribus. Nam, inquit Hugo Victor.[1] *cognovit homo Creatorem suum, non ea cognitione, quæ foris ex auditu solo percipitur*, (à quo enim audivisset?) *sed ea, quæ potiùs intus per inspirationem ministratur, non ea, qua Deus modò à credentibus absens fide quæritur, sed ea, qua tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestiùs cernebatur*. Debuit ergo cognoscere Deum, ut remuneratorem, & præmia vitæ æternæ justis reservantem. Nam, inquit Apostolus, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator est*. Et sic debuit agnoscere se creatum ad finem supernaturalem, ut in illum dirigeret omnes actus suos. Ob id etiam debuit agnoscere media, quibus ad eum finem poterat pervenire, quales sunt virtutes, maximè Theologicæ. Hæ autem cognitiones sunt supernaturales, ergo &c.

2. Debuit agnoscere Deum, ut trinum, & unum. Et de facto eam cognitionem in Adamo statim infusam colligimus ex verbis Dei in ipsius creatione, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; alioqui non intellexisset Adam, Deum loqui de Personis illis, quando dixit coram eo, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*. Denique si ulla veritas, & mysterium debuit ei revelari, ut crederet, & per fidem mereri posset, maximè Trinitas Personarum in unitate Essentiæ.

3. Debuit agnoscere mysterium incarnationis, tum quia ex prævisione meritorum Christi prædestinati fuerant homines præscindendo à carne passibili, vel impassibili, & ex ejusdem meritis prævisis collatæ fuerant

[1] *De sacr. p.6. c.14.*

rant gratiæ. 2. putant etiam] Patres, quòd in illa extasi, qua durante formata est Heva ex ejus costa, revelata fuit illi unio Christi cum Ecclesia oritura ex latere ejus in morte crucis. Unde Apost. [1] referens verba Adam evigilantis, *Relinquet homo patrem, & matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una,* addit de suo, *Fuit Sacramentum hoc magnum: ego autem dico in Christo, et Ecclesia.*

4. Putant aliqui, eum agnovisse Angelorum casum. Id enim utilissimum erat Adamo tum ad humilitatem, tum ad timorem, ne caderet in inobedientiam mandatorum Dei videns severitatem judiciorum ejus. Quod videtur innui verbis Sapientis, [2] *Judicia sua ostendit illis.*

5. Debuit agnoscere seipsum perfectè, *ut debitum obedientiæ agnosceret erga superiorem, et debitum providentiæ suæ erga inferiorem*, inquit Hugo citatus. Hæ autem cognitiones adeò sublimes fuisse creduntur, ut ex earum veritatum contẽplatione recreatus sæpè in extases raperetur. Unde soporem illum immissum à Deo dicunt Patres fuisse extasim. *Illa extasis, quam Deus immisit in Adam, ut soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, ut mens ipsius per extasim particeps fieret tanquam Angelica, et intrans in sanctuarium Dei intelligeret novissima*, inquit Augustinus, [3] &c.

Objic. Si Adam habuisset speciem impressam Deitatis, non potuisset eam cognoscere per fidem, sed conf. est falsum, & contra nos, ergo & quòd habuerit speciem Deitatis. Prob. maj. Nam vidisset Deitatem clarè, & scientificè, imò & beatificè; sed claritas, & scientia, & visio non stant cum fide; ergo non potuisset cognoscere Deum per fidem.

Resp. neg. maj. utranque. Nam per speciem illam agnovisset Deitatem abstractivè tantùm, non autem intuitivè, ut requiritur ad visionem beatificam. Ad hanc enim requiritur, ut terminetur immediatè ad Essentiam Dei per se moventem, & ut præsentem.

Resp. 2. dist. min. Non stant cum fide ex eodem motivo, seu medio, conc. ex diversis mediis, neg. min. Potuisset Adam credere Deum trinum, & Christum venturum ex revelatione, & agnoscere distinctè, &

D 2 clare

[1] *Ephes.* 5. [2] *Eccle.* 17. [3] 9. *Gen.* 14.

clarè per illam speciem impressam. Et absolutè cognitiones per fidem, & per speciem non adeò repugnant inter se, quia cùm cognitio per speciem sit semper abstracta, relinquit aliquid obscuritatis, quod non multùm opponitur fidei.

Inst. Per illam speciem agnovisset Deum, sicuti est, fuisset enim perfectè quidditativa; sed talis cognitio est beatifica, quia per eam similes ei erimus, *quia videbimus eum, sicuti est*; ergo illa cognitio fuisset beatifica, & repugnans fidei, quæ est per speciem, & in ænigmate.

Resp. dist. maj. Sicuti est, abstractivè, conc. intuitivè, neg. maj. min. & cons. Nam cognitio beatifica est essentialiter intuitiva, quia est de Deo in se, & ut existenti; per illam autem speciem non esset de Deo, ut existente, id. non terminaretur, nec causaretur. De Dei Essentia, ut præsente, seu existente, objici possunt, quę diximus de possibilitate talis speciei, quæ soluta videbis tr. de Deo.

CONCLUSIO III.

Talis, et tanta fuit Protoparentum sapientia ante peccatum, ut non potuerint in agibilibus decipi quoad judicium falsum speculativum, aut practicum, v. g. judicando aliquid bonum, quod in se esset malum. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto [1] *Loquendo de ignorantia, seu errore, non præcessit peccatum Adę, ita sc. quòd crederet, illud factum esse bonum, vel bonum ex hoc sequi, quia, ut dicit Aug. approbare falsa pro veris, est naturæ lapsæ, non institutæ*; ergo deceptio, & error in agibilibus non cadebant in hominem ante peccatum.

Prob. 2. ex PP. & Theologis, qui reponunt ignorantiam inter pœnas peccati originalis, ut patet ex citato loco Augustini, [2] imo ex ipsa Scriptura habemus, quòd *Deus fecit hominem rectum*, ita ut sensus ejus essent perfecti, & rectè subordinati intellectui, & iste voluntati; & sicut nulli defectui corporeo subjacebat, ita nec intellectuali quoad animam.

Dixi autem, *in agibilibus, quoad judicium practicum, vel speculativum, judicando aliquid bonum esse*

[1] *d.22. A.2.* [2] *3. lib. arb.18.*

esse, quod verè malum fuisset. Non enim fortè adeò perfecta erat illorum in sensibus discretio, ut non potuissent errare, non discernendo inter duo objecta simillima, v.g. inter duo ova, aut guttas aquæ, &c. & in hujusmodi casibus seclusa speciali Dei assistentia, quæ fortè etiam in his non defuisset, potuissent errare. Sed de his minimis nihil certum video.

Objic. 1. ex Scriptura. Mulier conqueritur se deceptam, [1] *Serpens decepit me*, & ex Apost. [2] *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*, sc. Adam licèt prior formatus, tamen posterior seductus est, ut explicant multi Patres; ergo Protoparentes potuerant decipi, & de facto sunt decepti ante peccatum.

Resp. neg. conf. vel dist. ant. Fuit decepta consequenter, conc. antecedenter, neg. ant. & conf. Nam, ut diximus ex August. [3] & citatur à Magistro dist. 22. *quomodò verbis serpentis crederet mulier ... nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, et quædam de se superba præsumptio*? Igitur ignorantia, seu error, & deceptio fuit consequens ad peccatum, non verò antecedens. Fuit culpabilis, vincibilis, & crassa, quia statim ut audivit de scientia, sicut Deus, & de similitudine cum Deo, statim concupivit eam, licèt adhuc non crederet positivè illam sibi possibilem. Apostolus autem dicit, Hevam fuisse seductam seductione voluntaria, non virum, ut ostendat, non decere, ut mulieres doceant, quia præ viris maximè sunt obnoxiæ errori, ac deceptioni. Unde comparativè ad Adam Heva decepta est, non sic tamen, ut absolutè peccaverit ex ignorantia antecedenti. Sed de hoc redibit sermo infrà.

Objic. 2. Adam ante peccatum non habuit perfectam scientiam de omnibus; ergo in aliquibus potuit errare, & decipi.

Resp. neg. antec. Nam ex dictis patet, eum habuisse cognitionem infusam omnium scibilium, quantum spectabat ad ejus statum, & perfectionem, & maximè, ne in agibilibus alicujus momenti posset errare.

Quæres, *an ante peccatum intellectus Adæ dependeret à sensibus, seu à phantasmate, sicut nunc*.

[1] *Gen.* 3. [2] 1. *Ti.* 2. [3] 11. *Gen.* 30.

Resp. ex dictis in Philosophia, negativè. Nulla enim adest ratio præter pœnam peccati, cur anima existens in corpore non posset suas operationes spirituales exercere independenter à sensibus, sicut eas exercet in statu separationis. Vide, quæ diximus ibi.

Quæres 2. *an scientia Adæ fuerit maxima præ cæteris omnibus puris mortalibus*, v.g. *an fuerit sapientior Salomone*.

Resp. affirmativè, quia Adam fuit caput, & princeps totius generis humani, ergo & decuit, eum in perfectionibus, & maximè in scientia, præcellere cunctis mortalibus.

Dico, *omnibus puris mortalibus*, ut excipiam Christum Dominum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*.

Dices, *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens* (inquit Deus ipse Salomoni) [1] *in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit*; ergo Adam non fuit sapientissimus omnium, sed Salomon fuit sapientior.

Resp. neg. conseq. Id enim non intelligitur adeò universaliter, & rigorosè respectu omnium omninò priorum, inter quos fuit Adam, & posteriorum, inter quos fuit Christus Dominus, sed tantum respectu omnium prædecessorum post lapsum, & expulsionem ex Paradiso, vel in tota familia Abraham, quo sensu dicit ipse, *Præcessi omnes, qui fuerunt ante me in Jerusalem*, vel omnium anteriorum, & posteriorum, qui proprio studio, & labore sapientiæ famam habuerunt, ut Trismegistus, Plato, Aristoteles, &c.

QUÆSTIO VII.

De perfectionibus naturalibus voluntatis Adæ, & Hevæ.

Certum est 1. Protoparentes creatos fuisse innocentes, saltem negativè, seu sine peccato, quia Deus non est auctor peccati. 2. illos non peccasse in 1. instanti suæ creationis, cùm Adamus peccaverit in Paradiso, in quo fuerat creatus, & post formationem Hevæ, & post Hevam, & post adducta coram ipso omnia animalia. An autem peccare potuerint in illo pri-

[1] 3. Reg. 3.

primo instanti, facilè colligitur ex dictis ad simile quæsitum de Angelis. Non agimus de perfectionibus essentialibus, & entitativis voluntatis, inter quas præcipua est libertas. De his enim diximus in tr. de anima.

Restat ergo quærere de virtutibus moralibus, fortitudine, temperantia, & justitia, & aliis, si quæ sint. Et quæstio maximè procedit de virtutibus per accidens infusis. Nam hæ sunt solæ in se naturales, & naturaliter acquisibiles. Idem quæri potest de theologicis naturalibus fide, spe, & charitate.

CONCLUSIO I.

PRotoparentes in creatione acceperunt virtutes omnes morales per accidens infusas, imò & theologicas etiam naturales.

Prob. 1. ex Scriptura. Deus enim [1] *creavit hominem, & secundum se vestivit eum virtute*. Et alibi dicitur, [2] *Deus creavit hominem rectum, & ipse se immiscuit infinitis quæstionibus*. Rectitudo autem naturalis consistit in negatione pravarum inclinationũ, & in inclinatione positiva in bonum honestum. Ad hoc etiam facit, quòd [3] *Deus addidit disciplinam, & legem vitæ hæreditavit illos*.

Prob. 2. quia non minùs congruebat Divinæ sapientiæ, & bonitati, ut primus homo, & caput totius generis humani esset perfectus naturaliter quoad voluntatem, & appetitum, quàm quoad cognitionem, & intellectum; ergo sicut Deus creavit illis scientias omnes naturales, ita & omnes virtutes morales.

Confir. ex dicendis, quia eum creavit cum justitia originali, & gratia justificante, ac aliis donis supernaturalibus; ergo à fortiori non defuerunt naturalia.

Prob. 2. p. Nam voluntas naturaliter inclinari potest ad Deum colendum, & amandum, ad quæ inclinant religio, & charitas, imò & ad credendum Deo loquenti, & ad hoc juvari per fidem aliquam naturalem, & sperare, quòd ex fidelitate stabit promissis ad dandam felicitatem, qualis naturæ lumine proponi potest. An autem dentur tales virtutes naturales, pro nunc suppono, de quo aliàs.

 Objic.

[1] *Eccl.* 17. [2] *Eccl.* 7. [3] *Eccl.* 17.

Objic. Homo ante peccatum non egebat virtutibus; ergo non habuit, ne frustra haberet. Prob. ant. Tunc non habebat difficultatem benè agendi, nec repugnantiam patiebatur ratio ex parte concupiscentiæ. Appetitus enim perfectè subjiciebatur rationi.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam licèt nullam pateretur voluntas difficultatem ad bonum ex resistentia appetitus sensitivi, adhuc tamen egebat habitibus bonis inclinantibus ad actus virtutis, ad quos ex se vel indifferens erat inter bonum sensibile, seu delectabile, & bonum honestum, vel minùs inclinata, & quidem de homine id longè verius est, quàm de Angelis, per habitus autem augebatur inclinatio ad bonum.

Objic. 2. Sunt aliquæ virtutes morales, quarum actus repugnabant illi statui, nam actus pœnitentiæ repugnat statui innocentiæ; ergo illos habitus non habuit Adam in sua creatione, quia fuissent frustra.

Resp. neg. conf. & rationem ejus. Nam pœnitentia est pars justitiæ, & licèt ea nō indiguisset pro illo statu, tamē indigere poterat, quia poterat peccare. Idē dicitur de misericordia, quia licèt non haberet occasionem miserendi proximo, quia non foret ibi miseria, posset tamen ibi esse, posito quòd caderet ab eo statu felicitatis, ut de facto accidit. Denique poterat illos actus pœnitentiæ, & misericordiæ amare propter honestatem illorum, vel in aliis, ut amant Beati ipsi, & ipse Deus.

Objic. con. 2. p. Objecta fidei, & spei sunt substantialiter supernaturalia; ergo & omnes actus, & habitus circa illa.

Resp. neg. conf. Nam posset credi Trinitas, & sperari beatitudo ex motivis purè naturalibus, licèt non sicut oportet ad salutem, ut dicetur aliàs. In Hæreticis, qui habitum fidei supernaturalis amiserunt, remanent actus credendi, & habitus acquisiti purè naturales in entitate. Ita est de spe.

Quæres, *an subjectio appetitus ad rationem fuerit perfecta in Adamo.*

Resp. affirmativè. Sed, quia fuisse donum supernaturale credo, & conjunctum cum justitia originali, ac innocentia positiva, de hoc dicemus infrà, sicut & de aliis donis supernaturalibus.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De ratione imaginis, & similitudinis Dei in homine, an, & in quo consistat.

DEus facturus hominem sibi proposuit illum facere *ad imaginem, et similitudinem suam*, & de facto *ad imaginem, et similitudinem suam creavit illos.* Quæ autem requirantur ad rationem imaginis, jam notavimus in tr. de Trinitate, ubi de 2. Persona. Monet enim Doctor, [1] quòd ad rationem imaginis non sufficit quæcunque similitudo, sed requiritur quòd imago nata sit imitari ipsum, cujus est imago, quia secundum Augustinum, [2] *quantuncunque dona sint similia, unum non est imago alterius, quia non est natum imitari ipsum*, sc. requiritur, 1. ut imago repræsentet id, cujus dicitur imago, & 2. ut sit facta ad Imitationem ejus, seu ad illud repræsentandum, sicut ovum unum non fit à gallina, ut aliud repræsentet. Sic pictor si pingendo Petrum repræsentaret Paulum, tabella illa propriè non diceretur imago Pauli. Requiritur etiam, ut imago Trinitatis repræsentet eam nobis secundum conceptum, quem habemus de illa, v. g. secundum aliqualem trinitatem Personarum, vel saltem formalitatum in unitate substantiæ.

Porrò duplex est imago, 1. *perfecta*, quæ exhibet similitudinem perfectissimæ univocationis in eadem numero natura cum consummata imitatione, ita, ut procedat ab imaginato ad repræsentationem adæquatissimam. Et talis imaginis ratio convenit soli Verbo Divino respectu Patris æterni, 2. *imperfecta*, quæ repræsentat imaginatum per imitationem, & similitudinem ex ipso expressam. Et hæc convenire potest creaturæ rationali.

Quærimus ergo, an verè homini conveniat hæc ratio imaginis Dei, 2. in quo consistat, 3. an illi conveniat ratione corporis, vel animæ, vel utriusque, 4. quid sit illa similitudo, ad quam factus est, an diversum quid à ratione imaginis.

[1] 3. *d*. 3. *q*. 9. [2] *L*. 83. *q*. 44.

CONCLUSIO I.

R*Atio imaginis Dei verè convenit homini, et hoc secundum animam* ejus. Est de fide quoad 1. p. communissima quoad 2. contra Audianos, & Antropomorphitas, qui ut Deum corporeum esse fingebant, ita & in corpore nostro rationem imaginis posuerunt, & contra Eugubium, qui idem putat ex alio capite, sc. quia fingit Deum, ut crearet hominem, induisse formam corpoream humanam, & contra Origenem dicentem, hanc similitudinem terminari ad Christum, cui homines sunt similes juxta illud Apostoli, [1] *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, & sic etiam hæc ratio imaginis esset tam in corpore, quàm in anima, seu in tota humanitate.

Quoad 1. p. non est immorandum, cùm pateat ex Scriptura.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto. *Illa creatura*, inquit, *quæ ducet nos in cognitionem Trinitatis per modum imaginis, repræsentabit Trinitatem quantum ad illum conceptum, quem intellectus potest habere de ea. Repræsentabit igitur distinctionem trium Personarum, unitatem Essentiæ, & ordinem originis, &c. Videndum est de illis, quæ sunt manifesta esse in mente, seu in anima, & quidem secundum actus primos, & secundos simul*, sc. secundum facultates intellectivam, & volitivam, & simul secundum actus illarum, sc. intellectiones, & volitiones. Et alibi dicit, *Anima habet trinitatem, & unitatem aliquo modo, sicut Essentia Divina habet*; ergo ex Scoto ratio imaginis Dei attenditur in homine penes animam.

Prob. 2. ex Patribus, qui licèt in diversis perfectionibus eam ponant, tamen omnes conveniunt, eam residere in anima. *Hoc præcellit in homine, quia Deus ad imaginem suam hominem fecit propter hoc, quòd dedit ei mentem intellectivam, qua præstat pecoribus*, inquit August. Et S. Ansel. *Si mens ipsa sola ex omnibus, quæ facta sunt, sui memor, & intelligens, & amans esse potest, non video, cur negetur esse in illa vera imago illius Essentiæ, quæ per sui memoriam, & intelligentiam, & amorem in Trinitate ineffabili consistit.*

Et

[1] *Rom.* 8.

Et idem docent alii Patres communiter.

Prob. 3. quia quoad corpus, homo non magis repræsentat Deum, quàm quodvis aliud animal, Deus enim est planè incorporeus; ergo non potest esse imago, nisi quoad animam. Quod enim aliqui fingunt, Deum, quando formavit hominem, assumpsisse corpus, communiter reiicitur, ut sine ullo fundamento dictum. Sanè, hoc concesso, non propterea diceretur homo imago Dei absolutè, sed Dei larvati. Nam Deus sub corpore esset quasi larvatus, & sub aliena veste, ac specie.

Prob. 4. quia conditiones imaginis respectu Dei non possunt convenire homini, nisi quoad animam. *Imago Dei quærenda, et invenienda est in eo, quo natura nostra nihil habet melius*, inquit August. [1] sed nihil in homine est melius anima; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. ex Script. [2] *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* ergo non licet fingere extra Deum ipsum imaginem ejus.

Resp. neg. conf. Nam ibi Propheta loquitur de imagine perfecta, & adæquata per similitudinem univocationis, qualis est in verbo cum Patre. Et ideò solus Filius est imago Dei invisibilis, *primogenitus omnis creaturæ*; homo est imago imperfecta ratione aliqualis similitudinis, & imitationis.

Objic. 2. con. utranque. Homo quoad partem sensitivam æquè repræsentat Deum unum, & trinum, ac intellectiva, sed quoad sensitivam non differt à brutis; ergo homo non est magis imago Dei, quàm bruta, nec per animam magis, quàm per corpus. Prob. maj. In parte sensitiva sunt tres potentiæ in eadem substantia; ergo tam repræsentat Deum unum, & trinum. Prob. ant. In ea enim est facultas cognoscitiva, appetitiva, & memorativa; ergo &c.

Respond. neg. maj. 1. ar. & ant. 2. & 3. Nam in brutis, cùm anima sit materialis, & divisibilis, facultates illæ sunt realiter divisæ, & distinctæ in distinctis organis, & sic non repræsentant Trinitatem in unitate vera.

Inst. Saltem in homine sunt unum, nam identificantur in anima rationali, quæ est una; ergo saltem homo erit imago Dei, quoad partem inferiorem, D 6 &c.

[1] 14. Tr. 5. [2] Isa. 40.

& sensitivam, seu animalem, & non tantùm quoad superiorem, & rationalem.

Resp. dist. ant. Unum inadæquatè, & quoad principium radicale, con. adæquatè, neg.ant. & conf. Nam adequatè facultates illæ sensitivæ coalescunt ex anima, & organis, hæc autem distinguuntur realiter, & divisibiliter, nec sunt verè, & realiter una substantia, sed plures. Esto, quòd sicut unitatem aliquam imperfectiorem habent in anima, velut radicali principio, & in toto homine, & ita dicantur imperfectè repræsentare Deum unum, & trinum, tamen in comparatione animæ id faciunt imperfectissimè. Et ideò homo non dicitur imago Dei quoad hanc partem.

Objic. 3. Deus cùm dicit, *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. non magis loquitur de anima, quàm de corpore, seu de toto homine; ergo quoad utrunque est imago.

Resp. neg. cons. quia ratio imaginis cadit præcipuè in illam partem, per quam homo magis assimilatur Deo, ut fit per animam, quæ est substantia purè spiritualis.

CONCLUSIO II.

Ratio similitudinis cum Deo convenit homini principaliter quoad gratiam, & sanctitatem, imaginis verò, quoad naturam animæ rationalis, quatenus eadem in substantia est memorativa, intelligens, & volitiva. Est communis.

Suppono, quòd, cùm Deus dicit, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, non idem significant illæ duæ voces, imago, & similitudo, nec reciprocantur. *Qui non frustra intelligunt, duo dicta esse ad imaginem, & similitudinem*, inquit Augustin. [1] *cum si una res esset, unum nomen sufficere potuisse asserunt*. Nec id improbat: Imò hæc duo distinguit, dicens, quòd, [2] *quantuncunque duo ova sint similia, unum non est imago alterius, quia non est natum imitari ipsum*, &c. Igitur similitudo latiùs patet, quàm imago, estque velut genus, & imago species. Omnis imago est simi-

[1] *L. 83. qq. 51. Ibid. q. 74.*
[2] *L. imperf. gen. 16.*

militudo, sed non omnis similitudo est imago. *Omnis imago similis est rei, cujus est imago, nec tamen omne, quod simile est alicui, etiam imago est ejus*, &c. ait idem August. ergo hìc duo distincta significantur. Et hoc supposito, concludimus, rationem imaginis Dei in homine sumi ex formalitatibus naturalibus animæ, similitudinis verò sumi ex gratia, & sanctitate, licèt ab aliquibus confundantur, & pro eodem sumantur: hoc supposito.

Prob. 1. conclusio ex Scoto, [1] qui docet, rationem imaginis Dei in homine sumi ex anima, non solùm, quatenus habet actus primos intelligendi, & volendi, sc. facultates intellectivam, & volitivam, sed etiam quatenus habet actus secundos, sc. intellectionem, & volitionem. *Hoc intellige sic*, inquit, *Anima habet in se aliquam perfectionem, secundum quam formaliter est actus primus notitiæ genitæ, et aliam, secundum quam recipit formaliter volitionem; istæ perfectiones dicuntur memoria, intelligentia, et voluntas, vel anima, in quantum habet ipsas.... Accipiendo igitur ista tria ex parte animæ, ut sunt sub tribus actibus suis, in istis, inquam, tribus est consubstantialitas ratione illarum trium realitatum, quæ sunt ex parte animæ, sed est distinctio, & origo ratione istarum actualitatum receptarum in anima*, &c. ergo ratio imaginis sumitur ex natura ipsius animæ secundum tres illas facultates, prout sunt sub actibus intelligendi, & volendi. Addit prætereà, quòd anima, ut intelligit, & amat creaturas inferiores, est imago imperfecta, ut autem amat seipsam, est imago perfecta, & ut intelligit, & amat Deum est imago perfectissima, quia inquit, [2] *quando isti actus ita sunt in mente, quòd non tantùm habent substantialitatem, et similitudinem, distinctionem, et originem, sed etiam habent ulteriorem assimilationem ad Deum ex ratione objecti, circa quod sunt, est perfectior similitudo*, &c. ergo à fortiori hoc verum est, quando homo in moribus suis, & sanctitate Deum imitatur, & per gratiam fit consors ejus naturæ, ut loquitur D. Petrus.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Augustinus, [3] *Quibusdam visum est, similitudinem aliquid am-*

[1] 1.d.2.q.9.B.3. [2] Ibid.K.7. [3] 93.Deuter.

amplius esse, quàm imaginem, quòd homini reformando per Christi gratiam posteà servaretur. Et S. Basil. [1] *Per imaginem animæ impressam meæ obtinui rationis usum; verum Christianus effectus, utique similis efficior Deo.* Et S. Hieron. [2] *Notandum, quòd imago tunc in creatione facta sit tantùm; similitudo in baptismate tantùm compleatur.* Et Chrysost. [3] *Imaginem ob principatus rationem, similitudinem, ut pro viribus humanis similes fiamus Deo, mansuetudine, lenitate*, &c. Ideò dicebat Christus, *Similes estote Patri vestro*. Et S. Bernar. *Imago siquidem in gehenna uri poterit.... similitudo non sic, sed aut manet in bono, aut, si peccaverit anima, mutatur miserabiliter in mentis insipientibus similata*; ergo ex Patribus ratio imaginis in homine sumitur in natura mentis ejus, similitudo autem attenditur in moribus.

Prob. 3. quia, ut patet ex Patribus citatis, alia est similitudo, quæ antecedit, aut format rationem imaginis, ut ratio generica, & non dependet à nobis; alia, quæ consequens est, & dependet à nobis, aut saltem à nostra cooperatione; sed prima consistit in gradibus, & qualitatibus naturalibus, & inseparabilibus ab essentia hominis, ut memoria, intellectus, & voluntas, & actus illarum facultatum, sc. intellectio, seu productio verbi, & amoris, & ipsa intellectio, & amor; & in his consistit ratio imaginis; 2. verò dependet tum à gratia Dei superaddita, & à virtutibus, per quas Deum imitamur, & sanctitatem ejus in nobis exprimimus per cooperationem gratiis ejus; ergo &c.

Objic. Scriptura, & Patres non distinguunt rationem imaginis à similitudine; ergo in eodem consistit utraque. Prob. ant. ex Scriptura. Nam postquàm dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, postea nihil dicit de similitudine, sed solum imaginis memoratur, *Creavit Dominus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*; &c. ergo pro eodem sumitur imago, & similitudo. Prob. conf. ex Aug. à nobis citato. *Miror autem, si non propterea posteà imaginem solam voluit.*

[1] *Ho.* 10. *gen.*
[2] *Ezech.* 28. [3] *hom.* 9. *gen.*

voluit commemorare, quia ubi imago, continuò & similitudo est; ergo idem significant, & sunt synonyma in sensu Scripturæ.

Resp. dist. conf. & rationem ejus. Sunt idem, & Synonyma in 1. sensu, & prout similitudo imbibitur in ratione imaginis ut ratio generica ejus, con. in 2. sensu, & prout similitudo sumitur moraliter, neg. conf. Et ita intelligendus Augustinus, & alii Patres. Nec enim potest negari, quin per fidem, & alias virtutes, & maximè per infusionem gratiæ sanctificantis acquiramus specialem similitudinem cum Deo. Ideò dicit Augustinus: *Potest sempiterna, atque incommutabilis natura recoli, conspici, concupisci; profectò reperit summæ Trinitatis imaginem*; &c. Et, ut dicebamus ex Scoto, *cùm per fidem, & contemplationem aspicimus in Deum, efformamus in nobis ejus imaginem*, & nova similitudine Dei informamur.

Colligis igitur, rationem imaginis consequi naturam hominis, saltem in rigore, & ideo indelebilem esse. Non ita est de hac secunda similitudine, qua perficitur imago, quia per peccatum, & vitia deformatur.

Quæres, an *solus homo, an verò etiam fœmina sit imago Dei*.

Resp. affirmativè, tum quia, cùm dixisset Moyses, *Ad imaginem Dei creavit illum*, statim addit, *Masculum, & fœminam creavit eos*, tum quia inter masculum, & fœminam non est differentia specifica; ergo si quoad naturalia homo est imago Dei, ita & fœmina. Et certè in animabus non est differentia sexuum; sed ratio imaginis est præcipuè in anima; ergo &c.

Quæres 2. *an bruta etiam dici possint ad imaginem Dei facta*.

Resp. non posse dici, saltem ita propriè. Nam licèt sint etiam cognoscitiva, & appetitiva, tamen illæ facultates non videntur tam perfectè repræsentare Trinitatem in unitate, quia facultates illæ sunt in organis distinctis, & anima eorum est divisibilis, & non perfectè una, nec spiritualis.

Quæres 3. *an Angelis conveniat eadē ratio imaginis.*

Resp. affirmativè, & quidem à fortiori, & perfectiùs, quia sunt longè excellentioris, & sublimioris intelligentiæ, ac substantiæ.

DIS-

DISPUTATIO III.

De homine in statu innocentiæ, seu gratiæ supernaturalis, & justitiæ originalis.

PLura ex supra dictis donis Adæ possent dici supernaturalia, saltem quoad modum, quo fuerunt ei collata, & maximè habitus virtutum moralium, & aliarum, quos diximus illi datos ab initio creationis, quamvis de illis egerimus, prout de se erant naturaliter acquisibiles, & non respiciunt, nisi objecta naturaliter attingibilia. Idem est de immortalitate, quæ sine dubio erat donum supernaturale etiam in substantia. Hic autem magis expressè loquemur de gratia ipsa sanctificante, de justitia originali, &c.

QUÆSTIO I.

De gratia, & virtutibus supernaturalibus Protoparentum, an creati fuerint in statu gratiæ.

JAm diximus, aut potiùs supposuimus, hominem creatum fuisse rectum, & innocentem negativè seu sine peccato, quia Deus peccatum non fecit. Restat quærendum de innocentia, & sanctitate positiva, quæ consistit in habitibus gratiæ sanctificantis, & virtutum supernaturalium.

Suppono etiam tanquam certum ex fide, Adamum fuisse donatum gratia illa sanctificante, ac virtutibus ante peccatum, & ab eis cecidisse, & spoliatum fuisse per peccatum. Ideò Patres, & Theologi minas illas Dei, *In quacunque die comederis* (de ligno scientiæ) *morieris*, intelligunt de morte tam animæ, quàm corporis. Mors autem animæ consistit in amissione gratiæ sanctificantis, quæ est vita supernaturalis animæ. An autem illam gratiam, & virtutes habuerit sibi concreatas, non ita certum est. Et de hoc quæstio præsens agitatur.

CON-

CONCLUSIO I.

Adam non solùm habuit gratiam habitualem ante peccatum, sed etiam probabilius est, eum fuisse creatum cum gratia sanctificante, & virtutibus supernaturalibus infusis. Quoad 1. p. patet ex dictis, quoad 2. autem est communior. Scotus [1] citatur ab auctoribus utriusque partis, Vulpes pro nostra, & Gaudentius pro contraria. Sed ego non reperio, quid positivè docuerit in hac re, nisi quòd sic loquitur, [2] *Inter statum culpæ, & gratiæ medium includitur, sc. quod homo sit in puris naturalibus, sicut Adam conditus fuit sine omni peccato, & sine gratia gratum faciente.* Vidimus, quòd de Angelis est problematicus, aut dubius, an creati fuerint in gratia, sufficit ei, quòd ante peccatum habuerint gratiam. Et ita dici posset de Adam.

Prob. 1. p. 1. ex Scriptura. Nam videtur colligi ex illis verbis Sapientis; [3] *Deus fecit hominem rectum*, id est, sanctum, & *Deus creavit hominem, & secundum se vestivit illum virtute*, Et cùm Apostolus dicit, [4] *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate*, potest intelligi de Adamo in statu, quo noviter, seu recens creatus est, & ante peccatum, licèt etiam intelligi possit de Christo, qui dicitur secundus, seu novus Adam.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [5] *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anath. sit* ergo censet, non solum Adam habuisse gratiam ante peccatum, & eam amisisse per peccatum, sed etiam in illa fuisse conditum, seu constitutum.

Prob. 3. p. quia Deus creavit Adam in statu virili, & cum perfecto usu rationis, ac libertatis, & certum est, quòd habuit gratiam, priusquam peccaret; ergo probabilius est, quòd eam habuerit in ipso instanti creationis. Prob. conf. quia nulla est ratio, cur Deus eam dare distulerit, nisi fortè, ut ad eam sese disponeret, ut jam fit in adultis, sed hæc ratio non cogit; ergo debuit habere ab initio. Prob. min. tum quia non

[1] *1. d. 5. q. 1. F.* [2] *Repor. 3. d. 13. q. 2. n. 3.*
[3] *Eccl. 17.* [4] *Coloss. 3.* [5] *Sess. 5.*

non sit mentio in Scriptura de ulla tali dispositione, tum quia non est par ratio de adultis post peccatum, & de primo illo homine, quem Deus fecit perfectissimum, & ad sui imaginem, & similitudinem, quam consistere in donis moralibus, & gratuitis, explicant multi Patres, ut vidimus.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Augustinus, [1] *Primum hominem in ea Deus salute, in qua conditus erat, servare voluisset, eumque opportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora producere*, &c. Item [2] *Primum hominem fecit Deus beatum, quia & non mori, & non miserum fieri in sua potestate sentiebat. In quo statu recto, ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset....tunc dederat Deus homini bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum*, &c. Alibi autem [3] docet, quòd bona voluntas est charitas. Ideò de Angelis dicebat, *Deus fecit Angelos cum bona voluntate, hoc est, cum amore casto, quo illi adhæserunt, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam*. Et certè ratio eadem facit pro Adamo, ac pro Angelis, supposito, quòd voluerit eum creare in statu virili, & cum perfecto usu rationis. Item Chrysost. [4] *Adam cùm nec boni, nec mali quid fecisset, statim honoratus est, cùm primùm factus est*.

Objic. 1. alia loca Augustini [5] quibus videtur docere, Deum *sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium*; ergo Adam pro aliqua mora temporis caruit gratia. Et clariùs alibi asserit, [6] quòd Adam factus est, *nō priùs, quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale*. Et sanctus Cyprianus dicit, quòd [7] *homo spiritum jam natus accipit, sicut in primo homine Adam factum est. Antè enim Deus eum plasmavit, & tunc insuflavit in faciem ejus flatum vitæ. Neque enim potest accipi spiritus, nisi priùs fieret, qui accipiat*; ergo Adam non accepit gratiam cum vita naturali.

Respond. neg. conf. Nec enim ex his locis sequitur prioritas durationis, & moræ, sed tantùm naturæ inter

[1] *Enchir.* 104. [2] *De corr. & gra.* 10. *et* 11.
[3] 18. *civ.* 9. [4] *Ps.* 8. [5] *corr. et gra.* 10.
[6] 13. *civ.* 14. [7] *Ep.* 74.

inter creationem Adæ, & sanctificationem ejus, ut patet ex hoc ultimo loco Cypriani. Nam sicut plasmatio, seu organizatio non præcessit tempore animationem, ita nec animatio sanctificationem. Ad 1. locum Augustini patet, quòd Adam cum gratia ipsa expertus est suam infirmitatem, quandoquidem cum ea peccavit. Quid non fecisset, si gratia caruisset? Et idem responsum est de Angelis.

Objic.2. Adam non poterat operari, & mereri cum illa gratia in primo instanti suæ creationis, nec ad eam se disponere, ergo nec gratiam debuit habere. Ant. patet. Nam in illo primo instanti non potuit agere deliberatè sufficienter ad meritum, & dispositionem ad gratiam. Prob. conf. Nam adultis Deus non solet dare gratiam, nisi ad eam se disponant, quia, inquit sanctus Bonaventura, justificatio est quædam dispensatio animæ cum Deo, & ideò requiritur utrinque consensus in iis, qui sunt capaces. Et Concil. Trid. [1] docet, quòd justificationis initium in adultis à Dei gratia per liberum assensum, & per cooperationem sumendum est.

Resp.1. neg. ant. & rationem ejus. Nam idem dici potest de Adam sic creato, ac de Angelis, quos diximus potuisse benè agere, & mereri in illo instanti.

Resp.2. neg. conf. & rationem ejus. Nam potuit Deus aliter agere cum primo homine, quem singulariter formabat, quàm cum aliis. Imò & hinc sumitur argumentum pro nobis. Nam si Adam stetisset in gratia, filii ejus, & posteri nati fuissent in justitia originali, & gratia; ergo à fortiori Adam eorum pater, & caput ita formari debuit. Deinde aliud est de adultis post peccatum, & de Adamo ante peccatum; illi sicut voluntariè gratiam amittunt, sic voluntariè, & per propriam cooperationem debent eam recuperare, ille verò carebat culpa.

Objic.3. Gratia nulli creaturæ est connaturalis; ergo non potuit esse concreata Adamo. Sic enim eam habuisset per originem naturalem.

Resp. dist. ant. Prout connaturale excludit supernaturalitatem, conc. prout connaturale impropriè significat idem, ac congenitum, neg. ant. & conf. Sic fuisset congenita posteris Adæ, si perstitisset, & tamen.

[1] *Sess.6. c.5.*

men in substantia fuit, & fuisset semper gratia, & supernaturalis.

Dixi autem, *probabilius*. Nec enim pars adversa caret sua probabilitate, maximè propter auctoritatem aliquot sanctorum Patrum, qui videntur ei favere.

De virtutibus supernaturalibus, & per se infusis, ut sunt fides, spes, charitas, jam aliquid diximus suprà per occasionem, ubi de perfectionibus naturalibus voluntatis ejus.

CONCLUSIO II.

H*Abuit etiam habitus supernaturales virtutum fidei, spei, & charitatis.* Est etiam communis absolutè quoad statum innocentiæ, & justitiæ originalis, & quoad concreationem debet esse eorundem, qui sustinent, eum fuisse creatum in gratia.

Prob. autem, quia illæ virtutes solent infundi simul cum gratia sanctificante, quia ordinariè illam comitantur, ut radicem earum, imò & ipsa gratia habitualis vel non distinguitur realiter ab ipso habitu charitatis, vel inter se connectuntur quasi inseparabiliter, ut suo loco videbimus.

Confir. Nam certum est, quòd justificatio fit per *interiorem susceptionem gratiæ, & donorum*, inquit Concil. Trid. [1] *Et hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur per fidem, spem, & charitatem*, sc. in Baptismo; ergo à fortiori hæc debuit accipere primus homo, & caput omnium hominum, & quidem in gradibus longè excellentioribus, & heroicis. Unde *per Baptismum homo lapsus recipit illam stolam primam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit*; ergo illam habuit cum omnibus illis donis, & ornamentis, & quidem à fortiori. Nam in illo statu debuit non tantùm ornari omni genere donorum, & virtutum, sed etiam muniri, ut posset per illas benè operari, & mereri, quia *sine fide impossibile est placere Deo, et accedentem ad Deum oportet credere, quia est*, & sperare in eum ut remuneratorem.

Objic. 1. Adamus in eo statu non potuit exercere actus omnium illarum virtutum; ergo illas non habuit,

[1] *Sess. 6. c. 7.*

buit, alioqui superfluæ fuissent. Prob.ant. Non poterat habere actus pœnitentiæ, quia non habebat, nec poterat habere peccatum stante justitia originali, imò nec actus fidei propter scientiam clarissimam infusam, aut propter evidentiam in attestante, aut quia non erat, qui proponeret illi credenda, idem est de actibus temperantiæ, quia appetitus non elevabatur contra rationem; ergo, &c.

Resp. ex dictis suprà de virtutibus naturalibus, neg. conf. & rationem prob. Nam saltem ea habuisset ad ornatum, & ut eas amaret in aliis, & ut in se ipsis sunt amabiles. Ideò forte manent in Beatis.

Resp. 2. neg. ant. & prob. ejus. Nam poterat peccare, saltem venialiter (de quo infra) & sic pœnitere debuisset, & amare ipsam virtutem propter suam propriam honestatem. Idem est de fide, ad quam sufficit locutio interna, & temperantia. *In Paradiso assueverat homo verbis Dei perfrui, beatorum Angelorum spiritibus cordis munditia, et celsitudine visionis interesse*, inquit sanctus Gregorius. [1] Vides, quòd non defuerunt occasiones meriti per actus virtutum omnium.

Quæres, *an pro tempore aliquo innocentiæ habuerit visionem Dei, v. g. in illo sopore, in quo* dicitur ipsi fuisse revelatam incarnationem.

Resp. probabilius esse, quòd eam non habuit, benè verò certum est, quòd eam non habuit pro toto tempore præcedente peccatum.

Ratio probabilitatis 1. partis est, quia, ut diximus tr. 1. Deus non est visibilis ab homine in hac vita, saltem de via ordinaria. *Non videbit me homo, et vivet.*

Ratio 2. partis, quia peccatum incompatibile est cum visione Dei, & sic Adam non potuisset peccare in eo statu, sed cessasset saltem in instanti immediatè præcedente peccatum, & maximè quia, si non constat, quòd aliquando, vel pro illo instanti eam habuerit, à fortiori certum, quòd eam non habuit toto illo tempore.

Quæres 2. *an illas gratias habuerit dependenter, et intuitu meritorum Christi.*

Resp. pro nunc affirmativè, quandoquidem, ut suppono ex dicendis tr. de incarnatione, Christus est primus,

[1] 4. *Dial.* 1.

mus, & caput prædestinatorum, & hominum omnium, & erat prædestinatus, & venturus independenter à prævisione peccati Adæ.

QUÆSTIO II.

An Protoparentes creati fuerint, vel creari potuerint in statu puræ naturæ, an sit possibilis talis status.

HÆc quæstio celebris est, & multùm prodest ad resolutionem plurium difficultatum in materia gratiæ, & sensus est, an homo creatus sit, vel potuerit creari in statu, in quo nec peccatum habuerit, nec donum ullum supernaturale, sed nudè cum partibus, & facultatibus suis naturalibus, animæ sc. substantia, intellectu, & voluntate, cum concursu generali Dei parato ad operationes illi convenientes.

Scotus [1] distinguit triplicem statum naturę humanæ, sc. 1. *naturæ institutæ*, qualis de facto creata est, sc. cum justitia originali, 2. *destitutæ*, qualis est post peccatum, quo spoliata est prædicta justitia, & donis omnibus gratiæ illi annexis, & 3. *restitutæ*, in quo habet gratiam amissam, & gloriam supernaturalem, & summum gradum, & complementum perfectionis naturalis. Addi tamen potest 4. de quo alibi [2] meminit, sc. *naturæ puræ*, in quo habet facultates omnes naturales completas, & nudas omni dono, & qualitate superaddita, & supernaturali gratuita, & quæritur, an Deus potuerit creare hominem in tali statu medio inter statum gratiæ, seu justitiæ positivæ, seu naturæ *institutæ*, & statum peccati, sive *naturæ destitutæ*. Alii 5. addunt, sc. *naturæ integræ*, in quo homo est quidem sine ullo supernaturali dono, sed est cum integritate illa, & absoluta perfectione, cujus est capax intra naturæ ordinem, v. g. cum subjectione animæ ad Deum, ut finem, & auctorem naturæ, cum intellectu illuminato circa virtutes ordinis naturæ tum speculativas, tum practicas, & cum voluntate propensa in bonum honestum, & cum rectitudine, ac subjectione appetituum ad rationem: & in hoc statu Adam ad minus, & sine dubio factus est. Porrò

[1] *Quodl.* 14. *A.* 2. [2] 2. *d.* 29. *D.* 6. *d.* 33. *d.* 5.

Porrò certum est, 1. naturam de facto creatam fuisse cum sua integritate physica, sc. non mancam, nec mutilam, nec læsam, sed suis numeris absolutam tam quoad animam, quàm quoad corpus, 2. eam ordinatam à Deo authore naturæ ad rectè operandum intra limites ordinis naturalis, & ideò conditam cum lumine naturali rationis, & potentia, seu libero arbitrio ad bonum, & malum ex se indifferente, 3. eam cum peccato condi non potuisse, sine tamen gratia, nisi cum benevolentia Authoris naturæ.

CONCLUSIO.

POtuit Deus creare hominem in statu naturæ nudæ, de facto tamen non extitit, neque existet talis status. In 1. p. habemus adversarios, non solum Hæreticos Calvinistas, & Lutheranos, sed etiam Jansenistas, & aliquos ex Catholicis, paucos tamen, & illi quidem nostram assertionem censurant, ut Pelagianam, Manichæam, Atheam, Calvinianam, Lutheranam, blasphemam in Dei bonitatem, & justitiam, &c. In nostram sententiam conspirant Theologi Principes sanctus Thomas, & Scotus.

Prob. autem 1. ex Scoto, [1] qui in terminis docet, dari medium inter statum gratiæ, & peccati, quia *aliquis potuit esse in puris naturalibus tam sine gratia, quam sine culpa; ergo hæc* (gratia, & peccatum) *nullo modo sunt immediatè opposita*. Et alibi [2] non semel idem apertè supponit, dicens, quòd *existens in puris naturalibus non est æqualis ei, qui peccavit existens in justitia, non quia iste habeat aliquam curvitatem, quam ille non habet, sed quia iste debitor est justitiæ originalis, quam accepit, ille non, et, si neutri conferatur visio Dei, uni tamen carentia visionis est pœna, alii non est.* Et infrà docet, quòd *de facto nunquam erit aliquis in puris naturalibus, quia Deus naturam rationalem, quam fecit, semper producit ad finem, si non fuerit ex parte illius impedimentum, vel defectus;* ergo Scotus non negat quidem statum puræ naturæ possibilem, sed tantùm negat, eum existere, vel extiturum. Dicit etiam alibi, quòd *rebellio esset in homine existente in puris naturalibus, quia naturale est uni-*

[1] *2. d. 28. B. 7.* [2] *d. 27. et 33. cit.*

unicuique appetitui ferri in summum appetibile.

Prob. 2. ex definitionibus Ecclesiæ, quibus damnat varias Baii propositiones, in quibus eam possibilitatem negat, ut 55. qua dicebat, *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*, sc. sine justitia originali, & 21. *Humanæ naturæ exaltatio, et sublimatio in consortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.* Unde sequitur, non minùs repugnare, hominem fieri sine illis gratiis, quàm sine intellectu, ac voluntate, aut sine oculis. Idem ferè dicit propos. 23. 24. & 26. Item 76. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, et institui sine justitia originali.* Has, inquam, & similes propositiones inter 79. damnarunt SS. Pontifices, Pius V. an. 1570. & Gregor. XIII. an. 1579. & Urbanus VIII. 1641. qui tales propositiones dicunt *hereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et piarum aurium offensivas;* ergo sequitur, propositiones illis contradictorias esse veras in doctrina catholica, v. g. si falsum, & erroneum, vel hæreticum est dicere, *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*, id est, sine justitia originali, & sine gratia, verum esse debet, quòd *Deus potuit eum creare talem, qualis nunc nascitur.*

Ubi notabis, quòd intendunt adversarii, gratiam quantumcunque excellentem fuisse sic debitam Adæ ante peccatum, ut sine illa creari non potuerit. *Gratia supernaturalis in Adam fuit naturæ debita*, inquit P. Gabriel [1] apud Cardin. Aguirre. Et ideò putant, impossibile fuisse Deo creare Adam in statu puræ naturæ. Putat autem P. Macedo, [2] has propositiones in se non damnari, sed solum quòd oppositam sententiam, quæ est nostra, acriùs censurant, 2. has non damnari in Jansenio, qui eas propugnat toto tertio libro sui Augustini. Sed vide hoc effugium præclusum apud Ripalda, & Cardinalem Aguirre.

Prob. 3. ex SS. Patribus. 2. ex Augustino, quem sibi patronum usurpant adversarii. *Quarè ignorantia, et difficultas?* inquit, *Etiam si essent hominis primordia naturalia, non sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut*

[1] *Moral. Chret.* §. 71. *p.* 245. [2] *T.* 3. *tr.* 5. *d.* 105. *n.* 19. 2. *collat.* 8. *differ.* 1. *s.* 1.

sicut in eodem libro (*3.de lib.arbit. c.* 20.) *disputavimus*; ergo licèt de facto non putet, Adam ante peccatum fuisse in statu puræ naturæ, & sine gratia supernaturali, non tamen negat, quin hoc potuerit fieri sine injustitiæ nota ex parte Dei, quidquid dicant adversarii. Dixerat autem in illo tertio libro, *Si anima talis esse cœpit non solùm ante peccatum, sed ante omnem vitam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parum habet, unde conditori suo gratias agat*. Sed non haberet, unde gratias ageret Deo, si fieret illi injuria, creando ipsam sine gratia; ergo Augustinus non putat esse injuriam, quòd anima Adæ facta fuisset sine gratia, sicut anima Caini. Et dat rationem [1] quia ignorantia, & difficultas benè agendi, quam pateretur in illo statu naturæ nudæ, *non esset nascentibus supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, et perfectionis exordium... Quanquam enim in ignorantia, & difficultate nata sit, non tamen ad permanendum in eo, quod nata est, aliqua necessitate comprimitur*. Nota verba sequentia, quæ decidunt quæstionem de statu medio inter gratiam, & peccatum, de quo loquebamur ex Scoto. *Non enim* (inquit) *metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum, & peccatum, & judicis sententia media esse possit inter præmium, atque supplicium*; ergo ex August. est possibilis vita media inter rectam, & peccatricem, & Deus non esset injustus id faciens.

Confir. ex eod. [2] Nam si gratiæ, quibus donatus est Adam ante lapsum, fuissent illi debitæ, jam non essent gratiæ, sicut nec alia dona naturalia, ut ratio, & libertas, & ipsa vita. *Non enim Dei gratia erit illo modo gratia, nisi gratuita fuerit omni modo*. Sed non esset gratia omni modo, si esset sic debita, ut non posset Deus eam non dare sine injustitia; igitur [3] *gratia Dei magna erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem, effrenem, sc. concupiscentiam, non habebat*, &c. ergo justitia originalis, quæ bestialem libidinem frænabat, non erat debita, nec naturalis, sed purè gratuita, ex August. [4]

Idem clariùs dicit de immortalitate. Nam inquit, *Posse non mori præstabatur Adamo de ligno vitæ*, Inō. de

[1] *ibid. c.* 23. [2] *De pecc. Orig.*
[3] 1. *con. Jul.* 17. [4] 1. *Gen. lib.* 15.

constitutione naturali ... mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.

Item patet ex eodem. [1] *Angelis enim Deus dedit gratiam liberaliter, et absque debito*; ergo à fortiori eam sic dedit homini. *Deus bonam voluntatem fecit Angelis, in eis et condens naturam, & largiens gratiam*, sc. distinguit largitionem gratiæ à creatione naturæ; ergo hæc sunt separabilia, & potest condi natura sine gratiæ largitione. Quippe *Dei gratia non solùm omnia sydera, et omnes cœlos, verùm etiam omnes Angelos supergreditur*.

2. D. Anselm. *Nulla creatura rectitudinem habet, quam dixi, voluntatis, nisi per Dei gratiam... Omnibus enim, excepto solo Deo, dicitur, Quid habes, quod nō accepisti? si autē accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et dixerat; *Justitia autem non est naturalis, sed fuit separabilis à principio, et Angelis in Cęlo*. Et alibi de ipso Adam, *In tanta gratiæ altitudine positus, quæ bona sibi, et aliis servanda acceperat, sponte deseruit*; ergo illa dona non erant inseparabilia à natura Adæ.

3. D. Th. multis in locis idem docet. [2] *Poterat Deus à principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem de limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut sc. mortalis, et passibilis esset, et pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens, in quo nihil humanæ naturæ derogatur, quia hoc in principiis naturæ consequitur*, &c. Quid clarius? Unde miror, aliquos Thomistas contrarium docere.

4. Cyrill. Alex. [3] de ipso Adamo dicit, quòd *participatione luminis splenduit super naturam suam glorificantis Dei gratia, & variis donorum ornamentis donata... Misericors enim verè Dominus est, qui creaturam parvam, et abjectam secundum naturam, magnam, atque admirabilem sua effecit bonitate*. ergo non ex justitiæ necessitate. Et Ambros. [4] *Quid est Adam? Ubi es? non interrogatio est, sed increpatio, De quibus, inquit, bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam incidisti?* ergo censet,

[1] 12. *civ.* 9. [2] *Quod.* 1. *a.* 8. 2. *d.* 31. *q.* 1. *a.* 2.
[3] 1. *Jo.* 9. [4] *de parad.* 14.

set; omnia illa dona fuisse non debita naturæ, *sed* ex pura gratia; ergo potuit non dare. Idem docent alii Patres. *Adam* (inquit Cyprian.)[1] *contra cæleste præceptum cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam divinitùs gratiam patientia custode servavit.* Et Rupertus,[2] *Duplici honore præcellet hominis conditio, dum dicitur*, ad imaginem, & similitudinem nostram, *ad imaginem videlicet, ut sit rationalis, ad similitudinem, ut sit rectus, sectando justitiam. Horum altero, sc. rationalitate, carere non potest, alterum, id est, divinæ rectitudinis, vel justitiæ similitudinem, nisi per gratiam, assequi non potest...* ergo justitia originalis non erat alligata naturæ Adam, sed gratuitò data.

Prob. denique ratione 1. quia nulla potest assignari implicantia, neque ex parte Dei, neque ex parte ipsius hominis, vel naturæ, ut patebit solutione objectionum. 2. quia justitia illa originalis cum annexis erat donum supernaturale in substantia; ergo & indebitum naturæ humanę. Ant. patebit infra. 3. in tantum implicaret, Adamum creari sine illis gratiis, in quantum implicaret, eum non ordinari ad finem, seu beatitudinem supernaturalem, & naturæ indebitam; sed istud falsum est. Quæ enim implicantia, quòd Deus fecisset hominem ad beatitudinem purè naturalem positam in ejus naturali contemplatione, & amore? 4. Si esset aliqua implicantia, maximè quia humanitas essentialiter requirit subjectionem appetitus ad rationem, quam præstabat donum justitiæ originalis; sed hæc ratio falsa est; ergo &c. Maj. continet præcipuum fundamentum adversariorum. Prob. min. Nam potiùs ex naturæ ipsius interna constitutione inclinatur in contrarium, quia, ut dicebamus ex Scoto, tam naturaliter appetitus sensitivi hominis inclinantur in bonum sensibile, quam appetitus rationalis in bonum honestum; connaturale est cuique rei, ut feratur in bonum sibi proprium; sed bonum sensibile est tam proprium appetitui sensitivo, quàm honestum rationali; ergo &c.

Objic. 1. Homo non potuit fieri sine ordine, & jure

[1] *De bono per. fin.* [2] 2. *Trin.*

ad finem ultimum, sc. ad summum bonum, sed non potuit sic ordinari sine justitia originali cum omnibus donis concomitantibus; ergo nec fieri sine illis; ergo nec fieri in statu puræ naturæ. Maj. patet ex August. [1] *Omnes beati esse volumus, ut esse miseri, non solùm nolimus, sed nequaquam vel possimus.* Et alibi, [2] *Omnes beatos esse velle veritas clamat, natura compellit*, &c. Prob. min. Nam certum est ex fide, & Patribus, nos non habere jus ad finem ultimum, & beatitudinem summam ex puris naturalibus, & sine gratia supernaturali, ergo &c.

Resp. dist. maj. Sine ordine ad finem ultimum naturæ, aut gratiæ viribus consequendum, conc. naturæ solius viribus consequendum, neg. maj. & cons. Potest assignari homini duplex finis ultimus, unus naturalis, & naturaliter consequendus, sc. Deus, cui homo per naturalem contemplationem, & amorem uniri potest, 2. supernaturalis, qui non potest haberi, nisi per visionem intuitivam, & fruitionem consummatam. Cum illo jure nascitur omnis homo, & ad illum finem consequendum habet naturalem dispositionem, sed cum isto nascitur quidem, sed ut finis est supernaturalis, ita & media, quibus eum finem assequatur, sunt ei supernaturalia.

Confirm. hæc responsio. Nam illi textus Augustini non tantùm veri sunt de homine integro, & innocente, sed etiam de homine lapso; ergo si ex appetitu naturali beatitudinis colligitur dispositio ad illam, etiam nunc, & in natura corrupta illa esset nobis naturalis, & debita.

Inst. Finis ultimus hominis est Deus intuitivè per visionem beatificam possidendus; ergo ad eam naturaliter, & necessariò ordinatur. Ant. patet. Nam aliter non quiescit, nec satiatur homo. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et Augustinus, *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum donec quiescat in te.* Prob. conseq. Nam omnia ordinantur naturaliter ad finem suum.

Resp. dist. ant. Finis ultimus supernaturalis, & indebitus, conc. naturalis, & debitus, neg. ant. & cons. Nam, quòd Deus ordinaverit hominem ad sui possessionem, gratia est, & summa. *Gratia Dei vita æter-*

[1] *Enchir.* 104. [2] 13. *Trin.* 8.

æterna in Christo Jesu, inquit Apost. *Gratiam*, *&* *gloriam dabit Dominus*, sc. ex gratia. Nam videri Divinitas humano visu nullo modo potest. *Quem nullus hominum vidit*, *sed nec videre potest*, *sed eo visu videtur*, *quo jam qui vident*, *non homines sunt*, *sed ultra homines*, ait August. [1]

Inst. 2. De ratione finis ultimi est, ut perfectè, seu ultimatè satiet appetitum; sed nullum bonum citra Deum clarè visum sic satiare potest hominem; ergo nulla est beatitudo citra Dei visionem, ergo ad eam necessariò, & naturaliter ordinatur.

Resp. ut supra, dist. maj. De ratione finis ultimi, ad quem ex Dei gratia ordinatur homo, & quem supernaturalibus auxiliis, ac mediis consequi potest, conc. ad quem ex natura sua ordinatur, & naturaliter potest consequi, neg. maj. & cons. Nam, ut diximus suprà, & alibi, Deus hominem fecit ad sui fruitionem, & participationem gloriæ suæ, sed ex gratia, & per media, & gratias supernaturales consequendum.

Inst. 3. ex Augustino. *Anima*, *quæ inferior Deo est*, *id*, *quod inferius est*, *hoc est corpus*, *facit vivere*, *sic eandem animam non facit beatè vivere*, *nisi quod ipsa anima est superius*.... *participatione Dei fit beata*; ergo Deus, ut participabilis, est finis ultimus hominis; sed illa participatio non est possibilis naturaliter, & sine gratia; ergo illa gratia tam est debita, & inseparabilis à natura hominis integra, & sana, quàm ille appetitus, sine quo esse non potest.

Resp. dist. cons. ut supra. Ut participabilis naturaliter est finis naturalis, conc. ut participabilis supernaturaliter est finis naturalis, neg. conseq. 1. & 2. Nam quæstio procedit de fine supernaturali, & naturaliter attingendo, ita ut tam appetitus ejus, quàm vires ad illum consequendum sint humanæ naturæ connaturales, nec sine illis esse possit homo.

Objic. 2. ex D. Anselmo. *In Deo quantumlibet parum inconveniens sequitur impossibilitas*; sed est inconveniens, imò multa inconvenientia sunt, quòd homo producatur in puris naturalibus, id est, sine ordine, & jure ad gloriam, & sine justitia originali, &

 gratiis

[1] 1. *Trin.* 5.

gratiis illam consequentibus; ergo non est possibilis homo in puris naturalibus. Maj. negari non potest. Nam cùm Deus sit essentialiter actus purus, & infinitè perfectus, illi repugnat quicunque defectus. Prob. min. 1. Nam, inquit Jansenius, *ex his potissimum repugnat status naturæ puræ, quòd nemo posset diligere veritatem justitiam, sapientiam, unoque verbo Deum, neque ad veram beatitudinem tendere, vel bonum opus rectè operari, nemo esse liber arbitrio, nemo ab ignorantia, concupiscentia, & morte liberari.* 2. quia si in eo statu moreretur, damnaretur, quamvis sine peccato. Quod arguit Augustinus contra Pelagianos, qui volebant, infantes damnari, quamvis essent immunes à peccato originali. *Quarè patrimonium Regni cælorum abripis innocenti? quæ est ista justitia Dei? dic, quæso? quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens culpam?* sed talis esset homo in puris naturalibus, ergo injustus esset Deus, si eũ damnaret.

Resp. neg. min. & ant. Jansenii. Nam in eo statu posset homo benè agere per opera naturaliter honesta, non verò meritoria supernaturaliter. Ad 2. dico, quòd non damnaretur, nec tamen consequeretur gloriam, & beatitudinem supernaturalem, nec immortalitatem, nec illa carentia immortalitatis, & gloriæ esset pœna, hæc enim supponit culpam, sed esset conditio defectus naturæ, quæ de se esset mortalis, & sic limitata. *Amice non facio tibi injuriam, tolle, quod tuum est.*

Ad Augustinum autem dico, eum meritò arguere Julianum, & Pelagianos, qui scientes, pueros de facto esse ordinatos à Deo in illum finem supernaturalem æternitatis beatæ, dicunt hanc eis deberi ex conditione naturæ, nisi ab ea excluderentur defectu Baptismi, quamvis in sententia Pelagii carerent peccato. Verè enim repugnat justitiæ Divinæ illa exclusio in tali suppositione, quia haberet rationem pœnæ in infantibus carentibus culpa; ille verò homo in statu puræ naturæ careret quidem culpa, & non acciperet vitam æternam; sed hoc non esset pœna, quia non esset ordinatus ad eam, nec jus haberet ad illam. Sic mors non est injuriosa brutis.

Inst. 1. Deus *non temeraria potentia, sed sapientia vir-*

virtute omnipotens est ait August.[1] sic *quod non potest justè, non potest justus* sed Deus non potest justè facere miserum, & excludere à vita æterna hominem innocentem, qualis esset in statu puræ naturæ; ergo nec istum talem facere. Prob. min. ex eodem. [2] *Nulli obnoxium peccato si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur*. Et certè *qua justitia, quæso, à regno Dei, à Dei vita alienatur imago Dei, in nullo transgressu legem Dei*? sed ille homo esset ab omni peccato immunis, esset imago Dei, & sine transgressione legis ejus, & tamen damnaretur, & alienaretur à vita Dei; ergo si eum excluderet à vita æterna, non esset justus.

Resp. dist. min. Non potest justè facere miserum propria, & positiva miseria, & per modum pęnę, con. miseria negativa, & impropria, neg. min. & cons. & 2. p. 2. minoris. Non enim damnaretur ille homo, nec alienaretur positivè à vita Dei, sed tantùm eam non consequeretur, & hoc non in pœnam, sed, ut dicebam, ex limitatione, & natura conditionis ejus, quæ non tenderet ultra felicitatem naturalem, qualis naturæ viribus haberi posset. Certè quid cogebat Deum facere hominem immortalem, & impassibilem, & quietum à motibus concupiscentiæ? an injustus fuisset, si eum naturali constitutioni, & mortalitati permisisset? *Quamvis ignorantia, & difficultas, etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset*, inquit idem Augustinus. [3]

Inst. 2. Nunc rebellio concupiscentię est pęna in parvulis, quia parvuli habent culpam originalem; sed tunc ille homo non haberet illam culpam; ergo vel non sentiret illam rebellionem, vel haberet pęnam sine culpa.

Resp. dist. cons. Non sentiret rebellionem sub ea ratione, quam habet in pueris, con. ex conditione naturæ, neg. cons. Et disparitas est, quòd pueri nunc priventur ea rectitudine, quam Deus dederat Adamo pro se, & suis, quia in eo peccarunt, ideò est in illis pœna; in pura autem natura nihil acceptum, vel destinatum amitteret homo ille, nisi puram negationem rectitudinis non debitæ, nec destinatæ. Unde me-

[1] 9. *Gen. litt.* 17. [2] *Ep.* 106. [3] 1. *Ret.*

meritò Augustinus objicit Pelagianis de pueris supposita conditione illorum præsenti, & id non posset objicere in nostra suppositione de pura natura, in qua non esset nec culpa, nec destinatio illa gratuita ad vitam æternam.

Objic. 3. Concupiscentia non est à Deo, sed à solo peccato; ergo in illa natura non posset esse rebellio concupiscentiæ; ergo rectitudo, & justitia est naturæ essentialis, & implicat natura rationalis sine illa. Ant. patet ex Scriptura, & Patribus omnibus. Nam, inquit Joannes Apostolus, *Omne, quod in mundo est, aut concupiscentia oculorum est*, &c. ergo concupiscentia est ex peccato, vel peccatum.

Resp. ex dicendis aliàs dist. ant. Concupiscentia, id. appetitus inordinatus boni sensibilis, & inhonesti contra dictamen rectæ rationis, con. appetitus boni commodi, etiam sensibilis absolutè, & simpliciter, neg. ant. Nec enim concupiscentia in hoc sensu mala est, sed bona in se, & à Deo. Talis est illa, qua *concupiscit, & deficit anima in atria domini*, & qua *concupivit anima desiderare justificationes*. Certè cuique Deus cum natura indidit appetitum ad proprium bonum, & sic dedit sensibus, & carni humanæ appetitum ad suum proprium bonum absolutè. Quòd autem appetat bonum suum indebitè, hoc est à peccato, & peccatum, & præter, imò & contra intentionem Dei. In statu puræ naturæ concupiscentia inesset homini, sicut mortalitas, imò & ipsa potentia peccandi, & aliæ conditiones, & defectus proprii ex naturali ejus limitatione.

Inst. 1. Licèt illa concupiscentia in eo sensu sit à Deo, non tamen nudè. sed ea conditione, ut sit subdita rationi, ut inferior superiori, & uxor viro; ergo illa rectitudo, & subjectio appetitus ad rationem est inseparabilis ab homine, ut est à Deo. Prob. ant. *Animalis illa pars nostra tanquam viro debet obtemperare rationi*, inquit Augustinus; [1] ergo illa subjectio ita est annexa naturæ rationali, ut non possit hæc creari sine illa. *Concupiscentia, quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam*. Et re vera, cùm appetitus ille intimam, & necessariam unionem habeat cum ratione in homine, debet naturaliter ei con-

[1] 1. *Gen. litt.* 21.

conformari, & ab ea recipere normam. Et in hoc differt ab appetitu brutorum, qui, cùm non sic uniatur cum anima rationali, non sic regi debet.

Resp. dist. ant. Ea conditione, &c. ex providentia speciali, & gratuita, con. ex providentia generali, & necessaria, neg. ant. & cons. Nam sicut Deus non facit hominem, nisi ea conditione, ut benè vivat, & abstineat à peccato, nec tamen eum facit impeccabilem, nisi ex speciali providentia per gratias, quibus eum ne cadat, retinet, ita est de concupiscentia; vult quidem eam subdi, & conformari rationi, & per gratiam justitiæ originalis eam sic continebat, ne aberraret à rationis ductu, sed non fecerat incapacem rebellionis ex natura sua; & ita esset de homine in puris naturalibus. Ita est de subditis ad superiorem, & de uxore ad virum. Subjectio illa non est talis, ut non possint detrectare imperium superioris, & mariti, sed ut non debeant. Idem est de unione appetitus cum ratione; confert dispositionem in illo ad sequendum rationis ductum, sed non necessitatem ineluctabilem, sic, quin ex naturali gravitate, & defectu declinet.

Inst. 2. Si Deus posset creare naturam nudam sine rectitudine naturali, qua appetitus subderentur rationi, crearet illam cum inclinatione ad repugnandum rationi volenti benè agere; sed hoc non decet Dei bonitatem, & sanctitatem, & sapientiam; ergo talis status, vel natura est impossibilis. Min. prob. Indecens est summæ bonitati, & sapientiæ non impedire malum, & non promovere bonum per omnia media rationabilia; sed Deus condens naturam sine tali rectitudine, sine qua concupiscentia posset repugnare rationi, non impediret malum, nec promoveret bonum, sed potius cooperaretur malo; ergo, &c.

Resp. 1. hoc argumentum nimis probare, tum quia probaret, Deum non debuisse, nec per consequens potuisse condere naturam peccabilem, nec etiam nunc debere permittere hominem nasci non solùm sine illa rectitudine, sed potius cum curvitate, seu depravatione. Et certè Philosophi Ethnici, qui non norunt peccatum originale, nec statum gratiæ, sed naturam nudam cum illa rebellione concupiscen-

tiæ, non tamen putarunt, hanc naturam esse indignam Deo. Propterea,

Resp. 2. neg. utranque min. Nam Deus illi naturæ daret lumen, & libertatem, & vires naturales sufficientes ad continendam concupiscentiam intra limites debitæ subjectionis, nec rebellanti succumberet nisi volens; & sicut nunc naturæ læsæ, & infirmæ dat auxilia ad id supernaturalia sufficientia; & illa pugna non ad pœnam, & perditionem, sed ad exercitationem, & meritum data est. *Non mediocria bona sunt non solùm quòd anima est, sed etiam quòd facultatem habet, ut adjuvante Creatore seipsam excolat* (ait Aug.) [1] *& pio studio possit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Quod si ita est; non erit nascentibus animis ignorantia, & difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium.*

Objic. 4. Creatura rationalis fieri non potest à Deo sine ordine ad cognoscendum Deum, & amandum amore casto, & propter se immediatè; sed ille amor non esset naturalis puræ naturæ; ergo nec ista est possibilis. Prob. min. quia sic non esset nuda natura, sed vestita habitu supernaturali, vel elevata per gratiam actualem supernaturalem, ut docet sanctus Augustinus, imò & Concilia, & Patres; ergo, &c.

Resp. dist. maj. Sine ordine ad amandum Deum amore naturali, aut supernaturali, con. supernaturali, neg. maj. Et similiter dist. min. Non esset naturalis naturæ, puræ sc. amor supernaturalis, con. naturalis, neg. min. & conf. aut ant. prob. Nam ad illum amorem non egeret habitu, vel auxilio supernaturali.

Inst. 1. ex Baio. *Distinctio illa duplicis amoris naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia*, &c. ergo nulla solutio. Prob. ant. Non enim fundatur in Scriptura, nec Conciliis, nec traditione Sanctorum Patrum, nec ulla solidâ ratione; ergo vana est, & commentitia.

Resp. neg. ant. & prob. ejus. Nam hæc propositio Baii damnata est, eratque 34. inter damnatas ab Eccle-

[1] *3. lib. arb. 20.*

clesia sub Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. Et damnatio fundamentum solidum habet tum in Scriptura, tum in Conciliis, tum in Patribus, & ratione Theologica, ut suo loco probabimus. Pro nunc sufficiat textus Apostoli arguentis Gentiles, qui cùm naturæ lumine Deum agnoverint, *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, & servierunt potiùs creaturæ, quàm Creatori.

Inst. 2. Pelagius docebat, possibilem Dei amorem castum naturæ viribus, & in hoc arguitur ab Augustino; ergo & nos sumus in eodem errore arguendi. Prob. ant. *Undè in hominibus charitas Dei, & proximi, nisi ex Deo? Si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani*, &c. ait Augustinus, [1] imò, *si hoc fieri potuit*, aut potest, *hoc & ego dico*, *quod de lege dicit Apostolus, Ergo Christus gratis mortuus est*.

Resp. neg. ant. Nam Pelagius id dicebat de amore Dei sufficienti ad meritum salutis, & in hoc impugnatur ab Augustino, non de amore naturali, & insufficienti, qualis est iste, de quo loquimur.

Objic. 5. Ille status puræ naturæ excluderet peccatū. & includeret impotentiam benè operandi; sed talis status implicat; ergo & implicat status puræ naturæ. Prob. min. ex Augustino approbanti, quod scripserat aliàs, *Non solùm magna, sed etiam minima bona esse non posse, nisi ab illo, à quo sunt omnia bona, sc. à Deo, & per donum gratiæ .... virtutes autem, quibus rectè vivitur, magna bona sunt*, &c. ergo implicat puræ naturæ status, in quo possint exerceri virtutes, & benè operari.

Resp. neg. min. & conf. prob. Nam in his, & similibus locis Augustinus loquitur de operibus supernaturalibus virtutum meritoriis salutis, quas solas videretur agnoscere ut veras virtutes, ut cùm dicit, [2] *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosunt hominis virtutes, nullo modo possunt esse veræ virtutes*. Non igitur intendit, quòd sine gratia nullum bonum virtutis possit fieri, sed tantùm, quòd sine illa non prosint ad salutem. Imò, inquit, *Quædam facta infidelium, & à gratia Christi alienorum sunt;*

[1] *De gra. & lib. ar.* 18.
[2] 4. *con. Jul.* 3.

sunt quæ secundū justitiæ regulā non solùm vituperare non possumus, sed etiam meritò, rectèque laudamus. Hæc majorem lucem accipient ex sequentibus.

QUÆSTIO III.

Quales essent perfectiones, & defectus naturæ puræ, an esset immunis, vel subdita præsentis vitæ miseriis.

AD pleniorem intelligentiam possibilitatis status naturæ puræ, videndum est, in quo deficiat à statu naturæ integræ, seu rectæ, & à statu naturæ lapsæ. Natura lapsa subjacet triplici generi malorum, sc. 1. morbis, doloribus, & morti, qui sunt defectus corporales, 2. ignorantiæ, quæ est defectus in intellectu, & 3. concupiscentiæ, quæ adversus spiritum, & rationem insurgit, eique bellum infert perpetuum.

2. Porrò hi defectus possunt considerari, 1. ut naturæ corruptibilis innatæ miseriæ, 2. ut pœnæ peccati. De illis in hoc sensu non potest esse quæstio. Nam cùm homo in statu puræ naturæ careret peccato, ita & ab his defectibus immunis esset sub hoc respectu pœnarum; sed non sub alio respectu. In nobis de facto habent rationem pœnarum, quia Deus tales nos voluerat, si Adam stetisset, ut per justitiam originalem, & providentiam specialem illi annexam ab illis omnibus immunes essemus; sed quia in Adā peccavimus, & justitiam illam in eodem amisimus, ideò subjacemus illis miseriis, quæ ideò in nobis habent rationem pœnæ, sicut & privatio talis justitiæ. Sed in alia suppositione, sc. qua Deus hominem ejusdem speciei vellet condere in statu nudæ naturæ, sine peccato, & sine gratia, non haberent rationem, nisi miseriarum, & defectuum purè naturalium.

3. Nomen concupiscentiæ sumitur, 1. *genericè*, pro quolibet appetitu boni, tam spiritualis, quàm materialis, ut cùm dicitur, *Concupiscit anima mea in atria Domini*, & sic convenit tam voluntati, quàm appetitui sensitivo, & actibus eorum, 2. pro appetitu,

quo respicimus bonum sensibile, & sic convenit soli appetitui sensitivo, & actibus ejus, 3. strictè pro motibus inordinatis appetitus sensitivi repugnantibus rectæ rationis dictamini, & inclinationi voluntatis ad bonum honestum, vel aversioni à malo. In 1. & 2. sensu *concupiscentia* non est defectus naturæ, sed facultas ejus, qua cùm possit, & debeat benè uti, & ad hoc illi data sit, non est dubium, quin reperiretur in statu naturæ puræ. Sed quæstio est de 3. sensu, an sc. in eo statu adessent tales motus resistentes dictamini rectæ rationis, & inclinationi partis superioris animæ, qua illud dictamen respicit anima.

4. Denique Deus fecerat *hominem rectum, atque omni vitio carentem, in quo omnium bonorum concreata natura est*, ait S. Prosper. [1] *Vivebat itaque homo in Paradiso, sicut volebat*, inquit August. [2] *quandiu volebat, quod Deus jusserat, vivebat fruens Deo, ex quo bono bonus erat, vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret, potus, ne sitiret, lignum vitæ, ne senecta illum dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecùs morbus: nullus ictus metuebatur extrinsecùs. Summa in carne sanitas. In anima tota tranquillitas; nihil omninò triste, nihil erat inaniter lætum.* Heu! quantum mutatus ab illo statu felicitatis jam vivit. Et hæc mutatio negari non potest venisse ex peccato, propter quod pulsus fuit ex Paradiso, & his omnibus bonis privatus, juxta sententiam Dei tremendam, [3] *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

His præmissis quæstio est, an ille homo, quem asseruimus possibilem in statu illo puræ naturæ, esset obnoxius iisdem, vel aliquibus ex infirmitatibus, & miseriis, quibus jam non post peccatum Adæ subjacemus, v. g. morbis, doloribus, & morti corporali, item & rebellioni appetitus, seu concupiscentiæ motibus, ignorantiæ in intellectu, & pronitati ad malum in voluntate. Ex quo inferes, an illi omnes defe-

[1] *con. collat.* 28. & 19.
[2] 14. *civ.* 26. [3] *Gen.* 3.

defectus sint præcisè, & proprii effectus peccati, ita, ut Deus facere non possit hominem ex natura sua illis miseriis obnoxium, qui non sit peccator. Ex indè meliùs cognoscemus, quænam ex illis nobis adveniant ex naturæ nostræ conditione, quænam verò ex peccati demerito, & in peccati pœnam.

CONCLUSIO I.

Homo in statu naturæ nudæ posset esse passibilis, mortalis, & aliis miseriis physicis, et corporalibus obnoxius, quibus post peccatum subjacemus: sed in illo non essent pœnæ, sicut in nobis. In hoc habemus eosdem patronos, & adversarios, quos habebamus in præcedenti.

Dixi autem, *miseriis physicis*, & physicè consideratis. Nam moraliter non possent esse eædem in illo homine, quæ sunt in nobis, quia in illo non esset peccatum, nec demeritum, quod est in nobis ob peccatum originale, & actualia; ex quibus fit, ut in nobis illæ miseriæ moraliter spectatæ sint pœnæ, in illo autem essent mala purè physica, seu naturalia, ut dixi.

Prob. 1. ex Scoto[1] jam à nobis supra citato de immortalitate. Nam, inquit, *primus parens habuit potentiam ad mori Et dico, quòd stante statu innocentiæ potuit mori. Ista tamen potentia non fuisset redacta in actum* &c...*Hoc patet per causas mortis post casum, quæ sunt duæ in genere. sc. vel ab intrinseco, vel ab extrinseco aliquo.* 1. *est duplex, quia corrumpitur ab intrinseco per actionem mutuam contrariorum inter se, et intra corpus.. vel propter actionem intensam unius intrinseci in aliud*.. 1. modo accidit *corruptio in animatis...propter actionem partis organicæ in aliam partem*, &c. Ista autem *actio ponitur caloris naturalis in humidum radicale corrumpendo, et consumendo humidum*. &c. Et, ut notavimus supra, hæ causæ corruptionis extabant in homine ante peccatum; ergo à fortiori vigerent in homine extra statum innocentiæ, seu in statu puræ naturæ.

Prob. 2. ex iisdem Ecclesiæ auctoritatibus, quibus probavimus suprà, quòd Adam creatus est natura sua.

[1] 2.*d*.10.*A*.3.

sua mortalis, & poterat mori. Nam si in statu innocentiæ homo ex se subjacebat mortalitati, à fortiori in statu, de quo loquimur, in quo nudus esset ab omni dono gratuito, & naturæ suæ superaddito. Item ex iisdem Patribus, quibus probavimus, immortalitatem stante innocentia fore donum Dei, & quidem extrinsecum, seu providentiam, & manutenentiam extrinsecam. Nam & istud donum deesset illi naturæ. Corpus Adami, ut diximus ex Augustino, [1] ante peccatum *et mortale erat, quia poterat mori, et immortale; quia poterat non mori;.... quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de conditione naturæ.... Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris*; ergo & à fortiori hoc verum esset de natura pura, quam posset Deus facere.

Confir. Nam Ecclesia damnat hanc propositionem in Baio, quæ est 55. inter damnatas, *Deus non potuisset ab initio talem condere hominem, qualis nunc nascitur*; ergo in doctrina sana Ecclesiæ vera est ista, *Deus potuisset ab initio talem condere hominem, qualis nunc nascitur*; sed nascitur nunc obnoxius corruptioni, doloribus, & morti; ergo &c. Idem colligitur ex damnatione istarum, [2] *Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio; sed naturalis ejus conditio*, quæ est 23. & 26. item & ista, *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio.*

Confir. Nam si homo ex natura sua exigeret immortalitatem, Deus non debuisset promittere illam Adæ quasi præmium suæ obedientiæ, nec minari mortem velut pœnam inobedientiæ; quia per peccatum natura ejus non fuit mutata quoad intrinsecas proprietates, sicut nec natura Dæmonum per peccatum amisit naturalia dona.

Prob. 3. ex ipso lumine naturalis rationis. Nam Philosophi Ethnici, qui nec peccatum originale, nec dona supernaturalia noverunt, sed naturam nostram ut puram crediderunt, benè verò supremum numen, & Deum, eam tamen iis omnibus miseriis, & morti obnoxiam sentiebant; ergo ex ipso lumine naturali non

[1] 7. *Gen. litt.* 25.
[2] *Pro* q. 78.

non repugnat Deo creare hominem in puris naturalibus, & obnoxium his miseriis.

Prob. 4. ex dicendis de filiis nascituris ex Adam stante innocentia. Nam nasciturì erant cum infantilibus membris, & viribus, ita, ut debuissent lactari, curari, & foveri, ut adolescerent. nam illæ infirmitates sunt purè naturales, & non pœnales præcisè, & secundum se; ergo &c.

Prob. 2. pars, quòd videlicet in statu puræ naturæ mala illa non haberent rationem pœnæ, ut habent in nobis. Nam, ut dicebamus, illa natura sicut esset sine merito, & gratia, ita etiam esset sine peccato; ergo & sine pœna. Hæc enim supponit necessariò culpam.

Dices. Unde igitur mala illa possent venire? num ab ipso Deo, qui dives est in misericordia, nec auctor est mali.

Resp. Id venire ex ipsa conditione naturæ, quæ est in se limitata, & sic constituta. Nam & ipsa animalia, & ipsæ plantæ, quæ carent omni culpa, subjacent infirmitatibus suis, & morti. 2. hæc mala possent etiam à Deo immitti ad bonum, ut sic indè haberet ille homo per Dei providentiam naturalem occasiones exercendæ virtutis moralis, sicut ipsis justissimis hominibus, & amicis suis. Sc. Deus, quos amat castigat, & humiliat. *Bonum mihi, quia humiliasti me*, ajebat David.

Objic. 1. *ex Scriptura. Deus mortem non fecit, sed invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Et *Stipendia peccati mors*. Et Deus ipse ob solum peccatum minatus est, & intulit mortem, *In quocunque die comederis, morte morieris*, &c. Sed hæc non essent vera, si Deus posset concedere naturam puram, seu innocentem, & mortalem; ergo &c.

Resp. neg. min. Nam semper verum esset, quod Deus mortem illam non faceret, sed veniret ab interna illius naturæ constitutione. Quoad 2. verò, & 3. loquitur de facto, & quoad nos de præsenti. Nam cùm Deus fecisset nos immortales ab extrinseco, id. non morituros, ex invidia Diaboli, qui suggessit peccatum, & per ipsum peccatum incurrimus mortem; sed de illa natura aliud esset.

Objic.

Objic. 2. Sancti Patres communiter docent, non decere Deum creare aliquam creaturam miseram; sed talis homo crearetur miser, si crearetur obnoxius nostris miseriis; ergo tale opus non decet Deum; ergo nec possibile est Deo. Prob. min. Nam post peccatum nascimur miserrimi; sed talis homo, licèt sine peccato, subjaceret iisdem malis; ergo & fieret miserrimus.

Resp. 1. neg. maj. Nec enim id docent SS. Patres, imò contrarium docet Ecclesia, cùm damnat supradictas propositiones Baii, & maximè 55. Imò decentia rerum petitur potiùs à voluntate libera Dei, quæ est 1. regula honesti, non autem decentia voluntatis ab honestate rerum.

Resp. 2. dist. min. prob. Iisdem malis physicè spectatis, con. moraliter, neg. min. & cons. quia illa mala physica non essent veræ miseriæ, quia non haberent rationem pœnæ, sicut in nobis propter peccatum ex Scoto essent conditiones naturæ, à quibus Deus non potest præservare naturam, nisi ex gratia, & dono, & providentia supernaturali, ut præstabat Adamo ante peccatum, & præstiturus erat nobis, nisi in Adamo cecidissemus ab innocentia; & in hoc miseriæ sunt illa mala, quia rationem habent pœnæ. Ideò dicebat suprà, [1] cum Augustino, [2] *Quamvis ignorantia, & difficultas esset hominis primordia naturalia, neque culpandus, sed laudandus Deus esset, qui talem hominem condidisset*, Et id clariùs docet alibi, [3] dicens, quòd inde gratias deberet Deo ille homo, quia *ignorantia, & difficultas non esset nascentibus animis supplicium peccati, sed proficiendi admonitio*, &c. Denique sicut potuisset Deus relinquere omnes creaturas in nihilo; quantumcunque parum boni dare velit, semper laudandus est, & amandus.

CONCLUSIO II.

Homo in puris naturalibus creabilis subjacere posset rebellioni concupiscentiæ in appetitu, & ignorantiæ in intellectu.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [4] Nam apertè negat, quòd ex

[1] *Ibid. H.* 9. [2] *De bo. perse.* 11.
[3] *De lib. ar.* 20. [4] 2. *d.* 29. *C.* 6.

ex puris naturalibus possit haberi ea tranquillitas, quæ consistit in perfecto consensu appetituum inferiorum cum rationali. Nam cùm objicitur, quòd posset ex puris naturalibus haberi ab homine rectitudo excludens omnem rebellionem potentiarum, respondet, & negat, *istud haberi posse ex puris naturalibus*, & dicit, quòd ista *non sunt pœnæ, sed conditiones naturales, sicut non est pœna boni mori, sed naturale, & quòd appetitus ejus feratur in suum delectabile*. Et docet igitur [1] quòd *cùm potentia superior non habuerit in puris naturalibus, vel quòd natura inferior non inclinaretur contra judicium superioris, aut si inclinaretur, quantum est ex se, posset tamen à superiori regulari, & ordinari sine difficultate superioris, & sine tristitia inferioris*, cum, inquam, hoc non habuerit potentia facta in puris naturalibus; ergo ad id necessarium est donum supernaturale; ergo in statu puræ naturæ adesset rebellio appetituum inferiorum cum superiore. Hinc

Prob. 2. Nam ex natura sua sensus corporei inclinantur in bonum sensibile, sicut anima ex natura sua fertur in bonum spirituale; ex naturali hominis constitutione ex carne, & spiritu, *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*; sed ille homo in puris naturalibus esset ita constitutus; ergo & obnoxius eidem concupiscentiæ.

Prob. 3. ex censura Baii dicentis, quòd [2] *falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse creari à Deo, & institui sine justitia naturali*. Nam si damnantur, qui hoc dicunt esse falsum; ergo verum est, hominem potuisse creari sine justitia, seu rectitudine illa naturali, qua appetitus sensitivi subderentur rationali. Ad idem facit damnatio istius, [3] *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio*. Primam autem illam integritatem dicebat esse obedientiam appetitus. Consistebat enim, inquit Baius, non tantùm in hoc, quòd mente per integram legis, & voluntate per plenam obedientiam suo Creatori adhærebat, sed etiam, quòd inferiores animæ partes superioribus voluntatis imperio ad nutum serviebant; ergo 1. rectitudo, & justitia naturalis,

[1] *Ibid. A.* 4. [2] *Prop.* 19. [3] *Prop.* 26.

ralis, quam Baius, & sequaces ejus volunt inseparabilem à natura humana cessante peccato, & propter quam damnatus est, consistit in ea subjectione appetituum ad rationem; ergo censet Ecclesia, illam esse donum gratuitum, & separabile à conditione puræ naturæ; ergo censet, quòd in puris naturalibus homo esset obnoxius illi rebellioni.

Confir. Nam Augustinus[1]non tribuit motus concupiscentiæ nisi remotioni gratiæ; ergo sentit eam esse nobis connaturalem, & ejus quietem, & subjectionem esse ex sola gratia. Prob. ant. *Mox ut præceptum transgressi sunt* Protoparentes, *intrinsecùs gratia deserente omninò nudati in sua membra oculos deiecerūt.* Et alibi, [2]*Gratia deserente Divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt*. Et alibi [3] sæpè idem docet, ergo pax, & subjectio concupiscentiæ veniebat à gratia, non à natura; ergo hæc posset esse sine illa.

Probatur 2. p. 1. ex Augustino non semel adducto. [4]*Ignorantia, & difficultas etiam si essent hominis primordia naturalia, non sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem libro disputavimus*. Sc. li. 3. de lib. ar. c. 20. distinguit pœnalem ignorantiam à naturali, & docet, quòd, quàmvis esset naturalis, non minùs esset laudandus Deus. *Creator ejus ubique laudatur, vel quòd eam*, (sc. animam) *ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoaverit, vel quòd ejus profectum adjuvet ... Non enim propterea malam creavit, quia nudam, tanta est; quanta proficiendo esse posset, accepit*, sc. posset illa natura pura, sicut est nostra rea, studio, & labore ignorantiam vincere; ergo ex Augustino, posset creari homo in puris naturalibus cum eadem ignorantia, qua nunc laboramus ex peccato.

Prob. 2. ex dictis. Nam ista ignorantia, quam nunc patimur, est purè naturalis, & quòd primus homo formatus sit cum speciebus, & intelligentia rerum omnium ad ejus statum pertinentium, ex mera Dei beneficentia, & gratia accepit; ergo illa intelligentia non fuit ex naturali facultate, nec inseparabilis à natura; ergo hæc posset creari sine illa.

Objic. 1. con. 1. p. ex Script. patet, concupiscentiam, nasci

[1] *Ge.litt.* 31. [2] 13. *Ciu.* 13.
[3] *De bon.persev.* 11. [4] 1. *Retract.* 9.

nasci ex peccato, & ideò vocatur ipsa peccatum. Nam Rom. 7. *Nunc autem jam non ego operor, illud sc. malum, sed quod habitat in me, peccatum*. Et [1] *Omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est..quæ non est ex Deo, sed ex mundo*. Sed si esset in homine ante peccatum, esset ex Deo; ergo &c. Confir. Nam D. Paulus vocat concupiscentiam *aliam legem repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis;* ergo concupiscentia non est lex, nec motus naturalis, sed lex peccati, & effectus ejus; ergo non posset esse in natura pura.

Resp. dist. maj. Concupiscentia deliberata, & ex libero consensu, non est ex Deo, sed ex mundo, seu peccato, con. concupiscentia indeliberata, & radicalis, ac physicè considerata, neg. maj. & min. Joannes autem loquitur de concupiscentia in hoc 2. sensu, non in primo, & id patet ex ipso textu illius capitis, ubi Joannes intendit avertere nos ab amore mundi. *Nolite diligere mundum*, inquit, *si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*. Charitas autem Dei non est incompatibilis cum concupiscentia innata, & physica, sed cum voluntaria, & peccatrice. Undè Augustinus, [2] *Non habendo concupiscentiam mundi, non vos subjugabit nec desiderium carnis...faciens locum charitati venienti, ut diligatis Deum, quia si fuerit ibi dilectio mundi, non erit dilectio Dei*. &c. ergo patet, hìc esse sermonem de concupiscentia, & dilectione elicita, & voluntaria, & peccaminosa, & morali, non de innata, & involuntaria, & physica, de qua est quæstio.

Resp. 2. dist. eandem maj. Concupiscentia nascitur ex peccato, in statu præsenti naturæ lapsæ, & supposito peccato, con. maj. & neg. min. in statu naturæ puræ, neg. maj. Nam tunc non esset nisi ex constitutione naturæ, & quidem à Deo, sicut ipsa natura; nunc verò est re vera ex peccato, quia stante innocentia, ligata fuisset concupiscentia, ne repugnaret rationi.

Ad D. Paulum eodem modo respondetur, sc. eum loqui de concupiscentia in statu naturæ lapsæ, & hoc 1. quia, ut docet Concilium Trident. [3] *ex peccato est, & ad peccatum inclinat*. Et eodem modo intel-

[1] *Jo. 2.* [2] *Ps. 81.* [3] *SS. 5.*

intelligendi sunt Patres, & maximè Augustinus, cùm ita loqui videntur de concupiscentia.

Inst. Idem Concilium docet, per peccatum incursam cum concupiscentia potestatem Diaboli, & mortis, *& cum morte captivitatem sub ejus potestate.... hoc est Diaboli*, &c. ergo ex solo peccato nasci potest concupiscentia, non autem esse à Deo, vel à natura. Nam illa captivitas sub Diabolo non potest esse à Deo.

Respondeo neg. cons. Nam ideò in natura lapsa incurrit captivitas Diaboli cum illa concupiscentia, quia venit ex peccato, & cum peccato conjuncta est; sed illa conjunctio non est adeò necessaria, ut non possint separari, & maximè in alio statu naturæ. Imò & jam separantur. Nam per Baptismum liberamur à potestate Diaboli, non autem à concupiscentiæ fomite, ut docet idem Concilium.

Objic. 2. Si concupiscentia posset esse à Deo; Deus dici posset causa peccati; sed conseq. est impium; ergo &c. Prob. maj. In statu naturæ puræ homo non posset cohibere motus inordinatos concupiscentiæ, & sic peccaret; ergo Deus esset causa illius peccati. Ant. supponitur de fide. Non enim potest homo naturaliter resistere gravi tentationi, nec implere totam legem sine auxilio gratiæ supernaturalis. Prob. cons. Quod est causa causæ, est causa causati; sed si Deus esset causa concupiscentiæ, esset auctor, & causa peccati; ergo &c.

Resp. neg. maj. & ant. Absolutè enim posset vincere concupiscentiæ motus, saltem per auxilia illi statui propria. Nec enim concupiscentia necessitaret voluntatem ad consensum illicitum; alioqui non esset peccatum defectu libertatis. Et dist. maj. 3. Quod est causa causæ physicæ, necessariæ, & antecedentis, con. maj. & neg. min. causæ per accidens, & non antecedentis, sed comitantis, saltem in moralibus, neg. maj. & cons. Concupiscentia non esset causa physica, nec necessaria consensus in peccatum, ut dictum est, quia voluntas absolutè posset non consentire; alioqui non esset peccatum.

Dixi, *cum auxiliis opportunis, & illi statui propriis*, sc. ex providentia naturali, non autem supernaturali

lis ordinis. Hęc enim extraheret hominem ex statu purè naturali ad supernaturalem.

Inst. Deus dicitur auctor boni operis, quia ad illud nos trahit, & impellit per gratias excitantes, & adjuvantes; sed idem faceret dando concupiscentiam, qua ille homo impelleretur ad malum; ergo ita diceretur causa mali.

Respond. neg. min. Et disparitas est, quia Deus per auxilia gratiæ est causa non tantùm physica, sed etiam moralis boni operis, non autem per concupiscentiam; & sic 1. gratiam confert ex directa intentione boni, 2. ut causa purè libera, & particularis, suadet, & impellit ad bonum opus, in concupiscentiæ autem creatione 1. agit ut causa universalis, & quasi necessaria, supposita lege sua, sicut quando coagit per concursum ad opus malum, 2. dedit concupiscentiam ex bona intentione, ut sc. illa benè utatur homo, & per illam exerceatur ad meritum, & 3. dissuadet, & retrahit multimodè à malo usu ejusdem.

Inst. 2. Concupiscentia est vitiosa; ergo non potest esse naturalis homini, nec à Deo. Prob. ant. quia inducit ad peccatum. Undè Jacobus docet, *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur*, &c. *unusquisque tentatur à concupiscentia sua*, &c. ergo &c.

Resp. neg. ant. absolutè. Est enim conditio naturæ, non vitium. Et dist. ant. prob. Inducit ad peccatum per accidens, con. per se neg. Per se inclinat ad amorem boni sensibilis, quod de se est indifferens ad moralitatem. Potest enim benè, aut malè amari. Imò & in entitate sua physica bonitatem suam habet, & cooperari potest ad bonum morale.

Inst. 3. Nisi motus concupiscentiæ essent in se vitiosi, & mali moraliter, non esset de illis erubescendum, sed liceret eis consentire, quod enim est à Deo, non est erubescendum, nec illicitum; sed utrunque consequens est falsum; ergo sunt in se mali moraliter, & dedecerent puram naturam. Min. prob. tùm ex facto Protoparentum, quippè statim amissa gratia, *puduit illos primos homines, quando pudenda texerunt, ideò illa est pœna peccati*, ait Augustinus; ergo motus concupiscentiæ sunt indecentes, & illicitum est eis consentire.

Resp.

Resp. neg. maj. & rationem ejus. Nam licèt multa in nobis sint purè naturalia, & inculpabilia, de illis tamen erubescimus, ut actus matrimoniales, exoneratio ventris, & similia. Concupiscentia autem, quatenus excitat ad peccatum, erubescenda est.

Objic. con. 2. p. Homo in puris naturalibus omni culpa careret; ergo nulla ignorantia laboraret. Prob. con. Nam illud ligamen rationis est effectus peccati, juxta illud, *Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus*; ergo, &c.

Resp. neg. cons. & prob. ejus. Non enim quæcunque ignorantia est pœna peccati, sed tantùm ea, quæ venit ex privatione scientiarum infusarum, & luminum gratiæ, quibus homo privatus est per peccatum, & ex pravis habitibus, quos contrahit per peccata, ligatio verò rationis in pueritia, & limitatio virium intellectivarum in adultis veniunt ex conditione naturæ.

Hæc, & cætera magis patebunt ex dicendis de justitia originali, & de peccato parentum, ac illius effectibus.

QUÆSTIO IV.

De justitia originali, in quo præcisè consisteret, & qui fuissent effectus ejus.

JUstitiæ originalis nomine posset intelligi gratia sanctificans, quæ est formalis sanctificatio, & justitia, quæque homini ab origine, seu in ipsa creatione data fuit, quæque in posteros cum generatione transiisset; sed in rigore plura importat hæc justitia, quàm gratia illa, quam supponit quidem, aut complectitur, sed non consistit in ea sola, sed superaddit aliquod donum, quod facilitatem ei tribuebat ad benè operandum, & continebat appetitus sensitivos in debita subjectione ad rationem, & voluntatem, immunemque reddebat hominem ab omni motu inordinato concupiscentiæ. Et talis fuit status Protoparentum ante peccatum. Ideò non erubescebant de sua corporea nuditate. Quæritur ergo, quid esset illud donum, an quid distinctum à gratia justificante, & habitibus virtutum moralium, an soli ani-

animæ inhæreret, an etiam sensibus, &c. Certum est autem, & patet partim ex dictis, partim ex dicendis, quòd ille status dicitur, 1. *integritatis*, quia prædictus erat homo suis facultatibus perfectè donatus, quibus ad operandum reddebatur liberrimus, & instructissimus, 2. *rectitudinis*, qua reddebatur ad omne bonum propensus, & ab omni malo aversus. Et illa *rectitudo* opponitur curvitati, & propensioni ad malum, quam in nobis experimur, & difficultati, quam sentimus ad bonum, denique sic animæ potentiam perficiebat, ut potentiæ inferiores absolutissimè illi subjicerentur in omnibus, nec illæ repugnarent ejus nutibus, nec ista tristaretur in illis regendis, aut moderandis; ipsa verò inclinabatur perfectè in bonum omne honestum cognoscendum, & amandum, 3. dicitur *status felicitatis*, quia tunc homo habebat omne bonum naturaliter expetibile, & *nullum bonum abesset homini*, inquit August. [1] *quod recta voluntas optare posset, nullumque malum adesset, quod hominis feliciter viventis carnem, vel animam offenderet*.

CONCLUSIO I.

J*Ustitia originalis fuit donum supernaturale*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *Potest dici, quòd si originalis justitia habuit facere perfectam tranquillitatem in anima quantùm ad omnes potentias, ita quòd, natura inferior non inclinaretur contra judicium superioris, aut, si inclinaretur, quantum est ex se, posset tamen à superiori regulari, & ordinari sine difficultate superioris, & sine tristitia inferioris, cùm hoc non habuerit potentia facta in puris naturalibus, necesse est ipsam ponere donum supernaturale*, &c. ergo cum teneatur communiter, justitiam originalem contulisse homini talem tranquillitatem, ita & debent cum Scoto dicere, illam justitiam fuisse donum supernaturale.

Prob. 2. ex damnatione plurium propositionum Baii, [3] quibus ille Doctor dicebat, quòd *humanæ naturæ sublimatio, etiam in consortium Divinæ naturæ*,

[1] 14.*c.ju*.10. [2] 2.*d*.29.*A*.4. [3] *Prop*.21.23.24.26.

turæ debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis, & quòd *absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio quodam supernaturali, & gratuito dono super naturæ suæ conditionem fuisse exaltatum*, &c. Eòdem faciunt propositiones 24. & 26. quibus negat hujus doni, imò & ipsius gratiæ supernaturalitatem. Nam ex talium propositionum censura sequitur, Ecclesiam velle, quòd illa justitia primi hominis fuerit donum supernaturale.

Prob. 3. ex Script. Nam dicitur, *Deus fecit hominem rectum*. Et Apost. repugnantiam, & bellum inter spiritum, & carnem tribuit peccato ut causæ; ergo justitia originalis quoad illam pacem, & subjectionem appetitus ad rationem non est qualitas naturalis. Nam peccatum non opponitur naturæ. Unde, ut dicebamus, Protoparentes post peccatum erubuerunt propter suam nuditatem, & motus inordinatos concupiscentiæ. Et ita docent communiter SS. Patres, & Concilia, sc. concupiscentiam esse effectum peccati originalis, ut cùm dicit Tridentinum in decreto peccati originalis, [1] *concupiscentiam vocari quidem peccatum, non quia verè, & propriè peccatum sit, sed quia ex peccato est*.

Confir. ex alio loco Scripturæ, [2] ubi ex consensu communi Patrum Adam figuratur in homine, qui *descendens ab Jerusalem in Jerico, incidit in latrones, qui spoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt*, &c. Hic spoliatio significat amissionem gratiæ, & justitiæ originalis. Similiter cùm Sapiens dicit, [3] *Deus creavit hominem de terra, & secundum se vestivit illum virtute*, per indumentum virtutis intelligitur donum gratiæ superadditum naturæ, quæ ad creationem refertur.

Prob. 4. quia per justitiam originalem fiebat, ut appetitus omnes sensitivi subjicerentur rationi, & magis inclinarentur ad prosequendum sub illius directione bonum honestum, & Deum ipsum, quàm proprium delectabile; sed hoc non poterat esse ex dono ullo puræ naturæ, quia hæc potiùs inclinat in contrarium; ergo ex dono supernaturali, & gratuito.

Objic. 1. Si justitia originalis est donum superna-

[1] *Sess. 5.* [2] *Luc. 10.* [3] *Eccle. 17.*

turale, concupiscentia est naturalis, & à Deo, sed conseq. est falsum; ergo &c. Prob. min. Nihil mali, & inducens ad peccatum potest esse à Deo; sed talis est concupiscentia, ut patet ex Scriptura, & Patribus; ergo &c.

Resp. neg. utranque min. vel sic dist. 2. Concupiscentia inducit ad peccatum, qualis nunc, & de facto est, conc. qualis esset cessante peccato, neg. min. & cons. Deus per donum justitiæ originalis continebat concupiscentiam, ne inclinaret ad malum, sed potiùs, ut serviret in bonum.

Inst. Cessante peccato non esset mortalitas, nec rebellio appetitus; ergo immortalitas, & subjectio appetitus sunt dotes purè naturales homini. Prob. cons. Nam erant connaturales homini, quia naturaliter poterat non esse peccatum.

Resp. dist. cons. & ant. prob. Naturales, id est, cum natura datæ, conc. id est ex natura debitæ, neg. cons. & ant. prob. Nam inquit August. [1] & post eum Magister, *creatus est homo immortalis, quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ; mortalis erat de conditione corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris*.

Objic. 2. Si justitia originalis esset donum supernaturale, peccatum originale non esset, nisi privatio illius justitiæ; sed cons. est falsum, & contra nos; ergo & ant. Prob. min. quia in statu puræ naturæ homo non haberet neque peccatum, neque justitiam illam; ergo falsum est, quòd peccatum sit privatio justitiæ originalis, alioqui esset æqualis conditionis in statu puræ naturæ, & in statu peccati.

Resp. Quidquid sit de maj. de qua infra, neg. min. & cons. prob. & dist. rationem ejus. Æqualis conditionis quantum ad perfectiones positivas, & physicas naturæ, & quoad nuditatem ab omni dono supernaturali, conc. quoad esse morale peccati, neg. ant. Homo in statu puræ naturæ careret omni gratia, & dono supernaturali ex conditione naturæ, & non ex demerito; in statu autem peccati privaretur gratiis illis ex demerito; sine quo illas debuisset habere. Uno verbo, in illo defectus justitiæ esset mera negatio, in isto verò esset pœna, & privatio

[1] *Gen. lit. c. 19.*

tio doni aliàs promissi, & debiti ex pacto, si non peccasset.

Objic. 3. In eo consistebat justitia originalis, quod ablatum est per peccatum Adæ; sed per illud ablata sunt ei dona naturalia, nam ex communi Theologorum placito, homo vulneratus est, etiam in naturalibus, ergo justitia illa consistebat etiam in donis naturalibus. Probatur min. Amisit enim rectitudinem naturalem voluntatis, & integritatem judicii.

Resp. dist. min. Amisit dona naturalia indirectè, conc. directè, neg. min. & prob. ejus. Dicitur enim vulneratus in naturalibus, & amisisse rectitudinem voluntatis, &c. quatenus amissa gratia, & rectitudine supernaturali, quam habebat ex illo dono, voluntas, & aliæ facultates ejus debiliores evaserunt, quia destituuntur illis auxiliis, & viribus, quæ aliàs illi adfuissent.

CONCLUSIO II.

Justitia originalis erat quid realiter distinctum à gratia sanctificante, et habitibus supernaturalibus infusis seorsim sumptis, & secundum se.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, quòd hæc justitia *se habet ad gratiam sanctificantem, quæ est principium meriti, sicut excedens, & excessum; excedens quidem, quia firmiùs conjunxit voluntatem ultimo fini, quàm gratia, quia secundum aliquos ita conjunxit, quòd non patiebatur secum aliquod peccatum veniale, Charitas autem compatitur, vel saltem ita conjunxit, quòd facilius, et delectabilius erat ei pati aliquam tristitiam in inferiori, quàm alicui delectationi inferiori acquiescere recedendo à delectatione finis, quod non facit gratia, cum qua stat pronitas ad malum, et difficultas ad bonum*; sed gratia excedit, quia hæc conjungit fini, ut bono supernaturali attingendo per meritum, cujus illa est principium, istud autem donum conjungebat Deo ut bono convenienti, & delectabili, &c. ergo ex Scoto, gratia, & justitia originalis distinguuntur realiter.

Prob. 2. quia possent haberi gratia sanctificans, &

[1] *ibid. D. 7.*

aliæ virtutes fidei, spei, & charitatis sine illa justitia ; ergo distinguuntur inter se. Non enim est majus signum distinctionis realis, quàm separatio, vel separabilitas. Prob. ant. Nam in Baptismo, & in ipsis SS. Apostolis fuit gratia cum illis virtutibus sine illa justitia. Paulus queritur de lege in membris suis repugnante legi mentis suæ, & de stimulo carnis suæ, ergo &c.

Dixi autem, *seorsim*, & *secundum se*, propter mox dicenda.

Objic. 1. Totũ munus justitiæ originalis erat subjicere carnem spiritui, & spiritum Deo: sed hoc præstat gratia sanctificans; ergo illa dona non distinguuntur. Prob. min. Nam gratia sanctificans conjungit nos Deo; sed hoc facere non potest, nisi subjiciat carnem rationi, & hanc Deo; ergo &c.

Resp. dist. utranque min. Gratia hoc præstat imperfectè, conc. perfectè, neg. min. Gratia sanctificans tollit quidem, aut minuit pugnam inter carnem, & spiritum, sive potiùs roborat, & armat spiritum contra carnem, sed non tollit ab ista omnem rebellionem, non facit, quin ægrè divellatur à suo bono delectabili, ut obediat rationi trahenti eam ad Deum, ut præstabat justitia originalis. Testis hujus rei est Apost. cit.

Objic. 2. Per peccatum originale amissa est gratia sanctificans æquè, ac justitia originalis cum illa tranquillitate, ergo tam illa justitia consistit in gratia sanctificante, quàm in alio ullo dono, quia utrique opponitur illud peccatum; ergo justitia illa utrunque includit. Prob. ant. ex Conc. Trid. *Si quis non confitetur, primum hominem, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse; anath. sit*, &c. ergo per peccatum amissa est tàm gratia, quàm donum justitiæ originalis.

Resp. dist. ant. Amissa est gratia propter concomitantiam, & connexionem aliquam earum inter se, conc. propter inclusionem formalem, & identitatem realem, quam habeant inter se, neg. ant. & conseq. Sunt duo dona, quæ ex ordinatione Divina connectuntur, sed ex se sunt separabilia, ut patet in Sanctis, & baptizatis. Imò & ipsum Concilium sanctitatem à justitia distinguit, ut patet ex allato canone.

Ob-

Objic. 3. Per fidem, spem, & charitatem præstatur subjectio appetituum ad rationem, & animæ ad Deum; ergo in illis consistebat tota justitia originalis, quandoquidem hæc nihil aliud præstabat, quàm illam subjectionem. Prob. ant. Per fidem subjiciuntur Deo & sensus, & intellectus, nam sensus aliud vident, & intellectus aliud credit, & captivatur in obsequium Christi, per spem subjiciuntur appetitus voluntati, & hæc Deo, à quo desiderat, & expectat felicitatem, & denique per charitatem tam appetitus, quàm voluntas adhærent Deo; ergo &c.

Resp. Ut supra dist. ant. Præstatur subjectio per aliquam concomitantiam, & connexionem, & imperfectè, conc. formaliter per inclusionem, vel identitatem realem, & perfectè, neg. ant. & prob. ejus. Nam virtutes, & habitus illi concurrebant quidem ad illam subjectionem, & justitiam per quandam connexionem, quam habebant inter se; sed non perefectè, sic, quin cum illis habitibus, sublato illo dono particulari, sentiantur aliquæ renitentiæ, displicentiæ, & difficultates appetituum ad relinquenda bona sensibilia, & delectabilia, cùm ab eis distrahuntur per illos habitus. Ideò per illud donum complebatur illa justitia, quæ consistit in perfecta subjectione hominis ad Deum per subjectionem carnis spiritui, & spiritus Deo.

CONCLUSIO III.

P*Robabilius est, justitiam illam, præter illos habitus supernaturales gratiæ, et virtutum, addidisse aliud donum supernaturale intrinsecum, vel extrinsecum, quo fiebat perfecta illa pax, et consensio inter carnem, & spiritum per totalem subjectionem appetituum ad rationem. Et illud donum ponendum videtur tum in anima, tum in corpore.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] quoad utranque partem. Nam inquit, *voluntas conjuncta appetitui sensitivo nata est condelectari sibi, sicut intellectus conjunctus sensui natus est intelligere sensibilia... Ad hoc igitur, ut voluntas possit se retrahere delectabiliter ab omni delectatione inordinata cum aliqua vi inferiori, oportuit aliquid ex se ipsi voluntati esse delectabilius, quàm* F 3 *ali-*

[1] *ibid. A.4.*

aliquod delectabile alicujus vis inferioris, et cùm nihil sit tale ipsius voluntatis, oportet, aliquid fuisse in voluntate supernaturale, quo finis fieret sibi delectabilior quàm delectabile appetitus sensitivi, propter quam rationem delectabilius se retraheret à condelectando appetitui sensitivo, quàm recedendo ab illo fine, scilicet Deo, seu bono honesto, &c. Ecce pro dono illo ex parte animæ, seu voluntatis. Addit autem pro appetitu sensitivo, quod ex parte solius animæ non tolleretur omnis rebellio, quia non impediret, ne cum tristitia, & renitentia ille appetitus retraheret se à proprio suo delectabili, ut adhæreret delectabili voluntatis.

Prob. 2. quia in eo præcisè consistebat illa justitia, quòd per peccatum Adæ amissum est, ut non recuperatur ab homine cum quibuscunque gratiis, & virtutibus; sed donum justitiæ originalis præcisè amissum cum illis gratiis, & virtutibus non recuperatur ab homine cum illis aliis omnibus gratiis, & virtutibus; ergo illa justitia aliquid includebat præter illas gratias, & virtutes. Prob. min. Nam Sancti omnes recuperarunt gratias, & habuerunt virtutes, & quidem plurimi in statu heroico, ut Apostoli, & tamen non habebant illud donum; ergo illud non recuperatur ab homine.

Prob. 2.p. 1. ex Scoto [1] *Si dicatur, quòd ipsa potentia inferior obediat delectabiliter rationi ex parte sui, tunc videtur, quòd oporteat ponere aliquid in potentia inferiori, quod sic delectabiliter feratur in delectabile voluntatis . . . Oporteret ponere in singulis potentiis appetitivis inferioribus singula dona, ita, quòd qualibet per suum donum delectabiliter moveretur à voluntate, et ipsa voluntas per donum suum moveret se ad potentias inferiores*, &c. ergo Scotus putat assignanda singula dona propria singulis potentiis, ut sit integra justitia originalis.

Prob. 2. quia tam appetitus sensitivi inclinantur in bonum sensibile, & delectabile, quàm possit voluntas inclinari in bonum honestum, sed hæc indigebat dono aliquo supernaturali, quo magis delectaretur in bono honesto, & Deo amando, quàm in bono delectabili cum appetitu sensitivo; ergo & appetitus sen-

[1] *ibid.*

sensitivus egebat aliquo dono, quo retraheretur absque renitentia, vel tristitia à bono delectabili ad bonum honestum cum voluntate prosequendum.

Confir. quia de facto experimur, quòd licèt intellectus, & voluntas per habitus intellectuales, & morales cognoscant agenda, & ad illa inclinentur, adhuc egemus habitibus in potentiis corporeis, quibus expeditè, & faciliter possimus exequi, v. g. artifices, præter scientiam, & theoriam artis in anima, egent habitibus in manibus, pedibus, &c. ad operandum; ergo à fortiori in carne requirebatur habitus, quo contra innatam propensionem ad bonum sensibile retraheretur ab eo, & delectabiliter ferretur in bonum honestum sibi à ratione propositum, & à voluntate imperatum.

Dixi autem, *donum supernaturale intrinsecum*, sc. qualitatem aliquam permanentem, & in ipsis potentiis subjectatam, & inhærentem, *vel intrinsecum*, sc. consistens in Dei providentia, & protectione speciali, quo roboraret voluntatem, ne declinaret à boni honesti amore, & quo continerentur appetitus sensitivi, ne repugnarent rationi. Utroque enim modo poterat conservari talis pax inter spiritum, & carnem, & impediri eorum dissensio.

Quantum sapio, mihi videtur probabile, id factum per donum aliquod intrinsecum, & permanens, sicut accidit in aliis, v. g. in habitibus gratiæ, & virtutum, &c.

Objic. 1. Hæc tranquillitas, & justitia sufficienter habebatur per gratiā, & habitus virtutum infusarum, & moralium simul; ergo frustra fingitur aliud donum illis omnibus superadditum. Prob. ant. Nam per gratiam habebatur essentialis justitia, per virtutes theologicas, & maximè per religionem habebatur justitia ad Deum, & per alias virtutes morales, & maximè per temperantiam, & fortitudinem regebantur appetitus concupiscibiles, & irascibiles; ergo, &c.

Resp. neg. ant. & cons. prob. Nam licèt omnes illæ virtutes, & singulæ juvent ad elevationem rationis, & unionem ejus cum Deo, & ad roborandum ejus imperium in appetitus inferiores, & ad istos continendos; tamen tota illa justitia Protoparentum non consistebat in illis solis, quia illæ eædem, & in eo-

dem circiter gradu possunt esse in aliquibus viris sanctis, & perfectissimis, qui tamen experiuntur motus aliquales appetituum contra rationem, & in istis aliquam renitentiam contra ductum rationis, quam non experiremur in statu justitiæ originalis.

CONCLUSIO IV.

Justitia originalis adæquatè consistebat in illis donis supernaturalibus, à quibus habebatur pax illa, & tranquillitas perfecta, & interna, quantum ad omnes potentias, ita ut appetitus perfectè conformarentur rationi, & hæc Deo. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto citato, [1] ubi hoc supponit. *Potest dici, quòd, si justitia originalis in anima habuit illum effectum, facere sc. perfectam tranquillitatem quantùm ad omnes potentias, ita quòd natura inferior non inclinaretur contra judicium superioris, aut, si inclinaretur, quantum est ex se, posset tamen à superiori regulari, & ordinari sine difficultate superioris, & sine tristitia inferioris*, &c. Non enim potest meliùs describi status ille; quamvis Doctor non dicat id assertivè, sed quasi dubius. Imò in Reportatis [2] dubitat de hac tranquillitate. *Sed si tranquillitas potuit esse ejus effectus, dubito.*

Prob 2. quia certum est, singula illa dona, & virtutes reddere hominem perfectè, & completè justum in ordine ad Deum, & in se, & ad proximum, & eam esse justitiam, quam irrecuperabiliter amisimus per peccatum Adæ.

Objic. Adam ante peccatum fuit tentatus, & succubuit; ergo habuit rebellantes appetitus in statu innocentiæ; ergo justitia originalis non consistit in illa tranquillitate, & subjectione appetituum.

Resp. dist. ant. Tentatus ab extrinseco, con. ab intrinseco per rebellionem appetitus, neg. ant. & conf. Fuit ergo tentatus per suggestionem Dæmonis, cui sponte, & volens consensit, & succubuit.

Quæres, *an illa subjectio appetituum tanta fuisset, ut nunquam contra rationis dictamen moverentur.*

Resp. quòd saltem illi motus non fuissent vitiosi, nec

[1] *Ibid.* [2] *d. 19. q. 2. n. 5.*

nec rationem præveniſſent, nec ejus dictamini renitentes, ſed quòd facilè potuiſſet eos moderari, & compeſcere. Ita colligitur ex Scoto ſup. cit. quia, ſi non tollebatur omnis rebellio in parte inferiori ad ſuperiorem, *ſufficit, quòd voluntas delectabiliter abſtineret à delectabili appetitus ſenſitivi, licèt iſte non abſtineret ſine aliqua triſtitia*, ut dicatur, quòd totus homo abſtinebat delectabiliter à delectabili ſēſibili. *Hoc enim convenit homini ſimpliciter, quod ei convenit ſecundum potentiam ſuperiorem.... nec fortè neceſſe eſt ponere, quòd nullus ſenſus appetitus potuit tunc triſtari* (ſc. cum avertebatur à ſuo delectabili) *quia voluntas benè uſa fuiſſet iſtis triſtitiis.... benè uſa fuiſset delectabilibus eorum, non immoderatè condelectando*; ergo ex Scoto, vel nunquam pars inferior inclinaſſet in ſuum objectum proprium delectabile, niſi dictante ratione, vel ille motus non fuiſſet vitioſus, ſed illo benè uſa fuiſſet voluntas, ſcil. ad bonum virtutis, aut ad non malum, ſed ſecundum virtutem temperantiæ.

Confir. ex Auguſt. [1] *Motus appetitus ante peccatum in Paradiſo vitioſi non erant. Non enim contra rationem rectam ad aliquid movebantur, unde neceſſe eſset eos ratione tanquam frænis regentibus abſtinere. Nam quòd nunc ita moventur, & ab eis. qui temperanter. & juſte, & piè vivunt alias faciliùs, alias difficiliùs, tamen cohibendo, & refrænando, modificantur, non eſt utique ſanitas ex natura, ſed languor ex culpa*; ergo juſtitia originalis, vel non patiebatur motus ullos appetituum inferiorum inclinantes in vitium, vel facilè, & ſine renitentia ex parte ipſorum continebantur.

Objic. Voluntas in ſtatu innocentiæ tam intimè fuiſſet conjuncta appetitibus ſenſitivis, quàm nunc; ſed nunc propter illam unionem non poteſt ſine aliqua triſtitia abſtinere à condelectatione cum illis appetitibus; ergo neque tunc.

Reſp. diſt. maj. Cum donis aliis, con. cum iiſdem donis, neg. maj. & conſ. diſtincta pariter min. Nam, inquit Doctor, in ſtatu innocentiæ, & per donum juſtitiæ originalis voluntas ſic elevabatur, & detinebatur circa proprium bonum, ſc. rationabile, & ho-

[1] 14. civ. 19.

nestum, ut illi firmiùs, & delectabiliùs adhæreret, quàm ulli bono sensibili, donum autem illud amisimus per peccatum Adæ; imò & in ipsis appetitibus inerat etiam donum, quo sic disponebantur, & afficiebantur erga rationem, ut sine renitentia, sed delectabiliter moverentur à bono sensibili proprio, dictante ratione, & volente parte superiori.

CONCLUSIO V.

Immortalitas non fuisset effectus physicus justitiæ originalis, sed moralis, ita, ut, potuisset quidem mori, non tamen fuisset moriturus, Deo sic ordinante.

Hæc patet ex dictis superiori disp. ubi probatum est, Adam creatum fuisse mortalem, & potuisse mori etiam stante innocentia, non tamen moriturum, & hanc immortalitatem habiturum esse, non à qualitate ulla intrinseca, sed per extrinsecam Dei providentiam, & conservationem, usque quò transferret illum in cælum post aliquod tempus probationis, & meriti. Nec opus est novis probationibus.

Dico, *moralis*, quatenus sc. Deus sic statuerat, ut, si perseveraret in justitia, & gratiis acceptis, non sineret, eum mori, &c.

QUÆSTIO V.

De incompatibilitate peccati cum justitia originali.

Peccatum 1. dividitur in *veniale*, quod non est absolutè incompatibile cum charitate, & gratia sanctificante, & *mortale*, quod mortem affert animæ privans illam gratia, & charitate. 2. *veniale* aliud est ex subreptione sensualitatis prævenientis rationis, & libertatis usum, aliud ex indeliberato etiam animi motu, qui dicitur *primò primus*, 3. ex *levitate* materiæ, vel imperfectione actus, ut verbum otiosum, mendacium jocosum. Et de primo, & 2. genere venialium, patet, illa non fuisse compatibilia cum justitia illa originali, quia per illam, ut diximus, appetitus inferior sic subjiciebatur, & concordabat cum su-

superiori, ut ejus judicium, nec imperium præveniret, & ipsa pars superior sic elevabatur, & firmabatur in bono, ut nihil faceret indeliberatè. Restat ergo quæstio de 3. genere peccati venialis, an sc. homo stante illa justitia peccare potuisset venialiter, seu, ut loquitur Doctor cum suis, utrùm Adam potuisset priùs peccare venialiter, quàm mortaliter, seu an justitia illa sit incompatibilis cum peccato veniali æquè, ac cum mortali.

CONCLUSIO.

Potuit Adam in statu innocentiæ peccare venialiter, seu *justitia originalis non est incompatibilis cum peccato veniali: imò & probabiliter sic peccavit.* Est communior contra Thomistas.

Prob. 1. p. ex Scoto. [1] Dico ergo, *quòd potuit peccare venialiter in illo statu.... Adam potuit non tantùm exercere actum determinatum contra præceptum, sed etiam contra consilium tantùm, ut non faciendo maximè expedienda, vel faciendo aliqua retardativa, licèt non faceret directè contra præceptum necessarium ad salutem.* Supponit differentiam peccati venialis à mortali ex eo, quòd illud sit contra consilium, & istud contra præceptum, &c.

Prob. 2. quoad utranque ex Augustino, [2] qui putat, quòd Diabolus non tentasset Protoparentes ad inobedientiam, nisi vidisset, eos jam leviter peccasse per aliquam levem elationem. *Nec arbitrandum est, quòd serpens esset hominem dejecturus, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda.* Si elatio illa fuisset mortalis, jam homo fuisset dejectus ante tentationem illam. Idem docet de teneritudine Adæ pro Heva, quæ præcessit ejus inobedientiam. *Nam Adam noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo*, & hoc, *non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicabili quadam benevolentia.* Et 3. illi tribuit aliqualem curiositatem. *Nam* il-

[1] *2. D. 21. q. 5. B. & C. 3. & 4.*
[2] *L. 21. gen. lit. 5. & ult.*

illum solicitavit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierem videret accepta illa esca non esse mortuam, &c. Indè potuit credere, non esse mortale comedere; ergo ex Augustino, leviter peccavit tum ex aliquali elatione, tum ex teneritudine erga Hevam, tum ex levi cupiditate experiendi cibum. Grave autem, & lethale peccatum ponit in transgressione præcepti, ad quam sensim disposuerunt levia illa priora. Et loquitur de facto.

Prob 3. quoad 1. p. rationibus Scoti. Nam justitia sanctitatis stat cum peccato veniali; ergo & justitia originalis, quia hæc perfectiùs non conjungit hominem Deo, quàm illa. Prob. ant. Nam Joannes de se, & aliis Apostolis, & sanctis ait, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est*. Ille autem non loquitur de peccato mortali, erant enim confirmati in gratia; ergo, &c.

Prob. 4. quia in statu innocentiæ homo tam erat liber, quàm post lapsum; sed post lapsum potest peccare venialiter; ergo & ant.

Confir. tum quia, nisi fuisset liber ad peccandum leviter, non potuisset mereri vitando peccata levia, tum quia non deessent tunc occasiones sic peccandi, & sic vel peccaret leviter succumbendo, vel nihil mereretur resistendo. Et certè ant. patet ex Augustino citato, qui agnoscit in Protoparentibus levem elationem, teneritudinem, & curiositatem. Et certè incredibile est, tunc neminem aliquo vel tepore, vel desidia, vel pigritia circa virtutes arduiores afficiendum, quæ licèt non averterent ab ultimo fine, tamen aliquantulùm retardabant ab illo.

Prob. 5. Virtus, & gratia virtutis, quantumvis perfecta, & pura non admittitur per quamlibet levissimam tentationem, & motum carnis; ergo neque rectitudo sanctitatis per quamlibet levem culpam.

Prob. 6. Justitia illa non amittebatur nisi per mortale; ergo præcedere poterat veniale. Prob. conf. Nam tentatio non statim totam suam vim exerit, sed paulatim insinuat se, & in animam ingreditur per gradus quosdam, in quibus pugnant ratio, & appetitus; quod notant Patres in colloquio, & casu Hevæ.

Prob.

Prob. denique. Nam si peccatum levissimum tolleret illam justitiam, vel tolleret illam totaliter, & secundum omnia connexa, vel non totaliter; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. min. 1. non totaliter, quia non tolleret quoad rectitudinem, & habitum fidei, spei, & charitatis, & gratiæ sanctificantis; ergo &c. 2. non partialiter, & secundum aliqua integralia, aut connexa, v. g. secundum aliquos gradus, aut dona, quæ illi sunt propria, nam, ut dicetur suo loco, entitas gratiæ sanctificantis, & aliorum habituum infusorum non minuitur per unum peccatum veniale; ergo nec illa dona, in quibus specialiter, & præcisè consistebat illa justitia.

Prob. 2. p. Nam de facto apparet in ipsis verbis Scripturæ, & textibus citatis ex August. quòd non statim Protoparentes consenserunt in transgressionem præcepti Divini. Heva ex aliqua curiositate, & levitate animi præbet aures serpenti, & cum eo colloquitur. *Debebat mulier ex ipso aggressu eminentem malitiam conjectare.... & cùm posset statim illius imposturam videre, & adversari verba ut nugacia, & seipsam in tantam humilitatem non dejicere, oportebat, inquam, initio colloquium illius non ferre*, &c. inquit Chrysost. [1] ergo primùm peccavit admittendo colloquium serpentis, quod sine dubio in illo primo momento non fuit mortale.

Objic. 1. con. 1. p. ex Augustino sic describente statum innocentiæ. [2] *Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omninò aliunde malum, quod contristaret, irruebat. Amor erat imperturbatus in Deum, & ex hoc amore grande gaudium. Nullis agitabantur perturbationibus animorum, ubi nullum erat omninò peccatum*; ergo stante innocentia non poterat peccari venialiter, alioqui non fuisset devitatio tranquilla peccati, nec amor in Deum imperturbatus, &c.

Resp. neg. cons. Nec enim id voluit Augustinus, sed tantùm loquitur de facto, & de illo statu, qualis fuit, & qualis erat futurus, aut poterat esse, si voluisset homo vitare omne peccatum, ut poterat, sine difficultate, & tranquillè; sed aliquid de illa tranquillitate amisisset, si voluisset consentire in aliquod peccatum quantumvis levissimum.

[1] *Hom. 6.* [2] *Gen. 3.*

Objic.

Objic. 2. Si in statu innocentiæ possibile esset peccatum veniale, turbaretur ejus felicitas, & tranquillitas; sed conf. est absurdum, & inconveniens; ergo &c. Prob. maj. Nam pro illo peccato debuisset dolere, & subjaceret alicui pœnæ; sed hæc turbarent illam tranquillitatem, & felicitatem; ergo &c.

Resp. neg. maj. & dist. min. prob. Turbarent leviter, con. graviter, neg. min. & conf. Nec enim illa pax, aut tranquillitas esset expers omnis levissimæ passionis, brevi, ac facillimè sedandæ per amorem Dei, & actus aliarum virtutum.

Inst. Peccatum illud veniale, quod inesset illi statui, non posset remitti sine sacrificio, vel sacramento, & sine merito Redemptoris, vel expiandum esset in purgatorio; sed hæc repugnant illi statui; ergo & illud peccatum.

Resp. peccatum illud potuisse remitti per actus ferventiores amoris Dei, & pœnitentiæ, & per aliquod sacrificium. Et neg. min. quoad hæc, quia hæc non dedecebant talem statum, non autem opus fuisset nec purgatorio, nec Redemptore alio.

Objic. 3. Omne peccatum est quædam deordinatio; ergo repugnat summæ rectitudini, qualis erat status ille innocentiæ. Nam omnis deordinatio opponitur rectitudini.

Resp. neg. conf. & rationem ejus. Vel dist. Repugnat rectitudini actuali, con. habituali, neg. Nam cum summa rectitudine habituali potest stare, & irrepere aliqua obliquitas actualis, & levissima, & minimè durans.

Inst. ergo cum statu ipso beatitudinis posset stare aliquod tale peccatum; sed hoc nullus admittet; ergo neque illud. Prob. maj. quia charitas in Beatis non potest esse major, quàm summa; ergo si cum summa rectitudine stare potest aliquod veniale, ita & cum statu beatitudinis.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Nam Beati per lumen gloriæ, visionem, & amorem beatificum actualem sic applicantur Deo, ut non possint ab eo divelli per alium actum; quod non haberet homo in statu viæ, & innocentiæ.

Inst. 2. Magis repugnat summæ rectitudini minima culpa, quàm minimus dolor felicitati ejusdem, & im-

impassibilitati; sed hæc non patiebatur minimum dolorem; ergo nec illa minimam culpam. Prob. min. ex Augustino. *Neque enim esuriret, nec sitiret, neque in corpore, vel à corpore ullas molestias ullis sensibus quidquam ingereret*; ergo &c.

Resp. dist. min. Non patiebatur minimum dolorem involuntarium, con. voluntarium, neg. min. & conf. prob. Quis enim dubitat, quin ex motivo pietatis potuisset jejunare, & sitire, & mortificare se? Inde ergo nihil infertur contra nos de levi peccato.

Objic. 4. Illud peccatum venisset vel ex suggestione, vel subreptione, vel deliberatione, vel passione; sed ex nullo ex his capitibus venire poterat; ergo &c. Prob. min. 1. non ex passione, quia appetitus perfectè subjiciebantur rationi. 2. neque ex subreptione, propter eandem rationem, quippè subreptio venit ex motu concupiscibili, vel irascibili præveniente rationem. 3. non ex suggestione. Nam Dæmon non suggessisset actum, qui non destrueret innocentiam; sed talis actus, per nos, staret cum innocentia; ergo illum non suggereret Dæmon. 4. non ex deliberata voluntate, quia hæc erat recta; ergo ex nullo capite poterat peccari venialiter.

Resp. neg. min. & ad prob. dico. Adam potuisse peccare leviter æquè, ac graviter per suggestionem, & neg. ant. prob. Nam ordinariè Diabolus incipit suggerere leviora, ut paulatim deveniat ad graviora, ut de facto accidit. 2. potuit etiam ex deliberatione volendo per momentum delectationem, aut curiositatem aliquam levem, & sciendo rem esse levissimè malam. 3. etiam ex passione, non quidem violenta, sed ex affectu leviter immoderato, v. g. ex molitie aliquali, aut delectatione, aut debilitate, aut acedia, vel desidia quadam.

Objic. 5. Talis erat illa innocentia, & rectitudo, seu justitia, ut vel tota staret, vel tota rueret; sed non poterat tota ruere sine peccato gravi, nec tota stare, si admitteret minimam deordinationem; ergo hanc non admittebat.

Resp. dist. maj. Ut tota staret totalitate morali, & notabili, con. totalitate mathematica, & physicè indivisibili, neg. maj. & conf. similiter distincta min. Ingens speculum dicitur purum, licèt habeat levio-

rem.

rem maculam. Virginitas non amittitur ob leviorem cogitationem, vel motum, saltem indeliberatum (licèt in venereis non admittam parvitatem materiæ.) Aqua maris non amitteret puritatem summam per mixtionem guttæ alterius liquoris, aut grani arenæ, &c. Ita esset de illa justitia, non corrueret per levissimam quamcunque maculam, vel deordinationem.

CONCLUSIO II.

Stare potuisset justitia originalis cum peccato mortali, imò & probabile est, eam non fuisse amittendam per aliud peccatum, quàm per esum pomi vetiti. Loquor de justitia originali quoad id, quod importat supra gratiam sanctificantem, sc. quoad subjectionem appetitus, & immortalitatem. Nam de incompatibilitate peccati cum gratia sanctificante dicetur aliàs.

Prob. 1.p. 1. ex Scoto cit. [1] Nam sic probat, quòd *primum peccatum hominis in statu innocentiæ potuit fuisse veniale, quia rectitudo innocentiæ magis repugnat cum peccato mortali, quàm veniali; sed non obstante sua rectitudine potuit peccare mortaliter; ergo multò magis potuit peccare venialiter, etiam ipso remanente in statu innocentiæ*. Videtur quidem supponere, quòd per illud peccatum mortale non staret innocentia sed tamen non se explicat, nisi de veniali.

Prob. 1.p. tum quia in hoc non apparet ulla implicantia, tum quia nihil impedit, quòminùs Deus posset impedire rebellionem appetitus, & continere illum in subjectione debita, etiam post quodcunque peccatum, tum denique, quia, si probabilis est 2. p. quæ est de facto; ergo à fortiori probabilis est 1. quæ est de possibili.

Prob 2. p. 1. ex Scriptura, qua constat, Deum non alligasse mortem illam, quam sibi, & posteris demeruit Adam, nisi commestioni pomi scientiæ. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comederis, in quocunque die comederis, morte morieris*. Et nuditas, de qua erubuerunt, & quam erubescentiam Patres tribuunt concupiscentiæ rebellioni, tribuitur comestioni. *Quis indicavit tibi, quòd nudus esses*, inquit Deus, *nisi*

[1] *Ibid. n. 2.*

nisi quòd de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? Certè multis aliis peccatis se inquinaverat, ut videbimus; & tamen hoc unum illi exprobrat Deus, & illi uni tribuit passionem illam verecundiæ ex nuditate; ergo ex hoc peccato venit amissio illius rectitudinis, in qua præcisè consistebat justitia originalis.

Objic. 1. con. 2. p. Alia peccata erant, aut fuissent graviora, quàm esus pomi; ergo à fortiori per hæc amisisset illam gratiam.

Resp. neg. conf. quia liberum fuit Deo donum illud rectitudinis alligare huic, vel alii conditioni.

Objic. 2. Illa rectitudo importabat subjectionem appetitus ad rationem, & rationis ad Deum; sed hæc non stat cum peccato mortali quocunque, quod est aversio à Deo; ergo neque illa.

Resp. dist. maj. Subjectionem habitualem, con. actualem, neg. maj. Et sic dist. min. Hæc subjectio actualis non stat cum peccato actuali, con. habitualis cum peccato actuali, neg. min. & conseq. Poterat enim Deus non alligare donum illud, & ejus conservationem, nisi tali peccato, propter quod illud retraheret, sicut donum fidei non amittitur regulariter, nisi per peccatum infidelitatis, vel hæresis.

Objic. 3. Homo per peccatum quodcunque mortale demerebatur pœnam æternam; sed hæc pœna repugnat statui justitiæ originis; ergo & omne peccatum mortale. Prob. min. quia justitiæ illi annexa erat felicitas, impassibilitas, & immortalitas; ergo &c.

Respondeo dist. min. Repugnat quoad aliqua concomitantia, con. quoad omnia, & maximè quoad illam rectitudinem habitualem appetituum, neg. min. Repugnat etiam hic status cum pœna æterna, & damnatione actuali, & inflicta, sed non cum reatu solo, & præcisè.

QUÆSTIO VI.

De duratione illius justitiæ, seu quandiu steterit Adam, & de confirmatione status illius.

De duratione status innocentiæ, seu de tempore, quo Adam fuit in Paradiso, abstinens à peccato,

cato, non una est mens Theologorum. Supponunt autem communiter, illam perseverantiam, seu innocentiam, & felicitatem parum durasse, & quòd, si Adam vicisset primam tentationem, fuisset confirmatus in gratia.

Porrò confirmatio in gratia duplex est, ait Doctor, 1. qua in eo statu ponitur anima, ut non posset peccare, saltem moraliter. Nam non potest aliter impeccabilitas competere creaturæ, ut diximus aliàs. Et talis est status Beatorum, qui sic objecto beatifico uniuntur per visionem, & amorem, ut ab eo distrahi non possint moraliter loquendo. 2. modo quando peccare quidem potest, sed non peccat, vel non peccabit, ut contigit multis viatoribus sanctificatis in utero, ut B. Virgini deiparæ, & aliis. De prima confirmatione non loquimur, quia opponi videtur statui viæ, sed de 2. quæ consistit in non peccare. His positis, quæritur 1. hìc, quandiu innocentia Protoparentum duraverit, 2. si durasset post tentationem, an statim fuissent confirmati in gratia, & quid eorum filiis.

CONCLUSIO.

Status innocentiæ, & felicitatis Paradisi duravit ad minus sex horas, & non ultra septem dies: quandiu autem præcise duraverit, incertum.

Probatur 1. p. quia quæ narrantur de creatione Adæ, & gesta ab hora creationis usque ad ejectionem ejus non potuerunt ordinariè, & commodè fieri breviori temporis spatio. Nam dicitur 1. positus, seu adductus in Paradisum. 2. Data est ei facultas edendi ex omni ligno Paradisi, & prohibitus esus ligni scientiæ. 3. Immissus sopor in Adam, dum ex ejus costa formata est Heva. 4. Adducta sunt animalia coram eo, ut illis nomina imponeret, quod dicitur fecisse ex Paradisi extremitate, nisi & ipsa animalia illuc introducta sint. 5. Ipse cum uxore visitavit sine dubio locum voluptatis, & vidit loci, & arborum amœnitatem, & fructuum pulchritudinem, & maximè lignum scientiæ. *Vidit* enim *mulier, quòd esset bonum ad vescendum, & pulchrum oculis*, &c. 5. Colloquium habuit cum ser-

ſerpente; & quidem non momentaneum, ut patet in textu. 6. Comedit ipſa, & deinde viro ſuaſit, ut comederet, qui & ipſe comedit. 7. *Aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt ſe eſse nudos*, & nuditatem agente concupiſcentia erubuerunt, & ſub denſam arborem confugerunt. 8. Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. 9. Audientes vocem Dei perambulantis in medio Paradiſi, *Adam abſcondit ſe*, & uxor ejus cum eo; quæſierunt ergo latebras de medio in quoſdam angulos. 10. Vocante Deo reſpondit Adam, & comparuit. 11. Interrogationibus reſponderunt ſucceſſivè vir, & mulier. 12. Prolata eſt contra illos, & ſerpentem condemnationis ſententia. 13. Utriſque Deus fecit per Angelos tunicas pelliceas. 14. Denique emiſit eum Dominus de Paradiſo. Hæc, inquam, omnia, licèt breviſſimo tempore facta ſint, tamen ex naturali rerum, & ex humana reorum conditione, facta ſunt cum aliqua ſucceſſione, quæ ad minus ſex horas diei inſumpſerunt.

Confir. Nam debuit Adam viſitare ampliſſimum, & amœniſſimum locum illum, ut Dei bonitatem, & divitias ejus ſibi collatas ad gratitudinem agnoſceret, & ut ex illius privatione graviùs punitum ſe ſentiret, recordatus amiſſorum tot bonorum.

Confir. 2. ex illorum ſententia, qui vel ad 6. vel 7. vel octo, vel 40. dies, vel ad 34. aut ad 40. annos moram illam protrahunt. Nam illorum conjecturæ licèt non omnes æquè probabiles ſint, tamen aliquam notabilem durationem probant. Plures hujus ſententiæ Patres citatos habes apud Pererium, & alios Interpretes, qui putant, ipſa die creationis eorum, ſcilicet feria 6. hæc omnia contigiſſe. In hac ipſa die, inquit Irenæus, *manducaverunt, in ipſa autem & mortui ſunt; ideò ſexta hora crucifixus eſt Chriſtus*.

Prob. 2. p. 2. quia ex verbis ſerpentis conjicitur, quòd, cùm tentavit Protoparentes, nondum comederant ex ullo fructu. Dixit enim, *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno*? id eſt ex illo. 2. quia ſi diutiùs ibi commorati fuiſſent, non tam facilè inducti fuiſſent ad peccatum, quia potuiſſent aſſuefieri obedientiæ, contenti uſu aliorum fructuum ſuaviſſimorum, & maximè uſu ligni vitæ. 3. quia cùm præcepiſſet illis Deus creſcere, & multiplicari,

de-

debuissent coire ad generationem, si per plures dies ibi convixissent. Sed nondum id fecerant. Nam, inquit August. *Mox creata muliere, priusquam coirent, facta est illa transgressio*; ergo non diù, seu non ultra hebdomadam steterunt in Paradiso.

Prob.3. p.1. Nam neque ex Scriptura, neque ex aliqua certa traditione colligi potest præcisa duratio illius innocentiæ, & felicitatis. Et 2. quia varietas opinionum cum suis motivis conjecturalibus signum est illius incertitudinis. Quidam censent, eam fuisse ad minus octo dierum, ut sc. qui fuerant creati sexta die, recurrente eadem ceciderint, & fuerint ejecti post aliquantulum spatium experientiæ illius felicitatis, cum statu exilii, & pœnæ, quia sicut Christus D. sexta die incarnatus est, & mortuus ad reparationem, sic eadem die creatus est Adam, & peccavit, & è Paradiso expulsus est. Alii ad 40. dies, correspondentes totidem, quibus Christus jejunavit, ut intemperantiam eorum expiaret. Alii ad 33. aut 34. annos correspondentes totidem annis vitæ mortalis Christi. Alii ad unum diem restringunt. Alii ad pauciores horas, ne per aliquot horas fingantur otiosi, & sine ullo merito. Nam credunt, quòd statim post primum opus bonum debebant confirmari in gratia, &c. Tene, quam tibi probabiliorem videris.

CONCLUSIO II.

P*Robabile est, quòd ubi primam tentationem superassent Protoparentes, confirmati fuissent in gratia, nec deinceps peccassent. Ita esset de filiis eorum.*

Prob.1. p. ex Scoto sic loquente, [1] *Secundo modo accipiendo esse confirmatum, dico, quòd sic merè viator posset esse confirmatus, & fuissent filii in statu innocentiæ in gratia confirmati .... sicut pater primus fuisset confirmatus, si primæ tentationi restitisset*, &c.

Prob.1. p. ex Patribus. Nam, inquit Anselmus, [2] *in illa justitia, in qua erant primi homines constituti, videtur, quòd, si vicissent, ut non peccarent tentati, ita confirmarentur cum omni propagatione sua, ut peccare ultra non possent, quemadmodùm quia victi peccaverunt, sic infirmati sunt, ut, quantum in ipsis est,*

[1] *Ibid. n.B.n.3.* [2] *L. cur D.ho.38.*

est, sine peccato esse non possent. Et Augustinus [1] inter bona status illius dicit, quòd *ibi jam esset certa securitas, peccaturum neminem, moriturumque neminem*, &c. Unde miror, Ariagam citare Augustinum pro contraria.

Prob.3. quia debuisset ad minus Adam insigniri tot gratiis, quot multis posteris ejus collatæ sunt; sed multis viris sanctis collatæ sunt gratiæ, quibus confirmati sunt in sanctitate in hac vita; ergo & id concessum fuisset aliquando ipsi Adamo, & maximè post victoriam ex tentatione.

Prob.2. p. & confir. prior ex Patribus. Nam inquit Gregor. [2] *Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios generaret gehennæ, sed soli electi ab eo nascerentur*. Et S. Anselmus, [3] *Vident enim, quòd, si vicissent, confirmarentur cum tota propagine sua, quòd ultra peccare non possent*. Dat rationem, *quia nemo dicet plus valere injustitiam ad alligandum hominem in servitutem in prima persecutione sibi consentientem, quàm valeat justitia ad consummandum in libertate sibi in eadem tentatione adhærentem*. Sed post primam tentationem, & primum casum dejectus est, & posteri omnes; ergo post primam victoriam ille, & posteri omnes fuissent confirmati.

Dices, hos Patres plus dicere, quàm Scotus velit. Dicunt enim absolutè, posteros esse confirmandos independenter ab illa victoria; ergo vel Scotus loquitur absque solido fundamento, inquit Gaudentius, vel aliter Patres intelligendi sunt.

Contrà. Nam non excludunt merita, & dispositiones ex parte filiorum magis, quàm ex parte Adæ; sed iste non erat statim, & sine omni merito, vel dispositione confirmandus; ergo nec illi. *Filius*, ait Doctor, *non recepisset perfectiorem justitiam, quàm pater*; sed pater potuit eam perdere, & perdidit; ergo & filius potuisset eam perdere per aliquam tentationem, saltem primam.

Dices 2. Hanc gratiam habuissent filii ex merito Adæ, sicut peccatum habent ex ejus demerito.

Contrà 1. quia sufficit, quòd Adam eis meruisset justitiam originalem; non autem constat ulla authoritate

[1] 14. *civ.*10. [2] 4. *mor.*36. [3] *Ibid.*

ritate Scripturæ, aut Patrum de merito confirmationis. 2. quia meritum Adæ non fuisset majus merito Christi; sed Christus licèt meruerit gratiam remissionis peccati, non tamen meruit, ut statim justificati confirmemur in gratia; ergo nec Adam id meruisset.

Objic. con. 2. p. Meritum est efficacius ad gratiam, quàm demeritum ad pœnam, quia Deus præmiat ultra meritum, & punit citra demeritum; sed peccatum Adæ facit, ut filii nascantur peccatores; ergo meritum ejus fecisset, ut nascerentur impeccabiles, seu non peccaturi, & confirmati in gratia.

Resp. dist. maj. Ex Dei bonitate, & misericordia, con. maj. & neg. min. ex natura sua, neg. maj. & conf. Nam ex Dei bonitate, & gratia fit, ut plus donet, quàm mereamur, & maximè de his, quæ dantur ex merito alieno, quod pendet ex pactis, peccatum autem Adæ non erat hæreditarium posteris ex natura sua, sed ex pacto, ita est de justitia, & donis; non constat autem de pacto ullo confirmationis, & purè gratuitæ pro filiis Adæ.

Inst. 1. Contrariorum est eadem ratio; sed peccatum Adæ inficit posteros; ergo ejus innocentia reddebat eos ita justos, ut non essent peccaturi, nec possent.

Resp. dist. maj. In his, quæ physicè fiunt, con. in his, quæ fiunt moraliter, & pendent ab humano arbitrio, & pactis, neg. maj. & conf. Ex Dei pacto filii Adæ contrahunt ejus peccatum, & participaturi erant ejus gratiam, & ex eodem poterant non contrahere peccatum, aut gratiam sub his, vel aliis conditionibus ad libitum Dei.

Objic. 2. In statu innocentiæ soli prædestinati fuissent nati; ergo omnes filii Adæ nascerentur certi de beatitudine; ergo & confirmati in gratia. Ant. patebit infrà, & patet ex S. Gregor. citato.

Resp. Quidquid sit de ant. de quo mox, neg. conf. Non enim necesse est, ut prædestinati sint confirmati in gratia, & nunquam peccent, ut constat de multis Sanctis.

CON-

CONCLUSIO III.

Posteri Adam potuissent perdere innocentiam, non quidem pro suis, sed pro seipsis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] ubi docet, quòd *filii in statu innocentiæ fuissent sic confirmati* (*sc. quatenus non erant peccaturi, licèt potuissent peccare*) *sc. postquàm primam tentationem vicissent, sicut pater primus*, &c. qui si primæ tentationi restitisset, confirmatus in illa justitia fuisset, & nunquam illam amisisset, nec peccasset. Deindè quærens, *Fuisset ne filius confirmatus in illa, statim ac natus? Dico, quòd non, quia filius non recepisset perfectiorem justitiam, quàm pater;* sed pater potuit eam perdere, & perdidit; ergo & filius.

Prob. 2. ex eodem, quia per justitiam originalem non tollebatur libertas peccandi in filiis magis, quàm in Adam, nec eos necessitasset ad bonum; ergo potuissent peccare, & innocentiam amittere.

Prob. 2. p. quia Deus non sic convenerat cum ullo ex filiis Adæ, ut illum constitueret caput cœterorum, ita, ut posset aliis mereri, vel demereri, sicut fecerat cum Adam; ergo quisque sibi soli demeruisset amissionem gratiæ, & innocentiæ, non verò aliis.

Objic. ergo potuissent tunc nasci reprobi, & fuissent peccatores in illo statu; ergo non fuisset status integritatis; sed consequens est contra nos; ergo, &c.

Resp. neg. seq. utranque. Nam, inquit Scotus, licèt potuissent cadere ab innocentia, non tamen cecidissent, vel post casum resurrexissent à peccato.

Inst. Scotus ipse docet, filios potuisse perdere justitiam, sicut pater; sed pater de facto perdidit; ergo & illi perdidissent.

Resp. neg. conf. Nam à facto ad posse valet quidem conseq. non autem à posse ad factum. Filius æquè potuisset perdere justitiam, ac pater, sed non sequitur, quòd de facto perdidisset eam.

[1] *Ibid. B.3.* [2] *Ibid. D.5.*

QUÆSTIO VII.

Utrùm in statu innocentiæ soli electi nati fuissent, & an iidem, qui nunc.

Sensus quæstionis duplex est, 1. an in statu innocentiæ nulli præter electos nati fuissent, seu an omnes filii Adæ fuissent electi, 2. an illi iidem nati fuissent, qui nunc nascuntur, & sunt electi, an verò alii, saltem individualiter diversi.

Quæstionis autem decisio facilior videtur in sententia tenente, electionem efficacem ad gloriam esse antecedentem, & independentem à prævisione peccati, aut meriti, quam in nostra de electione illa ex prævisis meritis, quam ut probabiliorem defendimus. Tamen à Scoti opinione non discedemus.

CONCLUSIO.

In statu innocentiæ soli electi nascerentur, & iidem numero, qui nunc nascuntur. Est Scotistarum contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd soli nunc electi fuissent in statu innocentiæ nati.* Et pro identitate individuali addit, *Dico* (sicut dictum est) *quòd idem homo in numero, non solùm quoad animam, sed etiam quoad corpus organicum potuit esse filius Adæ, & filius Abrahæ: ex quocunque istorum duorum fuisset, idem numero fuisset.*

Prob. 1. p. 1. ex S. Gregorio citato. [2] *Si parentem primum nulla peccati putredo corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed illi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli ab illo nascerentur electi.* Et S. Augustinus, [3] *Illud potiùs est credendum, quòd sanctorum numerus, quantus complendæ illi sufficit beatissimæ civitati, tantus existeret, & si nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum.*

Prob 3. ratione, 1. quia ille status erat integritatis, & innocentiæ; ergo in eo non erat futurum peccatum, nec

[1] *Ibid. q. 2. B. 2;* [2] 4. *mor. 36. vel. 28.*
[3] 14. *civ. 23.*

nec damnatio, sicut in statu virginitatis non esset conceptio. 2. quia sicut totus ille status per peccatum Adæ corruit, ita per ejus innocentiam totus stare debuit. Confirm. quia id videtur Deum statuisse cum Adamo, ut si staret, ipse cum filiis salvaretur, & si caderet, caderent & ipsi, & morte morerentur. 3. quia si in eo statu peccata mortalia fuissent futura, indiguisset Redemptore, & ferè similis fuisset ille status cum nostro, in quo egemus gratia Redemptoris, sed hæc non admittit Scotus, licèt teneat Verbum incarnandum etiam Adamo non peccante; ergo soli electi tunc nati fuissent.

Prob. 2. p. quia decretum electionis est æternum, determinatum, & immutabile, non autem vagum, & mutabile, ergo iidem, qui efficaciter electi sunt pro quocunque statu, semper iidem permanent electi, & ipsi sunt numero determinati. Prob. conseq. Nam prævisio peccati non potuit privare sua electione illos, qui pro statu innocentiæ fuissent electi; ergo iidem, qui pro isto statu fuerant electi, aut eligendi, non debuerunt negligi pro statu peccati. Nec quidquam cogebat Deum eligere alios, vel plures pro statu peccati, quàm quos eligebat, vel elegisset pro statu innocentiæ.

Confirm. quia prius est, Deum destinasse electos ad gloriam, & ultimum finem, quàm ad media, cujusmodi est destinatio nativitatis ex his, vel illis parentibus; ergo per decretum quoad parentes istos, vel illos electorum nihil immutatum de decreto ipsorum singulorum electorum.

Confir. 2. ex Scoto citato. Nam idem singularis homo potuit esse filius Adæ, & Abrahæ; ergo ita est de aliis, sc. idem electus, qui natus esset de Adam innocente, potest nasci de quocunque alio post lapsum. Et ita de facto credendum est, quandoquidem decretum electionis non mutatur in se, nec habet ullam dependentiam à peccato Adæ, vel à qualitate parentum, sed tantùm à bonis, vel malis meritis personæ.

Prob. 2. argumento Scoti. Nam ordinatè volens priùs vult finem, quàm media, & in istis priùs vult fin, propinquiora, quàm remotiora, sed Deus vult ordinatè gloriam suam velut finem, & vult illam electis

per media, & hæc media sunt propinquiora illi gloriæ Dei, quàm quòd electi nascantur ab hoc, vel illo homine, à peccatore, vel à justo; ergo Deus voluit gloriam suam dare electis independenter à statu peccati, vel innocentiæ, & ab his, vel illis parentibus eorum, quia idem electus potest esse ab hoc, vel illo, ut dicebamus.

Confirm. quia Deus primò, & antecedenter ad decretum permittendi peccati potuit eligere ad gloriam mille homines, v.g. ex omnibus possibilibus, & in secundo signo ordinis potuit decernere permissionem peccati, & electorum nativitatem ex his, vel illis parentibus; ergo id ita contigisse putandum est propter auctoritatem Patrum, maximè Augustini, & Gregorii. Prob. ant. Nam in hoc non potest afferri ulla repugnantia. Conf. etiam patet. Nam illi SS. PP. faciunt probabilitatem magnam, quando nihil habetur contrarium ex Scriptura, vel traditione, aut Conciliis, imò neque ex ratione convenienti.

Hæc à fortiori vera sunt in sententia de prædestinatione efficaci, & absoluta ex imprævisis meritis, in quam inclinat Doctor, ut vidimus aliàs.

Objicies 1. contra 1. partem. In omni statu debet manifestari gratuita Dei liberalitas, & justitia; sed hæc non apparerent in statu innocentiæ; nisi Deus aliquos elegisset ad gloriam, & alios reprobasset ad pęnam propter peccata, ergo ita factum est; ergo nascituri erant iidem tam reprobi, quàm electi.

Resp. neg. min. Nam longè magis commendaretur Dei gratia, quòd omnes elegisset ad gloriam, & nullos reprobasset positivè, aut negative. Sic enim liberalitas ad omnes se extenderet, & nullum præteriret. Ad justitiam autem commendandam sufficiebat comminatio mortis contra prævaricantes.

Objic. 2. In eo statu debet præsumi pro majori libertate arbitrii cum ejus dependentia ab auxilio gratiæ; sed hæc magis apparent, si aliqui potuissent peccare, & perire, quàm si omnes salvarentur, quia id imputaretur alicui determinationi ad bonum, & impossibilitati peccandi; ergo satiùs est dicere, aliquos futuros reprobos.

Resp. neg. min. Nec enim minùs potuissent peccare, nec

nec minùs liberè illi cooperati fuissent gratiæ in suis bonis operibus, quamvis de facto nulli fuissent peccaturi, ut de facto contingit his, qui benè operantur, & perseverant in bono.

Objic. 3. Providentia Dei non debuit esse alia in homines pro statu innocentiæ, quàm in Angelos; sed pro Angelis alios elegit, qui steterunt, & alios reprobavit, qui ceciderunt; ergo ita esset de hominibus.

Resp. neg. maj. Quid enim cogebat Deum sic disponere de hominibus stante illorum Protoparente, sicut de Angelis? Homines omnes ab uno erant descensuri, cujus merito, & intuitu potuisset velle omnibus gloriam; Angeli verò non originabantur ab invicem, & stantes nihil participabant à cadentibus, vel isti ab illis.

Objic. 4. Videtur D. Paulus docere, quòd nunc plures sunt prædestinati ex meritis Christi, quàm fuissent in statu innocentiæ; ergo &c. Prob. ant. Nam merita Christi longè excedunt merita futura hominum, & demerita. Nam [1] ***ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia***, sic plura acquisivimus per Christum, quàm perdideramus per Adam; & per peccatum; ergo plures nunc sunt electi, quàm tunc fuissent.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam ex Apostoli dicto sequitur tantùm, quòd satisfactio Christi fuit copiosa, & superabundans, & gratię in aliquibus copiosiores, de multitudine autem electorum majori aut minori, ne quidem ibi cogitat Paulus. Adde, quod etiam Adamo non peccante putamus Christum venturum. Et sic corruit fundamentum objectionis.

Objic. con. 2. p. Determinatio individuorum petitur ex concurrentia causarum, & circumstantiarum loci, & temporis juxta illud, ***Forma, figura locus stirps, nomen, patria, tempus***; sed hæc omnia mutata sunt post peccatum; ergo & alii homines nascuntur, quàm nascerentur, & alii electi.

Resp. ex dictis aliis, dist. maj. Determinatio extrinseca, conc. intrinseca, neg. maj. Nam individuatio intrinseca petitur ex propria entitate rei, nec ulla res est, quæ eadem numero non posset esse ab aliis causis, & in aliis temporibus, &c.

[1] *Rom. 5.*

Objic. 2. Multi jam electi nascuntur ex reprobis, & multi convertuntur, & sanctificantur; sed tunc nulli fuissent reprobi occasione peccatorum, nec peccatores; ergo neque isti iidem electi.

Resp.dist.conseq. Neque iidem quoad parentes, & occasiones conversionis, conc. iidem absolutè, & individualiter,neg. conf. Etenim, ut dicebamus, singularitas absoluta, & intrinseca non pendet ab illis circumstantiis extrinsecis. Electi in statu innocentiæ essent individualiter iidem, licèt sanctificarentur aliter, & nascerentur ab aliis electis.

QUÆSTIO VIII.

De propagatione generis humani in statu innocentiæ, ubi alia circa hęc dubiola breviter expediuntur.

CErtum est, homines etiam durante innocentia forè multiplicandos. Jusserat enim Deus, *Crescite, & multiplicamini*, &c. Sed aliqui putarunt, id fiendum sine copulà carnali, quam statum illum dedecere putarunt. Ideò putat Damascenus, *hominum à se ipsis propagationem, & successionem ex condemnatione ad mortem propter transgressionem contigisse*. De hoc procedit præsens quæstio, cui adjicimus quædam alia dubiola, v.g. quales corpore, & animo nascerentur filii, an mares, & fœminæ, an tot mares, quot fœminæ, an omnes forent fœcundi, an tunc virginitas fuisset licita, an præferenda matrimonio, &c.

CONCLUSIO I.

S*Tante innocentia fuisset vera, & naturalis filiorum generatio per conjunctionem maris,& fœminæ.* Est communissima.

Prob. ex Scoto, [1] qui semper id docet, & supponit, ut cùm dicit, quòd, *si ponamus filios procreare de semine, quod est superfluum alimenti, idem alimentum in numero, quod etiam potuit esse in utroque statu* (sc. innocentiæ, & peccati) *posset transmutari ad eandem formam ab alio agente... Et sic qui modò est filius* reprobi,

[1] *ibid. q.2.c.3.*

reprobi, potuit fuisse filius electi. Item docet, quòd ibi esset matrimonium, & quòd *maritus, qui diu vixisset, accepisset aliam uxorem sua mortua. Tamen quia secundæ nuptiæ non sunt multùm laudabiles nunc; multò minus tunc*, &c. ergo censet, aut supponit, generationem in eo statu fore naturalem, qualis nunc est.

Prob. 2. ex Scriptura. Dicit enim Deus post formatam mulierem, quia *non erat bonum hominem esse solum, crescite, & multiplicamini*, &c. Et ipse Adam dixit, *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, et adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, sc. in una prole ex duobus parentibus genita, & ideò etiam *masculum et fœminam creavit eos*. Alioqui enim fortè id non fuisset necessarium.

Prob. 3. ex Patribus, *Neque enim etiamsi natura humana primorum hominum peccato vitiata non esset, possent filii, nisi de corporum commixtione generari*, ait August. [1] Et alibi, [2] *Essent autem proculdubio nuptiæ etiam non præcedente peccato, quia neque ob aliam causam viro adiutorium non alius vir, sed fœmina facta est. Et illa Dei verba*, Crescite, & multiplicamini, *non est damnandorum prædictio, sed fœcundarum benedictio nuptiarum.*

Prob. 4. tum quia virtus generativa est perfectio naturæ, non vitium ex peccato. *Spectat ad completionem naturæ usus veræ generationis, ad complementum, & perfectionem civitatis supernæ .... ergo ponendum est, quòd homo in statu innocentiæ generare poterat, & genuisset*, inquit Doctor Seraph. [3] Tum quia virtus generativa inerat illis, nec inerat frustra; ergo, &c.

Objic. 1. Plures SS. PP. contrarium docent, ut Greg. Nyssen. Damascenus; Chrysost. Eutymius, &c. ergo non est asserenda in eo statu talis generatio.

Resp. dist. ant. Negarunt generationem cum illo excessu, & deordinatione, & æstu concupiscentiæ, quo fiunt in natura lapsa, conc. absolutè, neg. ant. & cons. *Absit, ut opinemur, tales futuras fuisse nuptias in Paradiso, ut in eis non natura voluntatis sicut pes ad ambulandum .. sed æstu libidinis membra moverentur*, &c. ait idem Augustinus. [4]

[1] 4. *con. Jul.* 4. [2] *De pecc. orig. q.* 35. *et* 36. [3] 2. *d.*20.*a.*1.*q.* 1. [4] *ibid.*

Objicies 2. In statu innocentiæ nulla fieret turpitudo, & copula dedecebat puritatem status illius; ergo non erat ibi futura generatio ex copula carnali. Ant. patet. Nam ille status respondebat statui beatitudinis cœlestis, in quo Beati neque nubent, neque nubentur.

Respondeo neg. conf. Nam turpitudo, quæ nunc est in copula carnali, venit ex inordinato concupiscentiæ motu, & æstu, quæ sunt ex peccato, & ideò pudenda, sed caro perfectè obediisset voluntati, & rationi, & istæ Deo firmiter adhæsissent, Et, ut loquitur Augustinus; [1] *non sicut nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos fœtus vi turbidi vitiaretur ardoris, sed obsequeretur imperio tranquillissimæ charitatis*.

Objicies 3. Non potuisset fieri naturalis generatio, sine seminis effusione & sine corruptione; sed hæc indigna fuissent illi statui; ergo &c. Prob. min. tum quia, ex Scoto, semen est superfluum nutrimenti, ibi autem non esset superfluitas; tum quia omnis corruptio repugnat integritati, & immortalitati; ergo &c.

Resp. neg. min. Nam præcisa deordinatione, quæ nunc tales actus comitatur, non magis dedeceret illum statum illa effusio, vel excisio, quàm quævis alia actio voluntaria, nec illa superfluitas cibi, ex qua fieret semen, esset vitium, sed perfectio in natura, & quidem necessaria in eum finem, sicut & ipsa facultas generativa, aut quævis alia. Vide August. cit. & alibi.

CONCLUSIO II.

F*ilii nascerentur cum infantilibus membris, & animo, quæ cum tempore crescerent tum scientia, tum viribus, tum mole*.

Prob. 1. ex Scoto. [2] Quærens .n. utrùm filii in statu innocentiæ crevissent in corpore & in scientia, respondet, *quòd fuissent primò nescii, & quòd nervi eorum non fuissent primò apti ad motum* progressivum. Dixit autem, *nescii*. Nam nomen ignorantiæ sapit privationem aliqualem, & pœnam, nescientia verò dicit puram negationem scientiæ, quæ non tam dedecebat statum illum; ergo &c.

Prob.

[1] *Ibid.* [2] *Ibid. q. 3.*

Prob. 2. quoad vires, & membra corporea, quia sinus maternus non potuisset sine miraculo compenetrationis & corroborationis tantam molem membrorum continere, nec pondus sustinere; quæ miracula non sunt asserenda gratis.

Fateor tamen, quòd potuissent nasci robustiores, quàm nunc, & cum aliquibus perfectioribus motibus, sicut & videmus in aliquibus animalibus recenter natis; sed tamen non videntur eis tribuendi perfecti omninò motus, & actiones, propter illam exiguitatem, & teneritudinem membrorum.

Prob. quoad scientiam, quia illa scientia, in qua supponerentur nasci, non posset esse nisi infusa per infusionem specierum de rebus omnibus; sed hanc infusionem non constat infantibus concedendam fore, neque ex Scriptura, vel Patribus, neque ex ratione ulla; ergo non est asserenda.

Confir. quia hæc infusio specierum tribuitur Angelis, & Adamo ab initio creationis, quia in eo statu conditi sunt, in quo poterant iis uti; at infantibus in utero, vel ab initio nativitatis, vel in pueritia, non erant sic necessariæ, vel utiles; ergo multarum rerum inscientes fuissent, quarum tractu temporis potuissent acquirere notitiam.

Dices. Licèt fortè scientias actuales non habuissent ab initio de omnibus, saltem potuissent habere habituales, seu poterant illis infundi habitus omnium scientiarum speculativarum, quibus pro tempore uti potuissent.

Contra, quia tunc etiam illi habitus fuissent eis inutiles; & sicut non infundendæ erant rerum illarum species, sed acquirendæ relinquebantur, ita est de habitibus. Et quidem eas longè faciliùs, & citiùs acquisivissent, quàm nos, tum propter meliorem indolem, & dispositionem organorum, & complexionis ad scientias aptioris, tum propter meliores magistros.

Quæres, *quid sit dicendum de habitibus virtutum moralium.*

Resp. quòd, cùm virtutes illæ majorem connexionem habeant cum dono justitiæ originalis, quod singulis concedendum erat, probabilius est, eas fore simul eis infundendas in ipso instanti conceptionis. De

quo tamen nihil certi video dicendum præter hanc conjecturam.

Objic. con. utranque partem. Status innocentiæ fuisset perfecta integritas; sed perfecta integritas nullum admittit defectum corporis, vel animi, quales sunt parvitas, & debilitas membrorum, & nescientia; ergo non fuissent nati parvi, nec debiles corpore, nec nescientes.

Resp. dist. maj. Integritas connaturalis, quæ excludat defectus pœnales, con. integritas absoluta, & innaturalis, neg. maj. & conf. Nam integritas illa membrorum in utero materno, vel statim ab initio, nec illa scientia rerum omnium, non erat naturalis illi ætati, & defectus illarum perfectionum non tollebat integritatem connaturalem, & debitam.

Inst. Mors non erat defectus major in illa integritate, quàm debilitas, & alii defectus infantiæ, & quàm nescientia; sed non debuissent mori; ergo nec esse parvi, & debiles, & nescientes.

Resp. neg. min. Non debuissent mori ex dono Dei, con. ex conditione naturæ, neg. min. fuissent quidem mortales, sed Deus præservasset eos à morte; donum verò immortalitatis potuisset eis concedi sine his aliis, quæ non essent necessaria illi statui; alioqui debuissent omnes concipi, & gestari, & nasci in virili ætate, aut creari immediatè à Deo, sicut Adam, & Heva.

Objic. 2. Infantes habuissent usum rationis; ergo & membrorum, & omnem scientiam. Non enim difficilius erat unum concedere, quàm aliud.

Resp. 1. ant. esse incertum. Nam de hoc nihil habemus in Scriptura, vel Patribus.

Resp. 2. neg. conf. Et disparitas est, quia est eadem anima in infantibus, & viris quoad substantiam, & facultates, & quòd jam in pueris non ratiocinetur, venit ex peccato, in cujus pœna anima fit dependens à sensibus in suis operationibus, quia pro hoc statu naturæ lapsæ *nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu*; non ita foret in statu innocentiæ, at infusio specierum pendebat à Deo, & usus membrorum in illa ætate non est connaturalis.

Objic. 3. ex Augustino. Infirmitas carnis infantilis est pœnalis, & ex peccato; ergo non fuisset in pueris

ris illis, quippè innocentes fuissent. Prob. ant. *Respondemus*, inquit, [1] *Adam propterea non talem creatum fuisse, quia nullius parentis præcedente peccato est creatus in carne peccati, nos ideò tales, quia illius præcedente peccato*, &c.

Resp. dist. ant. In nobis, & quoad multas miserias, & infirmitates, con. quoad omnia, & pro illis; neg. ant. & conf. prob. Nam Augustinus ibi loquitur de infirmitatibus mentis potiùs, quàm corporis, & de corporeis quasi dubitans loquitur, nec audet absolutè illas imputare peccato, & pœnæ. *Nunc autem homo sic nascitur, ut omninò non possit propter horrendam ignorantiam, atque infirmitatem, non carnis, sed mentis, cùm omnes in parvulo fateamur, non alterius, sed ejusdem substantiæ, cujus in primo homine fuit, hoc est, rationalem animam degere; quanquam etiam ipsa tanta carnis infirmitas, nescio quid, quantum arbitror, pœnale demonstrat*. Vides, eum non loqui absolutè, & resolutivè, sed opinanter, nec de tota infirmitate corporis, sed de tanta, & nescio quid pœnale, &c.

CONCLUSIO III.

Non solùm viri, sed etiam fœminæ nascerentur, & probabiliter tot fœminæ, quot viri. Est communis contra Almerium negantem in eo statu sexuum differentiam.

Prob. 1. ex Scoto citato. [2] *Si volumus dicere, quòd æqualis est numerus salvandorum virorum, sicut & mulierum, solutum est argumentum*, quo sc. d cebatur, *quòd in illo statu fuissent tot unius sexus, sicut alterius... Si salvandi viri, & mulieres non sint numero æquales, potest dici, ut videtur, non fuissent in numero æquali in statu innocentiæ*, &c. ergo pro certo tenet, tunc fore generandas fœminas, sicut & viros.

Prob. 1. par. 1. ex Scriptura. *Dicit Deus non est bonum, hominem esse solum*, &c. ite. *Masculum, & fœminam creavit eos*, &c. & *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*. 2. Quia non potuisset aliter propagari genus humanū per verā, & naturalē

[1] 1. *de peccat. mer.* 37.
[2] *Ibid. c.* 4.

generationem, ut probatum est suprà, illud fore propagandum.

Prob. 2. p. quia licèt de hoc nihil certi habeatur, tamen rationabiliter præsumitur de providentia Dei, quòd, cùm singuli viri haberent suam uxorem, nec ullus haberet duas, congruens erat, ut tot essent viri, quot mulieres. Et colligitur ex Scriptura. Dixit Deus, *Faciamus homini adjutorium simile sibi*, sc. singulis singulas, *& Masculum, & fæminam creavit eos*, sc. æqualitas significatur in sexu quoad numerum.

Confir. Nam præceptum de una uxore est juris naturalis, ut servetur justitia inter virum, & uxorem, ut sc. sit reciproca donatio totius ad totum. Ideò vir non remanet divisus inter parentes, & uxorem. *Relinquet enim patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*, sc. totus, & unicè, saltem quoad corpus. Nec unquam polygamia licuit, nisi ex aliqua dispensatione, vel potiùs tolerantia. Unde, si secundæ ipsæ nuptiæ non decent statum naturæ corruptæ, multò minùs decerent statum illum, ut notat Doctor.

Objic. 1. Vir in eo statu habuisset præcipuas partes in generatione; ergo semper genuisset mares. Nam semen viri semper intendit sibi simile.

Resp. neg. conf. & dist. rationem ejus. Sibi simile in specie, & natura, con. in sexu, neg. ant. Nam licèt vir perfectior sit femina, tamen hæc quoque intenditur directè à natura, quatenus seipsam sine fœmina conservare, & propagare non potest.

Inst. Natura semper intendit, quod est perfectius; ergo semper intendit generare virum; ergo tunc id semper consequuta esset, quia non ita aberrasset in eo statu, sicut facit nunc.

Resp. dist. ant. Perfectius in ordine ad finem suum primarium, con. absolutè, & simpliciter, neg. ant. & cons. Productio maris, & fœminæ facit ad finem conservationis, & propagationis speciei, & hic finis est primarius in omni natura.

CON-

CONCLUSIO IV.

Virginitas in statu innocentiæ fuisset in se honesta, & licita, non tamen præferenda matrimonio. Duplex dicitur virginitas, 1. mentis, quæ consistit in proposito non consentiendi ulli delectationi venereæ, 2. corporis, quæ consistit in integritate claustri, quod dicitur virginale. Utranque videtur Augustinus putasse servandam etiam in matribus stante innocentia. *Absit enim*, inquit, *ut suspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo*, ecce pro virginitate mentis æquè, ac corporis, & maximè, quia *eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo cætera, & sine ardoris illecebroso stimulo, cum tranquillitate animi, & corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris*, &c. Et addit, *tunc potuisse utero conjugis salva integritate feminei genitalis virile semen immitti, sicut nunc potest salva integritate ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti*, &c. Et pro partu, *Ut ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus feminea viscera relaxaret*, &c. Sed tamen pace sanctissimi Doctoris probabilius videtur, per conceptum, & partum amissuras mulieres virginitatem utranque, quia nec sine naturali aliqua, licèt moderata, delectatione fuisset copula, nec sine aperitione claustri fuisset partus. Hoc autem supposito.

Prob. 1. p. quia evidens est virginitatem ex objecto, & secundum se dicere aliquam honestatem, & perfectionem; ergo ex se fuisset honesta, imò & licita, non quidem ab initio, quia tunc urgebat præceptum multiplicandi speciem, & replendi terram, sed aliquando, postquam sc. sufficienter repleta fuisset terra.

Probatur 2. p. quia præceptum reddebat matrimonium præferendum, quia magis intentum à Deo, & natura ad propagationem speciei, & maximè in statu illo, in quo non nascerentur nisi prædestinati, & sancti.

Confir. quia matrimonium, quod jam habet suam bonitatem, habuisset majorem in eo statu. Nam tunc immunis fuisset ab innumeris inconvenientibus, quibus nunc subjacet; & ex hoc capite verius fuisset illud, *Non est bonum, hominem esse solum.*

Objic.con.1.p. Hæc verba Dei, *Crescite, & multiplicamini*, continebant præceptum, quòd omnes ligabat; ergo non fuisset licita virginitas.

Resp. dist. ant. Omnes ligabat pro aliquo tempore, con. pro semper, neg. ant. Nam, ut dicebamus, urgebat maximè, donec repleretur terra. Imò plures Theologi negant absolute, ant. & putant, fuisse consilium, non præceptum; alii putant, non fuisse præceptum, nisi solis primis parentibus. Doctor verò Seraphicus putat, fuisse præceptum pro omnibus.

Objicies con. 2. p. Integritas carnis major est perfectio, quàm ejus carentia; ergo & virginitas, quàm matrimonium. Prob. ant. Nam propter illam perfectionem fuit conservata Mariæ Deiparæ, tam in partu, quàm in conceptu per grande, ac singulare miraculum; ergo &c.

Resp. dist. ant. Est major perfectio, si posset stare cum fœcunditate, ut stetit in B. V. con. si non posset stare cum fœcunditate, neg. ant. & conf. prob. Nam tunc non stetisset, saltem naturaliter cum fœcunditate.

Objic. 2. Ex copula haberetur major voluptas, quàm ex ejus abstinentia; ergo virginitas, quæ abstinuisset à copula, fuisset laudabilior.

Resp. neg. conf. Nam bonum prolis, quæ haberetur ex copula, suppleret defectum talis abstinentiæ.

Quæres 1. *an aliqui fuissent steriles*.

Resp. negativè, quia sterilitas est pœna peccati, aut saltem defectus, vel in conjugatis, vel in copula, qui defectus non videntur compatibiles cum illo statu, in quo cuncta fuissent ordinatissima.

Quæres 2. *quale dominium homines essent habituri in animalia, an placuisset illa interficere*.

Resp. affirmativè, tum quia non fuit limitatum illud dominium datum homini in bestias omnes; ergo ad omnem utilitatem suam honestam potuissent eis uti sive interficiendo, sive aliter de illis disponendo.

Confir. quia videtur, quòd de facto aliqua fuerunt occisa, ut ex eorum pellibus vestimentum fieret post peccatum. Fecit enim illis Deus *tunicas pelliceas*. Igitur cùm homini fuisset utilis occisio alicujus bestiæ, fuisset etiam licita.

Queres 3. *quibus cibis nutriendi fuissent, an carnibus uterentur*.

Resp.

Resp. eos usuros fructibus omnibus terræ, & maximè Paradisi, imò & fortè licuisset aliquando usus carnium, quando utilior eis fuisset ad sanitatem conservandam, aut ad alium finem honestum.

Ratio 1. partis patet ex Scriptura, dicente Deo, *De omni ligno Paradisi comede*, & *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna.... ut sint vobis in escam*, &c.

Ratio 2. p. est, quia in casu majoris utilitatis, non video, cur non licuisset homini talis usus, quippè nulla reperitur prohibitio.

Dices. Satis colligitur prohibitio ex negatione licentiæ; & hæc limitatio; seu negatio licentiæ colligitur ex verbis citatis, quibus permittitur tantùm usus seminum, & fructuum; ergo

Resp. neg. ant. Nam ex illa limitatione negativa tantùm colligitur, ordinarios cibos fore ex illis granis, & fructibus.

Quæres 4. quod genus vitæ politicæ viguisset inter homines in eo statu. Societas, seu politia humana, alia est *domestica*, qua regitur privata domus, & familia, & viget inter patrem, & filios, uxorem, & servos, &c. Alia *civilis*, quæ viget inter plures familias in unam aliquam societatem coeuntes ob commune bonum, unde fiunt pagi, civitates, regna, &c. in quibus multæ familiæ vivunt sub eisdem legibus, & capitibus. Hi autem status subdividuntur in *Monarchicum*, in quo penes unum versatur in omnes imperium, *Aristocraticum*, in quo auctoritas versatur penes plures, eosque nobiliores, & *Democraticum*, in quo auctoritas residet penes plebejos. Hoc supposito,

Resp. 1. quòd in statu innocentiæ fuisset politia domestica, qualis inter virum, & uxorem, & inter patrem, & filios, non verò qualis inter dominum, & servos.

Ratio 1. p. est, quia illa est purè naturalis. Natura enim fert, ut vir sit caput uxoris; & ut filii obediant parentibus. Dicit enim Apostolus, quòd *vir est caput mulieris*.

Ratio 2. p. est, quia servitus est pœna peccati. Quòd enim unus alteri subjiciatur quoad vim coactivam, & despoticam, indignum est statu integritatis.

tis, & felicitatis. Et tunc primum auditum fuit nomen potestatis, & subjectionis inter homines, cùm illis fuit exprobratum peccatum. Dicitur mulieri, *Sub viri potestate eris*, cùm anteà dictum fuisset, *Adjutorium simile*. Denique homo, qui factus erat ad Dei imaginem, & similitudinem, videbatur factus ad libertatem.

Resp. 2. probabiliter fore etiam ibi aliquam politiam civilem.

Prob. 1. quia conveniens erat, ut, quandoquidem filii nascerentur nescii, & debiles, & rudes, eligerentur aliqui seniores, & doctiores, qui eos educarent, & docerent. 2. In communitate bonorum debuissent homines convenire de locis, & temporibus culturæ agrorum, & collectione, & distributione fructuum ad vitandam confusionem, & ad hæc debuissent aliqui destinari, qui ordinarent, & decernerent, & assignarent singulis opera sua, & munia, sicut in corpore naturali *non omnia membra eundem actum habent*, ait Apostolus. 3. in eo statu viguisset religio in Deum, & ideò fuissent aliqui præsidentes hujusmodi cultui Divino quoad formam, ceremonias, tempus, & locum. Fuissent etiam aliqua Sacramenta, & illorum ministri, & Sacerdotes ad tale ministerium; ergo fuisset aliqua politia civilis, sublatis inconvenientibus, quæ talem felicitatis statum dedecerent.

Dices 1. Deus non dixit, *Dominamini hominibus*, sed dixit; *Dominamini piscibus*, &c. Et prætereà dominatus hominis in bestias fundatur in dignitate imaginis Dei, quam illi contulit, *Ut præsit*, &c. Sed politia civilis non est sine superioritate, & inferioritate, & homines omnes in ea prærogativa imaginis fuissent æquales; ergo nulla fuisset ibi politia servilis.

Resp. dist. min. Non est sine superioritate civili, con. servili, neg. min. *Justi non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principiandi superbia, sed providendi misericordia; hoc naturalis ordo præscribit; ita Deus hominem condidit*, inquit August. [1]

Dices 2. Mulieri non dicitur, *Sub viri potestate eris*, nisi

[1] 19. civ. 14.

nisi post peccatum; ergo illa politia domestica non fuisset in statu innocentiæ. Prob. ant. ex Augustino. [1] *Maritum habere meruit mulieris non natura, sed culpa.*

Respondeo dist. conf. Non fuisset secundum illam omnem severitatem, aut duritiem præsentem, con. absolutè nulla fuisset, neg. conf. Maritus imperasset ex amore, & uxor ex amore item obediisset. [2] *Neque enim ante peccatum aliter fuisse decet credere, nisi ut vir mulieri dominaretur, & ad eum ipsa serviendo converteretur.*

QUÆSTIO IX.

De transmissione justitiæ originalis ab Adamo in posteros, an, & quomodo contigisset.

Certum est, quòd Adamo non peccante posteri ejus nati essent sine illo peccato, cum quo jam nascuntur, sicque nati fuissent cum illa justitia, quæ dicitur *Originalis*, quia ille fuerat à Deo constitutus caput totius posteritatis ad transmittendam in posteros innocentiam, mediante obedientia sua, vel peccatum per inobedientiam. Et hoc est de fide sic definitum in Concilio Tridentino. [3] *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum, quod est mors animæ, anathema sit.* Sed non ita certum est, qua ratione fieret illa innocentiæ transmissio.

Nam intelligi potest facta, aut fienda *physicè*, per aliquem influxum physicum, v. g. per seminalem communicationem, vel *moraliter*, sc. *meritoriè* de condigno, vel de congruo, vel *impetratoriè*, vel *imputativè*.

CON-

[1] *Gen. lit. 27.* [2] *Idem Ibid.* [3] *ss. 5. can. 2.*

CONCLUSIO.

Justitia originalis Adamo peccante transmittenda erat in posteros, non physico influxu, sed morali, & quidem meritoriè per meritum de condigno, sed ex pacto, & voluntate Divina, quæ sic statuerat cum Adamo velut capite totius generis humani, ut, si obediret præcepto Divino, Deus posteris omnibus ex eo per viam generationis naturalis descendentibus daret gratiam, & justitiam illam in ipso animationis instanti. Videtur communior, & magis patebit ex dicendis de peccato.

Prob. 1. ex Scoto quærente, [1] *Transfudisset ne Adam istam justitiam? Resp. Dico, quòd non, sed ex mera liberalitate Divina datum fuisset proli, sicut fuit datum parenti, qui, si primæ tentationi restitisset, confirmatus in illa justitia fuisset.... quia nunquam illam amisisset, nec peccasset.* Quærit deinde, *Habuisset ne filius illam per patrem, vel per merita patris, vel parentum?* Et respondet, *Dico, quòd non, quod enim congruit toti naturæ, non datur uni individuo mediante alio, vel per meritum illius. Sed singulis individuis singulæ fuissent appositæ justitiæ collatæ posteritati? Dico, quòd non oportet hoc ponere, quia sicut posset dari justitia Adæ* (& de facto data fuerat) *sine causa meritoria præcedente, sic potuit dari filio Adæ, si Adam conservasset innocentiam absque omni causa meritoria præcedente.* Tamen fatendum est, quòd obedientia ejus fuisset velut conditio, sine qua Deus non dedisset illam justitiam; & ita statuerat per pactum cum ipso initum constituendo illum caput totius generis humani.

Probatur 1. p. Nam justitia illa tam propter connexionem cum gratia sanctificante, & aliis habitibus, quàm in se, erat donum Dei purè gratuitum, & supernaturale, ut probatum est; ergo non poterat causari physicè per ullum influxum Adæ in posteros, nec per ullum debitum naturæ, alioqui jam non fuisset gratia.

Prob. 2. p. de merito. Nam, ut dicebamus ex Scoto, donum illud non daretur filiis aliter, quàm patri;

[1] 2.d.20.q.1.C.3.

patri; sed non datum erat patri ex ullo merito præcedente; ergo nec filiis daretur.

Confir. Nam gratia prima sanctificans non cadit sub meritum; ergo nec illud donum tam quoad illam primam gratiam, cum qua connectitur aliquo modo, quàm quoad se præcisè.

Confir.2. Nam soli Christo Domino tribuitur meritum condignum gratiæ pro aliis; ergo Adam non habuisset tale meritum pro toto genere humano. *Quod congruit toti naturæ, non datur uni individuo per meritum alterius*, ait Scotus cit. cùm sit uni debitum, sicut alteri, vel gratis detur, sicut & alteri, sc. singulis hominibus, sicut ipsi Adæ.

Prob. 3.p.1.quia de facto danda erat illa justitia posteris Adæ, si ipse stetisset; ergo si non daretur nec per influxum, & transfusionem physicam Adæ, nec per merita ejus, daretur liberaliter quidem à Deo, sed intuitu perseverantiæ Adæ in gratia, saltem velut conditionis statutæ ex tali pacto ... Prob. conseq. Nam certum est jam transfusionem, seu communicationem justitiæ originalis in posteros pependisse aliquo modo ab Adamo; ergo si non pendebat ab eo in ratione causæ physicæ, nec meritoriè de condigno, dependebat saltem eo sensu, ut Deus vellet, & decrevisset eam dare omnibus posteris, modò ipse stetisset in illa per obedientiam suam præceptis, quorum observantiæ illum Deus alligaverat.

Objic.1.con.1.p. Homo dicitur verè generare alium hominem; quàmvis non attingat nisi generationem, & organizationem geniti, Deus verò supplens defectum generantis creat, infundit, & unit animam corpori ejus; sed ita esset de justitia respectu posterorum Adæ, Deus illam dedisset singulis statim in ipsa animatione, & cum anima; ergo tam verè diceretur in Abelem transfusa ab Adamo, quàm verè ipsemet diceretur genuisse Abelem.

Resp. neg. min. Et disparitas est, quia corpus organizatum connaturaliter exigit animationem à Deo, ut à causa prima supplente defectum causæ secundæ; at donum gratiæ, & justitiæ originis datetur à Deo liberaliter, nec præciso pacto, exigeretur ab Abele, ex vi generationis suæ ab Adamo. Et ratio

est,

est, quia donum illud ex se est purè gratuitum, & supernaturale.

Objic. 2. con 2. p. Eodem modo Adam transmisisset per suam obedientiam suis posteris justitiam illam, quo transmisit eis suum peccatum, seu privationem ejusdem justitiæ; sed hanc transmittit demeritoriè; ergo illam justitiam transmisisset meritoriè. Prob. maj. Nam oppositorum eadem est ratio: ergo si demeritoriè communicat privationem illius justitiæ, communicasset justitiam meritoriè.

Resp. neg. maj. & dist. prob. Oppositorum eadem est ratio, si opposita habeant causam univocam, con. si non habeant causam univocam, neg. ant. & cons. Nam prima gratia illa non cadit sub meritum, benè verò sub demeritū. Ideò Adam potuit demereri hanc privationē posteris suis, non autē mereri illā gratiam.

Resp. 2. dist. eandem maj. In his, quæ pendent à causis naturalibus, & physicis, con. in his, quæ pendent ex causis liberis, neg. maj. Nam potuit Deus collationem donorum suorum supernaturalium concedere, prout placebat. Statuerat cum Adamo dare hanc justitiam singulis ejus posteris, si ipse perseverasset in illa, quam acceperat, intuitu talis perseverantiæ, sive tanquam conditionis, sive tanquam meriti; sed de via ordinaria non solet fieri, ut prima gratia detur alicui ex vi meriti alieni, & puræ creaturæ. Id enim proprium est solius Christi Domini. Ideò probabilius est, communicationem justitiæ originalis Adæ in posteros dependisse à perseverantia ejus in illa per obedientiam tanquam à conditione, sine qua Deus non volebat ulterius illam dare, & non tanquam ex merito.

Certè Deus ab initio constituerat Adam caput, & velut procuratorem totius generis humani, & pactum injerat cum eo, ut, si peccaret comedendo ex ligno scientiæ, morte moreretur ipse, & posteri ejus, seu peccatum ejus transiret ab ipso in posteros, si verò fidelis, & obediens permaneret, justitia etiam ejus communicaretur posteris. Id autem purè ex Dei beneplacito pendebat. Supposito autem pacto, Deus jam ex aliquali justitia, aut saltem ex aliqua fidelitate debuisset posteris eam gratiam conferre, sicut promiserat.

CON-

CONCLUSIO II.

Quicunque ex posteris Adæ peccasset mortaliter, sibi soli amisisset gratiam, & justitiam. Est communis.

Prob. ex dictis, quia solus Adam constitutus fuerat caput, & procurator aliorum, seu posterorum, & alii omnes peccassent, aut meruissent ut singulares personæ. Unde si ipsa Heva sola comedisset, sibi soli peccasset, & amisisset gratiam hanc. Propter eandē rationem Adam non demeruit sibi, & nobis justitiam, ut parens noster, sed ut caput nostrum.

DISPUTATIO IV.

De lapsu, & peccato Protoparentum.

Homo, qui ad Dei imaginem, & similitudinem creatus fuerat, *& paulò minùs ab Angelis minoratus, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* De tam miserabili casu hic acturi sumus, & de miseriis, quas ex illo incurrimus.

QUÆSTIO I.

De occasione peccati, seu tentatione Protoparentum.

1. Jam diximus, Protoparentes non solùm habuisse gratiam sanctificantem, sed etiam ipsos cum ea probabiliter creatos fuisse, & quòd eam amiserunt cum justitia originali, cujus privationem sibi, & posteris demeruerunt. Jam circumstantiam lamentabilis casûs inquirimus.

2. Scriptura narrat, id contigisse in Heva ministerio serpentis, & Hevæ instinctu in Adam. *Serpens,* inquit textus sacer, *erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus, qui dixit ad mulierem,* &c. sc. Dæmon usus est ministerio serpentis, & sese corpori ejus infudit per os ejus loquens cum muliere. Quærimus autem, an ità literaliter contigerit.

3. Narrat motiva, quibus usus est serpens ad suaden-

dendum prævaricationem. Dixit enim ad mulierem, *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* sic insinuans displicentiam aliquam de præcepto sibi imposito. Et respondente Heva, *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis, ne comederemus, & ne tangeremus, ne fortè moriamur*, replicat serpens, *Nequaquam moriemini ... sed aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii*, &c. & sic cupiditatem videndi lignum, & comedendi accendit in ea.

4. Certum est etiam, Deum homini graviter, & specialiter præcepisse, ne ex ligno scientiæ comederet. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis, morte morieris*. Clarus est ergo Scripturæ sensus, nec est, qui dubitet. At hoc quidem præceperat Deus, non quòd fructus ille malus esset de se, quia *cuncta, quæ Deus fecerat, erant valdè bona*, sed ut ejus probaret obedientiam, & suum dominium, inquiunt SS. Patres. Et denique illud præceptum fiebat immediatè ipsi Adamo cum pacto, ut, si comederet, ipse, & posteri ejus omnes per viam naturalis propagationis descendentes incurrerent mortem tam animæ, quàm corporis; quod non accidisset pro aliis, si sola Heva comedisset. Hoc constat ex illo loco Scripturæ, [1] *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, &c. *per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi*, &c.

CONCLUSIO I.

Verè Dæmon serpente usus est ad tentandum, & per os ejus loquutus est. Est communis.

Prob. 1. ex textu allato, qui est historicus, & ideò literaliter accipiendus. Nam licèt Moyses de solo serpente loquatur, & non de Diabolo, id fecit ex industria, ne hominibus rudioribus, & ad idololatriam facilibus in eam labendi occasionem daret, si loqueretur de Spiritibus illis. Ideò ne quidem de Angelorum creatione ibi mentionem fecit. *Si quæris, cur non undè hoc Deus* (per Moysem) *tunc est lo-* quu-

[1] Rom. 5.

quutus? ait Anastasius Sinaita [1] *sed pro Diabolo serpentem nominavit; apertè disce, quòd cum mala, & libidinosa gente loquens, noluit aperire Israeli, neque quæ ad Angelos spectant, neque quæ ad Satanam, qui conculcavit Hevam, ne eum colerent*, &c.

Confir. ex Augustino. [2] *Diabolus in serpente loquutus est utens eo velut organo, movensque eius naturā eo modo, quo movere ille et illa moveri potuit ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per quę mulier suadentis intelligeret voluntatem*, &c.

Prob. 2. quia in eo statu Dæmon non poterat tentare hominem suggestione purè interna movēdo, & alterando imaginationem, seu phantasiam; ergo debuit tentare in aliqua specie, & per signa externa. Ant. patet, quia tales alterationes non decebant statum illum, neque rectitudinem justitiæ originalis, quia hæc faciebat, ut pars inferior, seu concupiscentia non insurgeret contra rationem.

Confir. Specialiter de Dæmone. Nam dicitur, [3] *Invidiā Diaboli mors intravit in orbem terrarum*; ergo ille fuit primus auctor peccati per suggestionem illam. Et Augustinus citatus, *Diabolus colubrum in Paradiso corporali, animal sc. lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, & operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit*, &c.

Objic. cum Cajetano, qui putat hunc serpentem non fuisse verum animal, sed metaphoricè, & revera ipsum Dæmonem, qui sic per internam suggestionem loquutus est Hevæ, ergo &c. Prob. ant. Nam multa dicuntur hìc de serpente illo, quæ de reali, & vero animali non possunt intelligi; ergo metaphoricè tantùm capienda sunt. Prob. ant. Nam dicitur, quòd *serpens erat callidior cunctis animantibus*, quòd serpens ille loquebatur, &, Heva non fuit territa audiens, animal illud ratiocinari, &c.

Resp. neg. ant. 1. & 2. & cons. 3. Nam 1. re vera serpens dicitur ab ipso Christo Symbolum prudentiæ, cùm jubet, *Estote prudentes sicut serpentes*. 2. potuit loqui opera Dæmonis, vel Dæmon formare voces per ipsum, ut de facto fiebat. 3. quòd Heva non fuerit territa audiens illum loquentem, aut sermocinantem,

[1] 16. *Exam.* [2] 24. *civ.* 21. 11. *Ge. lit.* 17. [3] *Sap.* 1.

tem, potuit, non reflectere supra miraculum, & novitatem rei præ nimia attentione ad rem, quam proponebat, & ex aliqua levitate naturali; quod non probabunt, qui putant, eam non potuisse primò peccare venialiter, sed apud nos id verè dici potest.

Inst. Ipse Diabolus sæpius in Scriptura vocatur *serpens draco*, &c. & tamen id non dicitur, nisi metaphoricè; ergo ita in hoc loco.

Resp. neg. conf. Nam in illis aliis locis nulla est ratio cogens ad sensum literalem, sicut hic, ut patet legentibus.

CONCLUSIO II.

DUobus præcipuis ex motivis inductus est Dæmon ad tentandum hominem, sc. ex superbia & invidia.

Prob. 1. ex Scriptura citata. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Sc. invidebat homini statum gratiæ, à quo ipse exciderat, invidebat etiam rationem imaginis, & ut putant aliqui, honorem ex Incarnatione Verbi, & assumptione hypostatica naturæ humanæ homini conferendum. Imò ex hac invidia putant aliqui, Dæmonem ipsum peccasse, & de cœlo cecidisse, quòd inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porrò ait August. [1] *Hæc invidia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi est superbia*, &c. Anastasius Sinaita cit. dicit, *Diabolum prætendisse imperium in hæc omnia inferiora*; & ideò exarsit in hominem, cui audivit hoc imperium concessum a Deo dicente, *Faciamus hominem ad imaginem nostram, ut præsit*, &c. & *Dominamini piscibus maris*, &c. *Postquam autem* (ait Anastas.) *productum Adamum vidit, & à Deo collatum terrenarum rerum omnium dominatum, ægrè ferens hoc, & invidens homini, decepit ipsum.* Idem docent Tertullianus, Prudentius; & alii Patres.

S. Ambros. dicit, *Diabolum invidisse homini statum gratiæ, & spem gloriæ, quam amiserat. Hoc est ergo, quod invidet dicens, ille inferior adipiscetur, quod ego servare non potui? de terrenis migrabit in cælũ,*

cùm

[1] 11. *Gen. lit.* 14.

cùm ego lapsus de cælo in terram sim? Idem docent SS. Gregor. & August.

Objic. 1. Invidia non est, nisi de bono, quod desideratur, & potest haberi; sed nullum horum desiderare, nec habere poterat Dæmon; ergo nec invidebat. Prob. min. Nam in statu damnationis non est desiderium verum gratiæ, nec gloriæ, nec benefaciendi ad eam merendam, nec spes evadendi pœnas; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam invidia est dolor de bono alterius, quem nolumus nobis æquari, vel superiorem fieri, homo autem tunc felicior erat, & in statu merendi majora.

Resp. 2. neg. etiam min. Nam Dæmon retinet inclinationem innatam ad bona gratiæ, & gloriæ, & illa sufficit ad odium, quòd illa bona possint haberi ab alio.

Objic. 2. Non invidemus, nisi superioribus, & maximè ex superbia; sed homo erat inferior natura ipsi Diabolo; ergo hic illi non poterat invidere ex superbia.

Resp. dist. min. Erat inferior tunc in natura, con. in conditione status, & donis supernaturalibus, neg. min. & cons. Homo erat in statu viæ ad gloriam, & cum donis supernaturalibus gratiæ, ac justitiæ, & ad imaginem, & similitudinem Dei factus, quæ ipse non habebat.

Inst. Non invidemus alteri bonum, nisi quatenùs nobis aliquo modo est malum, v. g. quod derogat bonis nostris, sed nihil tale poterat videre Dæmon in homine; ergo &c. Prob. min. Nam illa hominis felicitas nihil derogabat Dæmonis naturalibus bonis, & hominis depressio nihil eum juvabat.

Resp. dist. maj. Quod nobis aliquo modo est malum saltem ex malitiæ, aut superbiæ excæcatione, & depravatione judicii, con. absolutè, & à parte rei, neg. maj. Tanta est ergo malitiæ, & superbiæ excæcatio, & depravatio, ut suum damnum, & confusionem, & depressionem existimet hominis felicitatem, & gloriam.

Quæres 1 *cujus generis, aut speciei fuerit ille serpens.*

Resp. incertum id esse, quia nihil de hoc habemus ex Scriptura, vel traditione.

Quæres 2. *cur potiùs Dæmon usus sit serpente, quàm alio animali.*

Resp.

Resp. cum Augustino, [1] id factum ex Divino permissu. *Non debemus opinari, quòd serpentem, per quem tentaret, persuaderetque peccatum, sibi elegerit.... non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissum est....* & hoc *alta, abditaque justitia.*

Aliqui dicunt, voluisse Deum id fieri per vilissimum animal, ut inde magis homo confunderetur, se ab eo victum, & ei facilior esset victoria, quàm si à nobiliori creatura tentaretur. 2. alii, ut inde magis appareret abjectio, & vilitas Dæmonis, sc. ex instrumenti vilitate. 3. alii, ut ex serpentis astutia, & tortuositate flexuum Heva suspicaretur fraudem tentatoris. 4. alii, ut ex deformitate ejusdem fieret Hevà minùs excusabilis, quòd tam fœdæ bestiæ crediderat, &c.

Queres 3. *cur ergo Heva nõ exhorruerit illud animal.*

Resp. Quòd licèt debuerit contemnere, non tamen horrere, vel odisse, quia tunc nullum animal erat nocivum, nec inimicum. Et fortè Dæmon ut faciliùs per illud vinceret, curaverat, ut serpens sæpiùs coram Heva moveretur, & suis flexibus blandiretur, & familiarior fieret, illique mulier assuesceret.

Quæres 4. *Quomodò serpens accesserit ad Hevam, et ubi, an extra, vel intra Paradisum.*

Resp. probabiliùs accessisse in Paradiso. Nam ex Scripturæ textu coniicimus valdè rationabiliter, colloquium, & tentationem contigisse propè arborem scientiæ, quæ erat in medio Paradisi. Dicitur enim, quòd audito serpente dicente, *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis, eritis sicut Dii*, &c. statim oculos in arborem vertit, & *vidit mulier lignum, quod esset bonum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile,* & *tulit de fructu ejus*. Certè si fuisset vel extra, vel in extremitate Paradisi, & serpens loqueretur ab extra, non tam citò diceretur vidisse lignum, & tulisse. Nam spatiosus erat valdè locus ille.

Dices cum Ruperto, quòd *erat Paradisus propria hominis habitatio.... si serpentibus communis erat, sequitur, ut et lupis, et leonibus, cæterisque bestiis non caruerit ille locus deliciaru..non igitur serpens, præsertim à Diabolo possessus in Paradiso fuit, sed mulier corpore,* et

[1] 11. *Gen. litt.*

& vultu vaga dum incontinenter deambulat fortè prospectans, qualis extra Paradisum mundus esset, & dum serpens utpotè astutus dulcedini terræ illius propiùs, & ambitiosiùs inhiat, locus Diabolo datus est, & occasio, unde tentaret Hevam: ergo extra Paradisum erat serpens tentator.

Resp. pace tanti viri, conjecturas esse leves, quia, cum bestiæ tunc essent familiares, & amicæ, & obsequentes homini, non infestassent, sed ornassent Paradisum, & auxissent amœnitatem, & decorem, & delicias ejus præ varietate, & obsequio; igitur nihil vetabat, quin ingrederentur locum, & conjectura nostra meliùs fundatur in textu Scripturæ, ut patet. Ideòque sic dubio isti respondent alii Theologi, & Patres communiter.

Queres 5. *quomodò illi colloquio serpentis non adesset Adam.*

Resp. quia tunc Heva ex levitate, & curiositate muliebri excurrebat per hortum, & ab Adam recesserat, qui alibi detinebatur in contemplatione operum Dei. Hinc discant mulieres, quàm periculosum sit à viris suis discedere, & sine illis divagari, cùm ista longè perfectior inde lapsa fuerit adeò miserè. Volunt videri, & videre, & inde colloquia cum serpentibus, seu tentatoribus, & labuntur tandem.

Quæres 6. *cur Deus permiserit, Protoparentes tentari, quos prævidebat vincendos.*

Resp. quia *per tentationem probatur, & exercetur virtus*, inquit Augustinus, *& est palma gloriosior non consensisse tentatum, quàm non potuisse tentari.* Nec debebat homo præmiari, & coronari sine victoria, nec vincere sine pugna, & tentatione; sufficiebat Dei misericordiæ, quòd illum armaset ad pugnam sic, ut potuisset vincere, si voluisset, & post victoriam coronari per confirmationem in gratia, & aliquando per immortalitatem, & translationem in Cœlum.

CONCLUSIO.

Justitia originalis Adamo peccante transmittenda erat in posteros, non physico influxu, sed morali, & quidem meritoriè per meritum de condigno, sed ex pacto, & voluntate Divina, quæ sic statuerat cum Adamo velut capite totius generis humani, ut, si obediret præcepto Divino, Deus posteris omnibus ex eo per viam generationis naturalis descendentibus daret gratiam, & justitiam illam in ipso animationis instanti. Videtur communior, & magis patebit ex dicendis de peccato.

Prob. 1. ex Scoto quærente, [1] *Transfudisset ne Adam istam justitiam? Resp. Dico, quòd non, sed ex mera liberalitate Divina datum fuisset proli; sicut fuit datum parenti, qui, si primæ tentationi restitisset, confirmatus in illa justitia fuisset, . . . quia nunquam illam amisisset, nec peccasset.* Quærit deinde, *Habuisset ne filius illam per patrem, vel per merita patris, vel parentum?* Et respondet, *Dico, quòd non*, quod *enim congruit toti naturæ, non datur uni individuo mediante alis, vel per meritum illius. Sed singulis individuis singulæ fuissent appositæ justitiæ collatæ posteritati? Dico, quòd non oportet hoc ponere, quia sicut posset dari justitia Adæ* (& de facto data fuerat) *sine causa meritoria præcedente, sic potuit dari filio Adæ, si Adam conservasset innocentiam absque omni causa meritoria præcedente.* Tamen fatendum est, quòd obedientia ejus fuisset velut conditio, sine qua Deus non dedisset illam justitiam; & ita statuerat per pactum cum ipso initum constituendo illum caput totius generis humani.

Probatur 1. p. Nam justitia illa tam propter connexionem cum gratia sanctificante, & aliis habitibus, quàm in se, erat donum Dei purè gratuitum, & supernaturale, ut probatum est; ergo non poterat causari physicè per ullum influxum Adæ in posteros, nec per ullum debitum naturæ, alioqui jam non fuisset gratia.

Prob. 2. p. de merito. Nam, ut dicebamus ex Scoto, donum illud non daretur filiis aliter, quàm patri;

[1] 2. d. 20. q. 1. C. 5.

patri; sed non datum erat patri ex ullo merito præcedente; ergo nec filiis daretur.

Confir. Nam gratia prima sanctificans non cadit sub meritum; ergo nec illud donum tam quoad illam primam gratiam, cum qua connectitur aliquo modo, quàm quoad se præcisè.

Confir.2. Nam soli Christo Domino tribuitur meritum condignum gratiæ pro aliis; ergo Adam non habuisset tale meritum pro toto genere humano. *Quod congruit toti naturæ, non datur uni individuo per meritum alterius*, ait Scotus cit. cùm sit uni debitum, sicut alteri, vel gratis detur, sicut & alteri, sc. singulis hominibus, sicut ipsi Adæ.

Prob. 3.p.1.quia de facto danda erat illa justitia posteris Adæ, si ipse stetisset; ergo si non daretur nec per influxum, & transfusionem physicam Adæ, nec per merita ejus, daretur liberaliter quidem à Deo, sed intuitu perseverantiæ Adæ in gratia, saltem velut conditionis statutæ ex tali pacto ... Prob. conseq. Nam certum est jam transfusionem, seu communicationem justitiæ originalis in posteros pependisse aliquo modo ab Adamo; ergo si non pendebat ab eo in ratione causæ physicæ, nec meritoriè de condigno, dependebat saltem eo sensu, ut Deus vellet, & decrevisset eam dare omnibus posteris, modò ipse stetisset in illa per obedientiam suam præceptis, quorum observantiæ illum Deus alligaverat.

Objic.1.con.1.p. Homo dicitur verè generare alium hominem; quàmvis non attingat nisi generationem, & organizationem geniti, Deus verò supplens defectum generantis creat, infundit, & unit animam corpori ejus; sed ita esset de justitia respectu posterorum Adæ, Deus illam dedisset singulis statim in ipsa animatione, & cum anima; ergo tam verè diceretur in Abelem transfusa ab Adamo, quàm verè ipsemet diceretur genuisse Abelem.

Resp. neg. min. Et disparitas est, quia corpus organizatum connaturaliter exigit animationem à Deo, ut à causa prima supplente defectum causæ secundæ; at donum gratiæ, & justitiæ originis datetur à Deo liberaliter, nec præciso pacto, exigeretur ab Abele, ex vi generationis suæ ab Adamo. Et ratio est,

est, quia donum illud ex se est purè gratuitum, & supernaturale.

Objic. 2. con 2. p. Eodem modo Adam transmisisset per suam obedientiam suis posteris justitiam illam, quo transmisit eis suum peccatum, seu privationem ejusdem justitiæ; sed hanc transmittit demeritoriè; ergo illam justitiam transmisisset meritoriè. Prob. maj. Nam oppositorum eadem est ratio: ergo si demeritoriè communicat privationem illius justitiæ, communicasset justitiam meritoriè.

Resp. neg. maj. & dist. prob. Oppositorum eadem est ratio, si opposita habeant causam univocam, con. si non habeant causam univocam, neg. ant. & cons. Nam prima gratia illa non cadit sub meritum, benè verò sub demeritū. Ideò Adam potuit demereri hanc privationē posteris suis, non autē mereri illā gratiam.

Resp. 2. dist. eandem maj. In his, quæ pendent à causis naturalibus, & physicis, con. in his, quæ pendent ex causis liberis, neg. maj. Nam potuit Deus collationem donorum suorum supernaturalium concedere, prout placebat. Statuerat cum Adamo dare hanc justitiam singulis ejus posteris, si ipse perseverasset in illa, quam acceperat, intuitu talis perseverantiæ, sive tanquam conditionis, sive tanquam meriti; sed de via ordinaria non solet fieri, ut prima gratia detur alicui ex vi meriti alieni, & puræ creaturæ. Id enim proprium est solius Christi Domini. Ideò probabilius est, communicationem justitiæ originalis Adæ in posteros dependisse à perseverantia ejus in illa per obedientiam tanquam à conditione, sine qua Deus non volebat ulterius illam dare, & non tanquam ex merito.

Certè Deus ab initio constituerat Adam caput, & velut procuratorem totius generis humani, & pactum inierat cum eo, ut, si peccaret comedendo ex ligno scientiæ, morte moreretur ipse; & posteri ejus, seu peccatum ejus transiret ab ipso in posteros, si verò fidelis, & obediens permaneret, justitia etiam ejus communicaretur posteris. Id autem purè ex Dei beneplacito pendebat. Supposito autem pacto, Deus jam ex aliquali justitia, aut saltem ex aliqua fidelitate debuisset posteris eam gratiam conferre, sicut promiserat.

CON-

CONCLUSIO II.

Quicunque ex posteris Adæ peccasset mortaliter, sibi soli amisisset gratiam, & justitiam. Est communis.

Prob. ex dictis, quia solus Adam constitutus fuerat caput, & procurator aliorum, seu posterorum, & alii omnes peccassent, aut meruissent ut singulares personæ. Unde si ipsa Heva sola comedisset, sibi soli peccasset, & amisisset gratiam hanc. Propter eandē rationem Adam non demeruit sibi, & nobis justitiam, ut parens noster, sed ut caput nostrum.

DISPUTATIO IV.

De lapsu, & peccato Protoparentum.

Homo, qui ad Dei imaginem, & similitudinem creatus fuerat, *& paulò minùs ab Angelis minoratus, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* De tam miserabili casu hic acturi sumus, & de miseriis, quas ex illo incurrimus.

QUÆSTIO I.

De occasione peccati, seu tentatione Protoparentum.

1. Jam diximus, Protoparentes non solùm habuisse gratiam sanctificantem, sed etiam ipsos cum ea probabiliter creatos fuisse, & quòd eam amiserunt cum justitia originali, cujus privationem sibi, & posteris demeruerunt. Jam circumstantiam lamentabilis casûs inquirimus.

2. Scriptura narrat, id contigisse in Heva ministerio serpentis, & Hevæ instinctu in Adam. *Serpens*, inquit textus sacer, *erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus, qui dixit ad mulierem*, &c. sc. Dæmon usus est ministerio serpentis, & sese corpori ejus infudit per os ejus loquens cum muliere. Quærimus autem, an ità literaliter contigerit.

3. Narrat motiva, quibus usus est serpens ad suaden-

dendum prævaricationem. Dixit enim ad mulierem, *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* sic insinuans displicentiam aliquam de præcepto sibi imposito. Et respondente Heva, *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis, ne comederemus, & ne tangeremus, ne fortè moriamur*, replicat serpens, *Nequaquam moriemini ... sed aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii*, &c. & sic cupiditatem videndi lignum, & comedendi accendit in ea.

4. Certum est etiam, Deum homini graviter, & specialiter præcep isse, ne ex ligno scientiæ comederet. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis, morte morieris.* Clarus est ergo Scripturæ sensus, nec est, qui dubitet. At hoc quidem præceperat Deus, non quòd fructus ille malus esset de se, quia *cuncta, quæ Deus fecerat, erant valdè bona*, sed ut ejus probaret obedientiam, & suum dominium, inquiunt SS. Patres. Et denique illud præceptum fiebat immediatè ipsi Adamo cum pacto, ut, si comederet, ipse, & posteri ejus omnes per viam naturalis propagationis descendentes incurrerent mortem tam animæ, quàm corporis; quod non accidisset pro aliis, si sola Heva comedisset. Hoc constat ex illo loco Scripturæ, [1] *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, &c. *per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi*, &c.

CONCLUSIO I.

Verè Dæmon serpente usus est ad tentandum, & per os ejus loquutus est. Est communis.

Prob. 1. ex textu allato, qui est historicus, & ideò literaliter accipiendus. Nam licèt Moyses de solo serpente loquatur, & non de Diabolo, id fecit ex industria, ne hominibus rudioribus, & ad idololatriam facilibus in eam labendi occasionem daret, si loqueretur de Spiritibus illis. Ideò ne quidem de Angelorum creatione ibi mentionem fecit. *Si quæris, cur non nudè hoc Deus* (per Moysem) *tunc est lo-*

qun-

[1] Rom. 5.

quutus? ait Anastasius Sinaita [1] *sed pro Diabolo serpentem nominavit; apertè disce, quòd cum mala, & libidinosa gente loquens, noluit aperire Israeli, neque quæ ad Angelos spectant, neque quæ ad Satanam, qui conculcavit Hevam, ne eum colerent*, &c.

Confir. ex Augustino. [2] *Diabolus in serpente loquutus est utens eo velut organo, movensque ejus naturã eo modo, quo movere ille et illa moveri potuit ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per quę mulier suadentis intelligeret voluntatem*, &c.

Prob. 2. quia in eo statu Dæmon non poterat tentare hominem suggestione purè interna movendo, & alterando imaginationem, seu phantasiam; ergo debuit tentare in aliqua specie, & per signa externa. Ant. patet, quia tales alterationes non decebant statum illum, neque rectitudinem justitiæ originalis, quia hæc faciebat, ut pars inferior, seu concupiscentia non insurgeret contra rationem.

Confir. Specialiter de Dæmone. Nam dicitur, [3] *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*; ergo ille fuit primus auctor peccati per suggestionem illam. Et Augustinus citatus, *Diabolus colubrum in Paradiso corporali, animal sc. lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, & operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit*, &c.

Objic. cum Cajetano, qui putat hunc serpentem non fuisse verum animal, sed metaphoricè, & revera ipsum Dæmonem, qui sic per internam suggestionem loquutus est Hevæ, ergo &c. Prob. ant. Nam multa dicuntur hìc de serpente illo, quæ de reali, & vero animali non possunt intelligi; ergo metaphoricè tantùm capienda sunt. Prob. ant. Nam dicitur, quòd *serpens erat callidior cunctis animantibus*, quòd serpens ille loquebatur, &, Heva non fuit territa audiens, animal illud ratiocinari, &c.

Resp. neg. ant. 1. & 2. & conf. 3. Nam 1. re vera serpens dicitur ab ipso Christo Symbolum prudentiæ, cùm jubet, *Estote prudentes sicut serpentes*. 2. potuit loqui opera Dæmonis, vel Dæmon formare voces per ipsum, ut de facto fiebat. 3. quòd Heva non fuerit territa audiens illum loquentem, aut sermocinantem,

[1] 16. *Exam.* [2] 24.*civ.*21.11.*Ge.lit.*17. [3] *Sap.*1.

tem, potuit, non reflectere supra miraculum, & novitatem rei præ nimia attentione ad rem, quam proponebat, & ex aliqua levitate naturali; quod non probabunt, qui putant, eam non potuisse primò peccare venialiter, sed apud nos id verè dici potest.

Inst. Ipse Diabolus sæpius in Scriptura vocatur *serpens draco*, &c. & tamen id non dicitur, nisi metaphoricè; ergo ita in hoc loco.

Resp. neg. conf. Nam in illis aliis locis nulla est ratio cogens ad sensum literalem, sicut hìc, ut patet legentibus.

CONCLUSIO II.

Duobus præcipuis ex motivis inductus est Dæmon ad tentandum hominem, sc. ex superbia & invidia.

Prob. 1. ex Scriptura citata. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Sc. invidebat homini statum gratię, à quo ipse exciderat, invidebat etiam rationem imaginis, & ut putant aliqui, honorem ex Incarnatione Verbi, & assumptione hypostatica naturæ humanæ homini conferendum. Imò ex hac invidia putant aliqui, Dæmonem ipsum peccasse, & de cœlo cecidisse, quòd inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porrò ait August. [1] *Hæc invidia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi est superbia*, &c. Anastasius Sinaita cit. dicit, *Diabolum prætendisse imperium in hæc omnia inferiora;* & ideò exarsit in hominem, cui audivit hoc imperium concessum a Deo dicente, *Faciamus hominem ad imaginem nostram, ut præsit*, &c. & *Dominamini piscibus maris*, &c. *Postquam autem* (ait Anastas.) *productum Adamum vidit, & à Deo collatum terrenarum rerum omnium dominatum, ægrè ferens hoc, & invidens homini, decepit ipsum.* Idem docent Tertullianus, Prudentius; & alii Patres.

S. Ambros. dicit, *Diabolum invidisse homini statum gratiæ, & spem gloriæ, quam amiserat. Hoc est ergo, quod invidet dicens, ille inferior adipiscetur, quod ego servare non potui; de terrenis migrabit in cęlū,*

cum

[1] 11. Gen. lit. 14.

cùm ego lapsus de cœlo in terram sim? Idem docent SS. Gregor. & August.

Objic. 1. Invidia non est, nisi de bono, quod desideratur, & potest haberi; sed nullum horum desiderare, nec habere poterat Dæmon; ergo nec invidebat. Prob. min. Nam in statu damnationis non est desiderium verum gratiæ, nec gloriæ, nec benefaciendi ad eam merendam, nec spes evadendi pœnas; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam invidia est dolor de bono alterius, quem nolumus nobis æquari, vel superiorem fieri, homo autem tunc felicior erat, & in statu merendi majora.

Resp. 2. neg. etiam min. Nam Dæmon retinet inclinationem innatam ad bona gratiæ, & gloriæ, & illa sufficit ad odium, quòd illa bona possint haberi ab alio.

Objic. 2. Non invidemus, nisi superioribus, & maximè ex superbia; sed homo erat inferior natura ipsi Diabolo; ergo hic illi non poterat invidere ex superbia.

Resp. dist. min. Erat inferior tunc in natura, con. in conditione status, & donis supernaturalibus, neg. min. & cons. Homo erat in statu viæ ad gloriam, & cum donis supernaturalibus gratiæ, ac justitiæ, & ad imaginem, & similitudinem Dei factus, quæ ipse non habebat.

Inst. Non invidemus alteri bonum, nisi quatenùs nobis aliquo modo est malum, v. g. quod derogat bonis nostris, sed nihil tale poterat videre Dæmon in homine; ergo &c. Prob. min. Nam illa hominis felicitas nihil derogabat Dæmonis naturalibus bonis, & hominis depressio nihil eum juvabat.

Resp. dist. maj. Quod nobis aliquo modo est malum saltem ex malitiæ, aut superbiæ excæcatione, & depravatione judicii, con. absolutè, & à parte rei, neg. maj. Tanta est ergo malitiæ, & superbiæ excæcatio, & depravatio, ut suum damnum, & confusionem, & depressionem existimet hominis felicitatem, & gloriam.

Quæres 1 *cujus generis, aut speciei fuerit ille serpens.*

Resp. incertum id esse, quia nihil de hoc habemus ex Scriptura, vel traditione.

Quæres 2. *cur potiùs Dæmon usus sit serpente, quàm alio animali.*

Resp.

Resp. cum Augustino, [1] id factum ex Divino permissu. *Non debemus opinari, quòd serpentem, per quem tentaret, persuaderetque peccatum, sibi elegerit.... non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissum est....* & hoc *alta, abditaque justitia.*

Aliqui dicunt, voluisse Deum id fieri per vilissimum animal, ut inde magis homo confunderetur, se ab eo victum, & ei facilior esset victoria, quàm si à nobiliori creatura tentaretur. 2. alii, ut inde magis appareret abjectio, & vilitas Dæmonis, sc. ex instrumenti vilitate. 3. alii, ut ex serpentis astutia, & tortuositate flexuum Heva suspicaretur fraudem tentatoris. 4. alii, ut ex deformitate ejusdem fieret Hevà minùs excusabilis, quòd tam fœdæ bestiæ crediderat, &c.

Queres 3. *cur ergo Heva nō exhorruerit illud animal.*

Resp. Quòd licèt debuerit contemnere, non tamen horrere, vel odisse, quia tunc nullum animal erat nocivum, nec inimicum. Et fortè Dæmon ut faciliùs per illud vinceret, curaverat, ut serpens sæpiùs coram Heva moveretur, & suis flexibus blandiretur, & familiarior fieret, illique mulier assuesceret.

Quæres 4. *Quomodò serpens accesserit ad Hevam, et ubi, an extra, vel intra Paradisum.*

Resp. probabiliùs accessisse in Paradiso. Nam ex Scripturæ textu conjicimus valdè rationabiliter, colloquium, & tentationem contigisse propè arborem scientiæ, quæ erat in medio Paradisi. Dicitur enim, quòd audito serpente dicente, *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis, eritis sicut Dii*, &c. statim oculos in arborem vertit, & *vidit mulier lignum, quod esset bonum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile*, & *tulit de fructu ejus*. Certè si fuisset vel extra, vel in extremitate Paradisi, & serpens loqueretur ab extra, non tam citò diceretur vidisse lignum, & tulisse. Nam spatiosus erat valdè locus ille.

Dices cum Ruperto, quòd *erat Paradisus propria hominis habitatio.... si serpentibus communis erat, sequitur, ut et lupis, et leonibus, cæterisque bestiis non caruerit ille locus deliciaru. non igitur serpens, præsertim à Diabolo possessus in Paradiso fuit, sed mulier corpore,* et

[1] 11. *Gen. litt.*

& vultu vaga dum incontinenter deambulat fortè prospectans, qualis extra Paradisum mundus esset, & dum serpens utpotè astutus dulcedini terræ illius propiùs, & ambitiosiùs inhiat, locus Diabolo datus est, & occasio, unde tentaret Hevam: ergo extra Paradisum erat serpens tentator.

Resp. pace tanti viri, conjecturas esse leves, quia, cum bestiæ tunc essent familiares, & amicæ, & obsequentes homini, non infestassent; sed ornassent Paradisum, & auxissent amœnitatem, & decorem, & delicias ejus præ varietate, & obsequio; igitur nihil vetabat, quin ingrederentur locum, & conjectura nostra meliùs fundatur in textu Scripturæ, ut patet. Ideòque sic dubio isti respondent alii Theologi, & Patres communiter.

Queres 5. *quomodò illi colloquio serpentis non adesset Adam*.

Resp. quia tunc Heva ex levitate, & curiositate muliebri excurrebat per hortum, & ab Adam recesserat, qui alibi detinebatur in contemplatione operum Dei. Hinc discant mulieres, quàm periculosum sit à viris suis discedere, & sine illis divagari, cùm ista longè perfectior inde lapsa fuerit adeò miserè. Volunt videri, & videre, & inde colloquia cum serpentibus, seu tentatoribus, & labuntur tandem.

Quæres 6. *cur Deus permiserit, Protoparentes tentari, quos prævidebat vincendos*.

Resp. quia *per tentationem probatur, & exercetur virtus*, inquit Augustinus, *& est palma gloriosior non consensisse tentatum, quàm non potuisse tentari*. Nec debebat homo præmiari, & coronari sine victoria, nec vincere sine pugna, & tentatione; sufficiebat Dei misericordiæ, quòd illum armaſset ad pugnam sic, ut potuiſset vincere, si voluiſset, & post victoriam coronari per confirmationem in gratia, & aliquando per immortalitatem, & translationem in Cœlum.

QUÆSTIO II.

De præcepto dato Protoparentibus in Paradiso, an, & quale fuerit.

JAm diximus in præcedenti, quòd homini posito in Paradiso voluptatis præcepit, ei dicens, *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientię boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis, morte morieris*; Circa quæ verba quæri possunt plura, 1. An verum fuerit hoc præceptum, 2. quarè datum, 3. an grave, 4. an soli Adæ, ut capiti, & non Hevæ, 5. an obligaret etiam posteros ad non comedendum, quæ hic breviter sunt explicanda.

CONCLUSIO I.

VErè *datum est præceptum utrique Protoparenti prohibitivum esus pomi scientiæ, & quidem graviter, id est, sub peccato mortali*. Est communis, & de fide, contra quosdam hæreticos, qui negant, leges dari pro hominibus justis.

Prob. prima pars 1. ex Scriptura. Nam agnoscit semper ibi præceptum, *De ligno autem scientiæ ne comedas*, &c. & quidem sub pœnam mortis, *In quocunque die comederis, morte morieris*. Et mulier ipsa fatetur, *De ligno autem scientię præcepit nobis*; &c.

2. quia pœna mortis, & nudationis, & ejectionis ex Paradiso, & aliarum maledictionum imputatur transgressioni illius præcepti. Adæ enim dixit, *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes*, &c. ergo fuit verum præceptum.

Prob. 2. p. sc. quòd utrique datum fuerit hoc præceptum, sive mediatè, sive immediatè parùm refert. Nam Heva fatetur, sibi etiam id prohibitum, *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, et non tangeremus illud*. Item constat, quòd cùm dixisset mulier, *Serpens decepit me, et comedi*, Deus singulis imposuit pœnas particulares; mulieri dixit, *Multiplicabo ærumnas tuas*, &c.

Prob. 3. p. Nam licèt Heva dixerit, sibi prohibitum,

tum, non solùm, *ut non comederemus*, *sed etiam ne tangeremus*, tamen revera Deus non prohibebat, nisi comestionem, & non punivit eos, nisi quia comederunt, non verò, quia aspexerunt, vel tetigerunt.

Prob.4. p. de pomo scientiæ. Nam de hoc solo fit mentio in præcepto prohibitivo, & alia omnia ligna, seu fructus præcipiuntur, seu conceduntur, & de hujus solius comestione quæritur Deus, & pro isto punit eos.

Prob. 5. p. de gravitate. Nam hæc pensatur non solùm ex verbis, vel ex materia legis, sed etiam ex circunstantiis, & maximè ex pœna, quam minatur in casu transgressionis; sed hæc pœna est gravissima, sc. pœna mortis corporalis, & spiritalis tam pro se, quàm pro suis omnibus posteris, ergo fuit præceptum gravissimum, & sub mortali. Prob.min. *In quocunque die comederis, morte morieris*. Per hęc verba intelligunt communiter SS. Patres hanc duplicem mortem, *Si enim Adæ, qui primus peccavit, anima in peccato mortua non est: quomodò de ligno vetito ei dictum est, In quocunque die comederis, morte morieris? Ecce comedit Adam, et Heva de ligno vetito & tamen in carne sua ultra nongentos annos postmodùm vixerunt. Constat itaque, quia in carne non est mortuus. sc. die illo, quo comedit. Si ergo in anima mortuus non est, falsam sententiam de illo protulit Deus, quia dixit, qua die comederet, moreretur*, ait S. Gregor.[1] ergo graviter, & sub pœna peccati mortalis præceptum urgebat.

Obijc.1.con.1.p. ex Apost.[2] Lex justo non est imposita; sed Protoparentes erant justi, ergo non est impositum ei verum præceptum, seu vera lex.

Resp.dist.maj. Non est imposita quoad vim coercitivam, quasi indigeat comminatione pœnæ, ut agat bonum, & fugiat malum, conc. quoad vim directivam, neg. maj. & conf. Justi non egent lege minaci, quia sponte, & ex amore Dei feruntur in bonum, & vitant malum. Iniqui portant legem, & ab ea onerantur; justi verò portantur à lege: *In lege Domini quiescit voluntas eorum*. Ideò dicit idem Apost.[3] *Non estis sub lege*. Et, *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*. Et Abrahæ justissimo data est lex circumcisionis. Sed

H 2 egent

[1] 1. *L*, 6, *Ep*. 31. [2] *Tim*. 1. [3] *Gal*. 5.

egent ad meritum obedientiæ, & ad directionem, ut ostendatur eis bonum agendum, & malum fugiendũ.

Objic. 2. Cùm legimus, quòd Deus præcepit ei, *Ex omni ligno Paradisi comede*, non sequitur, quòd ex præcepto debuerint edere ex omnibus fructibus, alioqui peccassent non comedendo: ergo neque cum prohibetur fructus scientiæ.

Resp. 1. quòd ly *præcepit*, non cadit in primam illam partem, quæ est potiùs concessio, sed in 2. quæ est prohibitio, quod colligitur ex aliis textibus allegatis, quibus patet eos incurrisse pœnas ob istam comestionem. Dixit quidem, *De omni ligno comede*, sed præceptum restrinxit ad solam prohibitionem.

Resp. 2. quòd si verba illa positivè sint præceptiva, ut volunt aliqui, ruit totum argumentum. Probabilius puto fuisse permissiva.

Objic. 1. con. 2. p. Textus Scripturæ notat, hoc fuisse datum soli Adamo. Dicitur enim, *Tulit Deus hominem, et posuit eum in Paradiso* (hoc de solo Adam dici potest) præcepitque ei dicens, *ex omni ligno*, &c. Et infrà post peccatum loquitur ad solum Adam. *Quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperat tibi, ne comederes, comedisti?* ergo non utrique, sed soli Adæ impositum fuit præceptum.

Resp. 1. neg. ant. & cons. prob. Nam licèt verba directa sint in singulari ad Adam, ut nobiliorem, non sequitur, quin obligaret, & daretur pro utroque. Ideò Heva non dixit, Deum hoc præcepisse viro suo, sed *præcepit nobis, ut non comederemus*, &c. Et ipse serpens eodem modo loquitur, *Cur præcepit vobis Deus?* Et notatur communis pœna, cùm dicitur, quòd statim, postquàm comederunt, *aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt se esse nudos*. Adde, quòd juxta versionem 70. Interpretum, textus loquitur pluraliter, *Ne comedatis*, & *Morte moriemini*.

Objic. 2. Si sola Heva comedisset, non amisisset justitiam originalem, ergo præceptum non erat pro muliere. Ant. patet ex dictis, & ex communi sententia, imò & ex Apostolo dicente, quod *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*; ergo actio Hevæ non fuit peccatum; & per consequens

[1] *Rom.* 5.

quens præceptum non ligabat eam, alioqui, ficut prior illa peccavit, fic non per hominem, fed per mulierem peccatum intraffet.

Refp. dift. ant. Non amififfet pofteris juftitiam, conc. fibi, neg. ant. & conf. Nam per omne peccatum mortale quifque fibi amififfet gratiam, & juftitiam, aliis autem folus Adam poterat amittere, quia ille folus conftitutus fuerat caput omnium. Ideò ad illum præcipuè dirigebantur verba præcepti.

Dixi autem, *fivè mediatè, fivè immediatè fuerit utrique datum illud præceptum*, 1. quia videtur, quòd datum eft in præfentia utriufque, & utroque audiente. Legitur enim, [1] *Mafculum, & feminam creavit eos. Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam... & universa ligna... ut fint vobis in efcam*. Et tunc fine dubio excepit lignum fcientiæ. 2. Aliunde verò legitur [2] præceptum illud impofitum Adæ, antequàm narretur formata Heva. Unde potuit intimari hoc præceptum Hevæ per virum, & fic mediatè tantùm illi datum efset.

Objic. con. 3.p. de gravitate. Non folet graviter præcipi, aut prohiberi res levis, hoc enim non decet bonitatem, nec æquitatem legislatoris, fed efus unius pomi in tanta multitudine fructuum erat res leviffima, ergo non prohibebatur graviter. Maj. meliùs patebit aliàs, ubi de materia peccati.

Refp. dift. maj. Quandiu manet levis, conc. fi ex aliqua circumftantia fiat gravis, neg. maj. Et dift. min. Erat leviffima in fe, conc. in circumftantiis, neg. min. Nam ex Dei voluntate, qui per rem illam modicam in fe, volebat dominium fuum fupremum, & abfolutiffimum probare, & hominis obedientiam in re facillima experiri, res illa fiebat graviffima, & ut videbimus, nulla res eft adeò levis, quin Deus eam poffet, fi vellet, graviffimè prohibere, aut præcipere.

Inft. Saltem fine aliquo urgenti motivo non debet res levis graviter præcipi, fed nullum ibi tale motivum poteft fingi, ergo &c. Refp. per conclufionem.

H 3 CON-

[1] *Gen.* 1. [2] *ibid.* 1.

CONCLUSIO II.

Multa sunt motiva, propter quę Deus voluit graviter prohibere esum pomi scientiæ.

Prob. 1. quia sufficit, quòd Deus, cujus sapientia suaviter disponit omnia, sic de facto præceperit, ut dicamus eum id non fecisse, nisi rationabilissimè.

Prob. 2. ex diversis motivis, quæ afferunt SS.PP. 1. quia inquit Chrysost. [1] parvo illo præcepto suum in hominem dominatum voluit ostendere, quod non sic appareret in re gravissima, quæ potiùs ex natura rei, quàm ex voluntate præcipientis obligaret. Unde August. [2] putat, quòd Adamo *peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud peccatum admissum est, in quo, ne admitteretur sola deberet jussio dominantis attendi.* Et alibi, [3] *Bona est arbor, nolo tangas: quare? quia obedientem te volo, non contradicentem servum.* 2. quia per id homo agnoscebat se subditum, & in re tam exigua humiliabatur, ne in tanta bonorum affluentia superbiret, *Ut cùm prohibentem intelligis, largitorem unà noveris, atque unius subtractio ejus tibi recordationem suggereret, à quo omnia*, inquit Basilius Episc. Seleuciæ [4]. 3. Ex inobedientia in re tam levi, & facili crescebat peccati gravitas, & hominis ingratitudo, ait August. [5] *Tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi præsertim voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis subsequutum est, tantùm majore injustitia violatum est, quantum faciliore posset observantia custodiri.* 4. Ut inde magis commendaretur obedientia, *quæ maxima est virtus*, ait idem August. [6] *et ut sic dixerim, omnium origo, materque virtutum.* Alias rationes addunt alii, quas longius esset afferre.

Igitur fructus ille non fuit prohibitus, quia malus, sed ideò tantum malus, quia prohibitus, nec aliter arbor illa noxia erat, aut fuisset, nisi ex transgressione, inquit Doctor. [7]

Quæ-

[1] *Hom.* 16. *Gen.* [2] 8. *Gen. lit.* 13. [3] *Ps.* 70.
[4] *Ora. de Adam.* [5] 14. *civ.* 12.
[6] *con. adver. leg.* 14. [7] 1. *d.* 24. *q.* 2. *B.* 3.

Quæres, *Cur potiùs arbor scientiæ, quàm quævis alia fuerit hìc prohibita.*

Resp. aliam rationem certam dari non posse præter Dei voluntatem, quia quamcunque aliam sic potuisset prohibere.

Quæres 2. *quomodò præceptum illud fuerit illis intimatum an cum voce sensibili, vel interna tantùm.*

Resp. incertum id esse, quia utroque modo potuit fieri, ut nulla adest ratio, vel auctoritas, quæ id decidat pro certo. Probabilius tamen est id contigisse sensibiliter, & externè, quia ille modus erat convenientior illis.

Quæres 3. *an illud præceptum obligasset etiam posteros, ita ut peccassent mortaliter comedendo ex fructu illo.*

Resp. id etiam non esse certum, sed probabilius esse, quòd obligasset etiam posteros, 1. quia verba præcepti neminem excipiunt, 2. quia videntur imponi omnibus in Adamo velut omnium capite, ut illi tanquam capiti imponebatur.

QUÆSTIO III.

Quod fuerit primum peccatum tam Hevæ, quàm Adæ.

CErtum *est*, 1. quòd ambo peccarunt per esum pomi vetiti, & quòd Heva prior in peccatum consensit, & virum ad peccandum induxit. Hæc patent in textu.

2. Certum est, non unum fuisse peccatum Hevæ. Siquidem, ut notatur in eodem textu, 1. fuit per locum iners, & curiosa vagatio in animalibus, & arboribus inspiciendis; unde incidit in serpentem, & cum eo loquuta est. 2. titillans quædam voluptas comedendi fructum, quem vidit *pulchrum oculis*, & bonum ad vescendum. 3. nimia sciendi cupiditas. Nam statim atque audivit, *Eritis scientes bonum, & malum*, convertit se ad arborem, *& vidit lignum, quod esset pulchrum*, &c. 4. superbia, quia cum aliqua displicentia narravit factam prohibitionem, quam ideò exaggeravit, & duriorem dixit, quàm esset. *Præcepit, ut non comederemus, & ne tangeremus*. Nam hoc 2. non dixerat Deus. Eodem facit ap-

petitus similitudinis cum Deo in scientia. *Eritis sicut Dii*, &c. 5. in virum crudelitas, aut malitia, dum ad peccandum induxit. 6. gula, seu appetitus immoderatus cibi, seu intemperantia delectationis visus, & gustus. Vidit enim lignum *pulchrum oculis, & ad vescendum suave*. 7. denique inobedientia. Sciens enim comestionem sibi vetitam, non abstinuit.

3. Similiter multa notantur in Adam, 1. nimia in uxorem complacentia, dum attentiùs, & benevolentiùs audit ejus suasiones, & eis adhæret. 2. curiositas experiendi, quid lateat in fructu scientiæ. 3. dubitatio quædam de veritate præcepti Divini quoad pœnas. 4. inobedientia, dum transgreditur præceptum, comedens de fructu vetito. 5. videtur etiam peccatum gulæ, dum videns pomum pulchrum oculis, & audiens ab uxore illud esse ad vescendum suave, voluit & ipse comedere, &c. Quæritur ergo quodnam horum fuerit primum.

CONCLUSIO I.

P*Rimum peccatum Hevæ fuit superbia, qua ægrè tulit se præcepto subjectam, & qua Dei similitudinem aliquam appetiit in scientia.* Est communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd *peccatum Hevæ fuit gravius multò plus, quàm peccatum Adæ, pro eo, quòd usurparet sibi æqualitatem Divinitatis, ut dicit Magister, & Augustinus, unde habens aviditatem æqualitatis Dei, & scientiæ Divinæ fuit seducta*; ergo Heva peccavit 1. ex superbia, seu ex nimio appetitu propriæ excellentiæ.

Prob. 2. ex Patribus, qui dicunt, quòd *initium omnis peccati fuit superbia*; sed primum peccatum Hevæ fuit initium omnis peccati hominum, quia illa prior peccavit; ergo primum peccatum Hevæ fuit superbia. Prob. maj. ex Scriptura, & Patribus. Scriptura enim dicit, [2] *initium omnis peccati est superbia*, item *A muliere initium omnis peccati*. Et S. Augustinus, [3] *Porrò malæ voluntatis initium quod potuit esse, nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia. Quid est autem superbia, nisi perversus celsitu-*

[1] 2.*d*.21.*q*.2.*F*.4. [2] *Eccl*.20. & 25.
[3] 14. *civ*. 13.

situdinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, dejecto eo, cui debet animus inhærere, principio, sc. Deo *sibi quodammodo fieri, atque esse principium... Hoc fit, cùm* (homo) *sibi nimis placet*, &c.... *Diabolus hominem non cepisset, nisi ipse sibi jam placere incepisset. Hinc enim & delectavit, quod dictum est, Eritis sicut Dii*, &c.

Prob. 3. Nam juxta Scripturæ historiam videtur, quòd peccavit circa ea, quæ Diabolus per serpentem suggessit; sed hic suggessit displicentiam de præcepto prohibente pomum scientiæ, *Cur præcepit vobis Deus*, &c. & æqualitatem Dei in scientia, *Eritis sicut Dii scientes*, &c. hæc sunt motiva, & materia superbiæ; ergo in his peccavit.

Objic. 1. ex Chrysost. Heva primò peccavit per colloquium cum serpente; ergo non ex superbia, quia ibi nulla est.

Resp. neg. conf. quia Chrysostomus non dicit hoc, quasi in hoc præcisè peccaverit, sed quia colloquium illud fuit occasio peccati.

Objic. 2. Licèt serpens proposuerit præceptum, tamen in hoc non videtur Heva peccasse per displicentiam de illo, sed potiùs excusavit, dicens, illud non extendi ad cætera ligna, sed ad solum lignum scientiæ; ergo non peccavit ad prima illa verba serpentis.

Resp. neg. ant. Nam, ut diximus, in illa exaggeratione, & extensione præcepti ad tactum pomi, vident multi displicentiam aliquam de hac prohibitione, qua limitabatur libertas.

Objic. 3. Scotum [1] qui docere videtur, primum illud peccatum non fuisse appetitum æqualitatis Dei formaliter, sed solùm interpretativè; ergo ex Scoto, illud peccatum Hevæ non fuit superbia, sed nimius sui amor.

Resp. neg. ant. Imò Scotus [2] dicit, quòd primum peccatum Hevæ non fuit ex immoderato amore sui, sicut fuit primum peccatum Angeli, quia homo priùs intelligit alia à se, Angelus verò primò essentiam suam intelligit; ideò iste cœpit se nimiùm diligere, non ita est de Heva, cui serpens proposuit impositam legem ut duram, & quidem ut impeditivam, ne edentes ex pomo fierent sicut Dii. Præterea [3] docet quidem

[1] *Ibid. l.* 5. [2] *Ibid. A.* 2. [3] *Ibid. n.* 1.

dem, in Adamo non fuisse superbiam formaliter, quia non appetiit formaliter æqualitatem Dei, benè verò Heva, ut patet ex allato textu, quod fortè non advertit P. Frassen.

CONCLUSIO II.

PRimum peccatum Adæ fuit nimius in uxorem amor non quidem libidinosus, sed amicitiæ. Est contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto [1] qui ex discursu mox allato infert, *Primum ergo peccatum non potuit esse immoderatus amor sui, sed secundum quod dicit Aug. immoderatus amor amicitiæ uxoris.... patet ergo quòd non fuit amor concupiscentiæ, vel libidinis, quia ille nondum fuerat*, sc. in statu innocentiæ, & justitiæ originalis, in quo non movebatur concupiscentia contra rationem, ut fecit post illud peccatum, *Quam nondum in suis membris senserat*, ait August.

Prob. 2. cum eodem ex S. August. *Adam non carnali concupiscentia victus, sed amicabili quadam compulsus benevolentia, qua plerunque fit, ut offendatur Deus, ne offendatur homo, peccavit; noluit igitur contristare eam, quam credidit sine suo solatio contabescere, & à se alienatam omnino interire*, &c. Quod docet etiam Magister. Sc. putasset Heva sibi, defectu complacentiæ viri, impeditam consecutionem equalitatis cum Deo in scientia, quam promittebat serpens, & quam illa appetebat.

Confir. ex ipsa confessione Adæ. Nam interrogatus à Deo dixit, *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit de ligno, & comedi.* Sed Heva non proposuit Adæ motiva superbiæ, v.g. similitudinis Dei; ergo &c.

Summè igitur, seu nimiùm diligebat Hevam, 1. ob eximiam pulchritudinem corporis, & animæ ornamenta, 2. quia unica mulier erat in mundo, & uxor ejus, ex qua propagaturus erat genus humanum, 3. ut sociam, & adjutorium sibi à Deo datum, 4. ut aliquid sui, *sc. os ex ossibus, & caro de carne ejus*.

Objic. 1. ex Augustino Adam peccavit, *quia voluit rapere Divinitatem*. Idem docet Bernard. *Adam, & Hevam principia nostri generis, quod Filii Dei est, serpentis, seu Diaboli consilio subripere tentant*; ergo ex superbia peccarunt.

[1] *Ibid.*

Resp.

Resp. dist. conf. Peccarunt absolutè, con. peccarunt primò, neg. conf. De primo peccato Adæ loquimur hic, non de peccato Hevæ, nec de omni peccato Adæ. Augustino opponendus Augustinus, ut intelligatur sensus ejus. Non negamus, in peccato Adæ superbiam intervenisse, quod rectè ibi docent illi Patres, sed de primo id negamus, quod & ipsi negant.

Inst. Adam peccavit ex motivo sibi proposito ab uxore, quodque isti fuit ratio peccandi; sed istud motivum fuit Hevæ appetitus scientiæ Divinæ; ergo & Adæ. Maj. patet. Nam Heva non potuit aliud motivum proponere, quàm quo ipsa movebatur. Min. ex dictis patet.

Resp. neg. maj. Nam ex ipso responso, & confessione Adæ constat, ipsum non comedisse, nisi ex complacentia, & amore uxoris, à qua non dicit se deceptum vana promissione scientiæ Divinæ. Non dixit, *Mulier decepit me*, sicut ista dixit, *Serpens decepit me*, sed *Mulier dedit mihi*, *& comedi*.

Objic. 2. Nisi Adam appetiisset Dei similitudinem, non exprobrasset illi post lapsum. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; ergo hæc dicens Deus, significat illum appetiisse superbia Dei similitudinem.

Resp. neg. ant. & conf. Nam 1. potuit Deus hoc dicere, non quòd formaliter, & directè voluerit esse similis Deo, sed quia, ut inquit Doctor, *qui contemnit*, *& transgreditur præceptum Dei*, *vult suam voluntatem præferri Divinæ*, non quidem formaliter, sed solùm interpretativè; & sic tantùm interpretativè homo, & Angeli mali appetierunt æqualitatem Dei.

Resp. 2. neg. conf. Nam id dici potuit Adæ propter mulierem, cujus ipse caput erat, & quam debuit corrigere, non autem consentire peccato ejus, *ne contristaret eam*, ut ait August. [1]

Quæres, *an in peccatis Adæ, & Hevæ infuerit hæresis, vel infidelitas.*

Resp. id quidem videri asserendum ex aliquot SS. Patribus. Nam Tertull. delictum Adę *pronuntiat hæresim*. Aug. [2] infidelitatis, & inobedientiæ illos accusat. Et Ambros. dicit, *eos fidei indumenta perdidisse*. Et inquit S. Prosper. [3] *Perdidit Adam fidem, perdens fidem*

H 6

[1] 2. *con. mar.* 12. [2] 14. *civ.* 17.
[3] *Ep.* 33. *Con. colla.* 9.

fidem perdidit charitatē. Idem docet S. Fulgen. [1] *Perdidit fidē, perdens fidē perdidit Divinam protectionem.* Idem docent alii, qui putant, eum fuisse deceptum, dum credidit serpenti, & mulieri, non autem Deo. Probabilius tamen videtur, non fuisse ibi formalem infidelitatem. Nam teste Apostolo [2] *Adam non est seductus, sed mulier in prævaricatione seducta fuit.* Patres autem illi non loquuntur de Adam seorsim, sed simul cum muliere, in cujus peccato fuit sine dubio error contra fidem verbo Dei debitam. De aliis peccatis vide Interpretes.

QUÆSTIO IV.

De gravitate peccati Adę, & Hevæ.

NOn dubitatur, quin peccata eorum fuerint gravissima, & mortalia, quandoquidem mortem illis animæ, & corporis intulerunt. Sed duo præcipuè quæruntur, 1. an peccatum Adæ fuerit gravissimum, & super omnia peccata, 2. an peccatum Adę fuerit gravius peccato Hevæ.

Gravitas peccatorum petitur vel ex objecto, seu in sua specie, vel ex circumstantiis, maximè ex damnis per ipsa illatis; de quibus suo loco. Porrò, notat Scotus, duplex peccatum in Adam. 1. est amor inordinatus uxoris, quod secutum est aliud gravius nempe esus pomi vetiti, seu transgressio præcepti Divini. De utroque simul, aut seorsim potest esse quęstio.

CONCLUSIO I.

P*Eccatum Protoparentum non fuit gravissimum, nisi ex circumstantiis, & damnis illatis.* Est communis.

Prob. 1. par. 1. ex Scoto [3]. Nam *gravitas peccati concluditur ex hoc, quòd opponitur magis intensæ bonitati, vel quia bonitas opposita est magis necessaria, sc. quia peccatum tale est magis contra plura pręcepta, & magis ardua, quàm aliud peccatum: neutro autem modo Adę peccatum fuit maximum, quia non privabat formaliter bonitatem maximam, non enim fuit directè contra maximū bonum Divinum, sed formaliter* con-

[1] 2. Incar. 22. [2] 1. Tim. 2. [3] Ibid. d. 4.

contra bonum creatum; quamvis indirectè privaret bonum maximum. 2. nec etiam fuit illud peccatum directè contrà arduissimum, vel necessarium præceptum, quod est, Diliges dominum Deum], &c. nec contra secundum magis necessarium post illud, quod est de dilectione proximi, &c.

Confir. ex eodem. Nam excessus in diligenda uxore, vel proximo, quod est peccatum Adæ, minùs est contra 1. præceptum, quàm odium Dei, & blasphemia, & minùs contra 2. quàm odium ejus. Unde esus ligni scientiæ non erat ex objecto peccatum, nec contra legem naturæ, aut decalogi, sed purè de lege positiva, & contra præceptum, ita quòd, si Adam debuisset damnari pro illo peccato, multò minorem pœnam sustinuisset, quàm multi alii peccatores, inquit Doctor, v. g. quàm blasphemi, homicidæ, adulteri, &c. quia isti peccant contra legem naturæ, & positivam Divinam; ergo &c.

Prob. 2. tum quia multa sunt alia peccata, quæ dicuntur irremissibilia, & contra Spiritum S. istud verò non erat tale, tum quia crescit peccatum ex majori libidine, in isto autem non fuit tanta libido, nec improbitas voluntatis; ergo non fuit gravissimum peccatorum.

Prob. 2. p. Nam 1. peccatum illud privavit Protoparentes majori gratia. Nam majores, & ampliores gratias acceperant, quàm posteri singuli. 2. nocuerunt posteris omnibus, & toti generi humano, imò & toti mundo. Nam ex eorum peccato quasi ex fonte nata sunt omnia mala, omnia peccata, omnes mortes, omnes damnationes, &c. [1] *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* 3. mensuratur ex pœna. *Ibi enim est magna inobedientiæ pœna proposita, & res à Creatore imperata facilis*, ait Augustinus, [2] *Quisnam satis explicat, quantum malum sit non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio*: ergo ex his circumstantiis crescit multum gravitas peccati Adæ.

Obj. c. 1. con. 1. Gravitas peccati pensatur ex bono, quod tollit; sed peccatum Adæ tollit maximum.

[1] *Rom. 5. 54.* [1] *civ. 1 5.*

mum bonum; ergo & est gravissimum. Prob. min. Tollit enim omnes gratias, & justitiam originalem, & immortalitatem sibi, & posteris, quod nullum aliud peccatum facit: ergo &c.

Resp dist. maj. Gravitas extrinseca, con. intrinseca, neg. maj. Peccatum Adæ tollit hæc bona, non ex natura sua intrinseca, sed extrinseca, sc. ex ordinatione Divina, & demeritoriè; quoad hoc, gravissimum illud fatemur in 2. p. conclusionis. Gravitas autem intrinseca, & specifica sumitur ex bono, cui ex natura sua opponitur, v. g. odium Dei mensuratur ex amore Dei, cui opponitur.

Objic. 2. Gravitas peccati mensuratur ex gravitate pœnæ, sed pœnæ peccati Adæ sunt gravissimæ; ergo & illud. Prob. min. Nullum enim fuit, aut futurum est peccatum, quod tam severè, & tantis pœnis puniatur; ergo &c.

Resp. dist.maj. Gravitas intrinseca, & specifica ex pœna similiter debita ex natura rei, ita, ut nullum aliud possit sic puniri, con. ex pœna arbitraria, & ex pacto, quo posset puniri quodcunque aliud peccatum etiam ex objecto leve, neg. maj. Nam gravitas sic mensurata est tantum extrinseca, & ex hoc capite fatemur, istud esse gravissimum; sed hæc pœna fuit illi annexa ex liberrima Dei voluntate, quæ illam potuisset annectere cuicunque peccato.

CONCLUSIO II.

PEccatum *Hevæ fuit de se gravius peccato Adæ, non autem ex circumstantiis*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] *Dico, quòd peccatum Hevæ fuit gravius multo, plusquam peccatum Adæ, pro eo, quòd voluit sibi usurpare æqualitatem Divinitatis... Unde habens aviditatem æqualitatis Dei, & scientiæ Dei fuit seducta.... vir autem non fuit seductus.... Ideò peccatum mulieris, fuit gravius. Item fuit causa peccati viri, & ideò gravius addendo, quod prædictum est*; ergo ex objecto, & intrinseca malitia peccatum Hevæ fuit gravius.

Prob.2. ex Patribus. Nam, inquit Chrysostomus, [2] He-

[1] *Ibid. E.4.*
[2] *Ho.7.pop. & Ep.3. ad olymp.*

Hevæ peccatum eò usque gravius, ut Adæ peccatum, cum hujus peccato collatum ne peccatum quidem existimetur, quia vir non est seductus (ut æqualitatē Dei appeteret) *sed mulier, quæ in fraudē impulsa, fuit ac Dei legē violavit, & sibi, ac marito venenatum poculū temperavit.* Et Ambros. [1] *Mulieris prior error inventus est. Viro enim mulier, nō mulieri vir author fuit erroris*, &c.

Prob. 3. ratione Scoti, quia gravitas peccati pensatur ex bono, & necessitate boni, cui opponitur; sed peccatum Hevæ opponitur longè majori, & magis necessario bono, nempe Dei majestati, & amori, nam appetiit æqualitatem ejus; ergo ex objecto peccavit graviùs, imò & ratione scandali, quia fuit occasio ruinæ, & peccati Adæ. Unde ipse in eam rejecit peccatum. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi.*

Prob. 2. p. 1. ex eodem. [2] *Dico tamen, quòd peccatum potest aggravari ex circumstantia accidentali, propter excellentiam personæ, & dignitatem, quæ ex hoc debet magis cavere peccatum, item propter fortitudinem, & possibilitatem resistendi... Quia igitur Adam fuit circumspectior, & nobilior, & fortior ad resistendum, ideò per accidens peccatum ejus fuit majus. Tradita enim fuit Adæ justitia originalis tanquam digniori, & circumspectiori, & fortiori, ita, quòd si eam perderet, pro tota sua posteritate perderet. Non sic de Heva. Formaliter tamen, per se, mere, & præcisè in se peccatum Hevæ fuit gravius.* Hę rationes Scoti claræ, & certæ cōvincūt.

Objic. 1. Nihil est in peccato Hevæ, quod æquivaleat malis ex peccato Adæ sequutis; ergo absolutè, & simpliciter Adam graviùs peccavit. Prob. ant. Heva enim sibi soli nocuit, & peccavit, Adam verò posteris omnibus, & toti mundo intulit omnia mala, & ipsi terræ maledictionem.

Resp. neg. ant. utrunque. Nam peccatum Hevæ fuit etiam causa peccati Adæ, & sic prima radix, & origo prima omnium malorum, & causa mediata ruinæ totius generis humani.

QUÆ-

[1] *De paran.* 21. [2] *Ibid.*

QUÆSTIO V.

De pœnis peccati Protoparentum.

POenæ, quibus peccatum prævaricationis punivit Deus, narrantur à Moyse. Nam 1. in serpentem ut primum auctorem tulit sententiam dicens, *Quia fecisti hoc*, 1. *maledictus eris inter omnia animantia*, 2. *super pectus tuum gradieris*, 3. *terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, 4. *inimicitias ponam inter te, & mulierem*. 5. *ipsa conteret caput tuum*, &c. Quæ cum literaliter dicta sint de serpente materiali, allegoricè tamen applicantur Diabolo, qui in serpente tentavit, & seduxit ad peccatum. Et sic maledictio ferit utrunque, ut putant communiter Patres, & Doctores. Saltem hìc explicatur miserrimus status Diaboli sub figura naturalium defectuum serpentis terreni.

2. Mulieri dixit, 1. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*, sc. miserias, quas patieris in conceptu filiorum, quos concipit mortuos, donec vivificentur per Baptismum. 2. *In dolore paries filios*, alioqui paritura sine dolore. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, quia licèt creata esset sub viro, ut capite, & directore; non tamen ut sub dominio, & potestate coercitiva. Sic triplici peccato respondet triplex pœna. Pro seductione multiplicantur ærumnæ; pro voluptate gulæ, dolores in partu, & pro scandalo, & suasione peccati, in quod traxit virũ, sequitur subjectio, & servitus sub illo.

3. Adæ verò dixit. *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes*, 1. *maledicta terra in opere tuo*, quam non coles ex suavi exercitio, & potiùs recreationis, quàm necessarii laboris causa, nec ampliùs erit fœcunda sponte fructificans, sed duro labore, & ingrata labori, & sterilis, quia 2. *spinas, & tribulos germinabit tibi*, sc. dolores pro laboribus referes, 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram*, &c. post vitæ labores, & mortalitatem, quam non evades, ut evasurus eras, nisi peccasses. Pauca igitur hìc dicenda restant, quæ breviter expediemus.

CON-

CONCLUSIO I.

1. *Maledictio non cadit in suppositum ipsum serpentis, sed in Dæmonem, & hoc non quoad novam aliquam pœnam, sed in manifestationem miseriarum ejus, et in infamiam.*

Prob. 1. p. quia serpens in his nihil peccavit, non enim erat capax peccati, sed sicut ipso usus est Dæmon ad inducendum hominem ad peccatum, ita & in serpente Deus condemnat auctorem peccati, sc. Dæmonem.

Hinc vides, quàm leviter dixerint aliqui, serpentem anteà fuisse rationalem, & solitum incedere erectum, & supra pedes, & aliis cibis usum fuisse, non verò terra. Nam hæc figmenta sunt. Bestia semper fuit serpens, & irrationalis, fuit etiam serpens ab initio, sicut nunc est, cum reptilibus, denique non aliis cibis tunc utebatur, quàm hodie.

Verùm quidem est, inimicitias natas ex tunc inter ipsum, & mulierem, imò & hominem, sicut & inter plura animalia, quæ post peccatum nocere cœperunt hominibus, & maximè serpens, qui antè familiaris erat Hevæ, horrorem jam facit, & venenosus existit.

Prob. 2. p. Nam Dæmon jam erat damnatus, & extra statum demerendi, & ideò nova pœna illi non infligebatur, sed tantùm ejus defectus, & miseriæ publicabantur ad infamiam, & ad superbiam ejus retundendam. Ideò dicitur *maledictus* præ ipsis bestiis, & reptans, seu gradiens super pectus, & terram comedens, & prædicitur illi ruina imperii, quod usurpabat in homines per sanctitatem alterius fœminæ, sicut per primam illam evaserat victor de illis. Sc. MARIA DEIPARA est illa fœmina, quæ contritura erat caput ejus.

CONCLUSIO II.

Poenæ, et maledictiones Hevæ consistunt non in multiplicatione conceptuum, sed in doloribus, et miseriis, quas patiuntur feminæ in conceptu, et in partu, et in servitute sub viro.

Prob.

Prob.1.p. Nam multiplicatio conceptuum præcisis doloribus, & miseriis illis est potiùs effectus benedictionis; ergo &c. Prob.ant. ex textu ipso Scripturæ, *Benedixitque illis Deus, et ait, Crescite, et multiplicamini*, &c. Et cùm benediceret Abraham, dicebat, *Multiplicabo semen tuum*, &c. Et sterilitas inter maledictiones fœminarum reponitur; ergo præcisis doloribus, & ærumnis, seu miseriis, quæ comitantur conceptum, & partum, multiplicatio illa non erat pœna, nec maledictionis effectus. Sensus ergo maledictionis illius, *Multiplicabo conceptus tuos*, est, quod dolores multiplicabo, multiplicans conceptus, ex quibus miseriæ illæ sequuntur. *Est multiplicatio ærumnarum in multitudine conceptuum*, inquit Alensis noster.

Prob. 2. p. Nam, ut jam diximus, in statu innocentiæ vir in fœminam habuisset dominium herile, & familiare, & suave, & puræ directionis, cui sponte, & mira, suavique concordia se se subjecisset; post peccatum verò habet dominium, & potestatem coercitivam, ita, ut à viro coerceri, & castigari possit, & dominium absolutum quidem est, sed justum, & moderatum, ne in tyrannidem, & barbariem degeneret; ergo pœna hæc inflicta Hevæ consistit in illa degradatione ejus ab illa libertate, & in subjectionem reductione sub viri potestate, & dominatu.

CONCLUSIO III.

P*Oenæ, quibus mulctatus est Adam, consistunt non solùm in hoc, quòd terra maledicta est in opere ejus, quòd spinas, & tribulos, non quidem absolutè, sed crebriùs germinet, & quòd non nisi cum sudore, seu diro labore vescatur pane, sed etiam in duplici morte, sc. corporis, & animæ, et in ejectione ex paradiso*. Hæc etiam patet ex textu allato.

Prob.1.p. Nam licèt in Paradiso constitutus esset, ut operaretur, tamen ille labor erat potiùs deliciosa quędam exercitatio, quàm importunus labor. Terra homini spontè fructificasset, & copiosè, fructusque suaves, & optimos. Jam verò post importunam, duramque culturam, non uvas, sed labruscas, non flores, & fructus, sed spinas, & tribulos rependit. Et denique *labo-*

labores manuum suarum manducat, & in hoc felix; si in labore habeat.

Prob. 2. p. 1. ex Divina comminatione, *In quocunque die comederis, morte morieris. Duæ enim sunt vitæ*, (inquit Augustinus) [1] *una corporis, altera animæ; sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus. Quomodò si anima deserat, moritur corpus, sic anima moritur, si deserat Deus.* Utrunque accidit Adæ ex peccato. *Si enim Adæ, qui primus peccavit, anima in peccato mortua non est*, inquit Gregor. [2] *quomodò de ligno vetito dictum est, In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini?* Et notat, quòd id intelligitur de morte animæ potiùs, quàm de morte corporis, quia post culpam vixit ad nongentos annos vita corporali; ergo si non mortuus est spiritualiter, non erit verum, quod Deus dixit, *In quo die comederitis, moriemini.* Tamen negari non potest, quin etiam inde sequuta sit, suo tempore, mors corporis, & ejus incineratio. *Quia*, inquit, [3] *pulvis es, & in pulverem reverteris.* Nam inquit Chrysost. *Quamvis multorum annorum spatio vixerunt, tamen ex quo audierunt illud, Terra es, & in terram ibis, sententiam mortis acceperunt, mortales facti sunt*, &c.

Prob. 2. ex dictis. Nam licèt natura sua mortalis esset Adam, tamen ex gratia non erat moriturus, nisi peccasset, quia post aliquot annos vitæ innocentis, transferendus erat in Cœlum vivus.

3. pars etiam patet ex textu. Dicitur enim, quòd post latas prædictas sententias, *emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.* Et hoc, *ne fortè sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Ac, ne posset eò redire, *collocavit ante Paradisum Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem* habentem ad custodiendam viam ligni vitæ.

Quæres 1. *Cur terra potiùs, quam aqua dicatur maledicta, aut aliud elementum.*

Resp. Fortè quia 1. de fructibus terræ manducavit, & in eis peccavit, non autem in aquis, vel alio elemento. 2. quia ex terra principale accepturus erat alimentum, & in pœnam fuit maledicta, ne fœcundior illi esset ad delicias, sed parcior ad laborem ejus ag-

gra-

[1] *Ps. 70.* [2] *l. 6. Ep. 31.* [3] *Gen. 3.*

gravandum. 3. etiam fortè quia in aquis baptismalibus abluenda erat peccati illius macula, & fœditas.

Quæres 2. *an de facto terra per maledictionem fuerit aliqualiter immutata, & facta sterilior.*

Resp. id videri revera significari per verba Dei. Et certè, si terra in se non fuit alterata, saltem id accidit ex influentiis cœlestibus, non ita benignis, quales fuissent in Paradiso, item ex diversitate climatum, & partium terræ, quæ aliæ aliis sunt aridiores, aut frigidiores, &c. ex diversis aspectibus Solis, cui expositæ sunt, &c.

Quæres 3. *an ex tunc tantùm cœperit spinas, & tribulos germinare.*

Respondent aliqui, quòd ante peccatum terra non ferebat, nisi arbores, & plantas utiles, suaves, & fructiferas, nullas verò noxias. *Rosa sine spinis florebat*, inquit Basil. [1] *posteà verò pulchritudini floris adjunctæ sunt spinæ, ut nos voluptatis inde capiendæ oblectamento propinquo afficiamur dolore recordatione delicti, causa cujus factum est, ut spinas, & tribulos tellus huic addicta condemnationi nobis proferret.* Idem docent alii Patres. Alii verò putant re vera, terram protulisse spinas, & tribulos in alimentum bestiarum, & alias utilitates, & ad ornatum saltem ex varietate. Sed tunc illa germinatio non fuisset in pœnam, & laborem, sed in voluptatem, nec ita frequentes in perniciem aliorum seminum utilium evasissent.

Quæres 4. *quis fuerit ille Cherubinus armatus, qui dicitur collocatus ante Paradisum.*

Resp. probabilius esse, quòd fuerint aliquæ spirituales Potestates sub humana, & visibili specie custodes aditus, & cum ignea aliqua flamma, instar grandioris rompheæ, seu gladii, qua deterrebantur ab accessu ad locum illum. *Præcepit Deus, ut Virtutes illæ Cherubim custodirent viam ligni vitæ*, ait Chrys. [2] & alibi, [3] *Cherubim licèt Paradisum custodirent, tamen de nostris suppliciis tristabantur*, &c. Idem docet S. August. [4] & alii.

Quæres denique, *utrùm aliquando illi Protoparentes pœnituerint de peccato, & quid sperandum sit de illorum salute.*

CON-

[1] *Ho.5. Exam.* [2] *Ho.18. Gen.* [3] *Ho. de Ascens.* [4] *11. gen. litt. 40.*

CONCLUSIO IV.

Re vera Protoparentes pœnitentiam egerunt, & veniam meruerunt, & Adam creditur salvatus.

Prob. 1. p. 1. ex Scrip. & Patribus. Nam Sapiens [1] dicit, illum, *qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit eum à delicto suo.* Unde S. August. [2] dicit, *Ecclesiam ferè totam credere, quòd Christus resurgens reduxit Adam de limbo, & inde eum liberavit; quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit.* Et adducto loco ex Sapientiæ libro, addit, *Hoc, quod ibi scriptum est, magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videtur,* &c. Idem docent alii Patres communiter contra Tatianum Eucratitarum Hæreticorum caput, qui inter alia docebat [3] Protoparentes æternis addictos suppliciis, eò, quod nec pœnitentiam, nec gratiam recuperarint, ut notant Epiphanius, & Augustinus, & Irenæus. [4]

Prob. 2. p. 2. quia longè aliter maledixit Deus serpenti, seu Dæmoni, qui æternis datus erat pœnis, & Adæ, & Hevæ, qui per pœnitentiam salvari poterant. Ideò, inquit Tertullianus, [5] *nec maledixit ipsum Adam, & Hevam, ut restitutionis candidatos, & induerunt ipsi se asperis perizomatis quasi saccis pœnitentialibus, ut invidiam perditionis humanæ omnis satisfactionis habitu expiarent.* 2. quia non videbatur congruum providentiæ, ac bonitati Divinæ, ut primi parentes, & capita totius generis humani, quod redempturus erat per unigenitum Filium suum, relinqueret æternæ perditioni. 3. quia in hoc maximè elucet Christi ex Diabolo victoria, quòd ex manibus ejus eruerit primos captivos, & expoliarit eum suis primis spoliis. Denique ob id notant plurimi SS. PP. quòd Christus voluit mori in loco, ubi sepultus fuerat Adam, ut primus participaret de redemptione, qui primus peccaverat. *Utrunque serpens decepit, utrunque Christus salute donavit passione sua,* ait Nazianzen. [6] *Et post peccatum juste vivendo; meritò credun-*

[1] *Sap.* 10. [2] *Ep.* 99. [3] *Hær.* 46.
[4] *De hæres.* 25. [5] 3. *con. Mar.* 25. [6] *Ora.* 3.

duntur, per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberari, inquit August. [1]

Quoad Hevam autem dicit idem Augustinus, *Maledicta Heva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse*. Et pro illa faciunt eædem rationes.

Objici posset Rupertus, qui de hoc videtur dubitasse, quia non credebat librum Sapientiæ, quo id docetur, esse canonicum. Sed fallitur. Nam longè ante illius tempora liber ille habebatur ut canonicus, ut patet ex Conciliis Carthaginensi, & Laodiceno.

QUÆSTIO VI.

De aliis pœnis peccati Adæ, an vulneratus sit etiam in facultatibus naturalibus.

POenæ peccati Protoparentum, quas superiori quæstione numeravimus, exteriores, & temporales sunt. Alias longè graviores passi sunt, & in posteros invexerunt, sc. privationem gratiæ sanctificantis, & doni justitiæ originalis, quo, ut diximus, conservaretur debita subjectio appetitus sensitivi ad rationem, & rationis ad Deum, & aliorum donorum supernaturalium, v. g. fidei, spei, & charitatis, si hæc distinguuntur à dono, & habitu gratiæ sanctificantis. Nam hæc omnia erant sequelæ quædam, & dotes justitiæ originalis. Et his omnibus spoliatus est Adam per peccatum suum, nisi fortè ipse retinuerit dona fidei, & spei, quæ non semper amittuntur per peccatum quodlibet mortale. Nec in his occurrit ulla notabilis difficultas, suppositis iis, quæ suprà diximus de statu innocentiæ, & de gravitate peccati Adæ.

Superest non levis controversia de donis, ac facultatibus naturalibus, v. g. intellectu, voluntate, phantasia, & appetitu sensitivo, an in illis per peccatum vulneratus sit homo, ita, ut intellectus evaserit obscuratus, voluntas minùs libera, & phantasia debilior, & appetitus immoderatior, uno verbo, quæritur, an in statu naturæ lapsæ, & ex peccato factus sit infirmior ad bonum faciendum, & malum vitandum, quàm esset in statu puræ naturæ.

Por-

[1] 2. *De pecc. mor.* 34.

Porrò statum puræ naturæ descripsimus suprà, illum, in quo humanitas adeò nuda est, ut non solùm careat donis omnibus supernaturalibus, habitualibus, v.g. fidei, spei, & charitatis, & gratiæ sanctificantis, & auxiliatricis actualis, & justitiæ originalis, sed etiam aliis donis gratuitis intra ordinem naturalem, v.g. scientiæ, & intelligentiæ acutioris in intellectu, propensionis in voluntate ad bonum honestum, cum habitibus virtutum moralium, temperamenti justioris, & perfectioris, imaginativæ felicioris, appetitus moderatioris, memoriæ tenacioris, vitæ suavioris, & longioris, & tranquillioris, &c. qualia dona haberentur in statu, qui dicitur naturæ integræ, seu rectæ. In hoc enim præter entitates, & partes, & facultates physicas, haberet homo ista omnia, quæ facerent ad perfectionem ejus completam intra ordinem naturalem. His suppositis

CONCLUSIO I.

Homo per peccatum deterior quidem factus est, & vulneratus in naturalibus, non tamen intrinsecè, nec quoad libertatem intrinsecam voluntatis, nec quoad vim intellectivam pariter intrinsecam: uno verbo, non est deterior physicè in statu naturæ lapsæ, seu spoliatæ, quàm naturæ puræ, seu nudæ. Est communis quoad 1. p. contra Pelagianos, non ita quoad 2. quæ est contra Lutherum, Calvinum, *& alios, docentes, quòd per peccatum amissum est*, vel debilitatum liberum arbitrium.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Cùm dicitur, quòd* (homo) *in naturalibus vulneratur, ista est parabola. Vulnus in naturalibus propriè est dividendo continuum. Sic dicitur spirituale vulnerari, cùm habet virtutem dispersam.* Sc. hoc vulnus est morale, & contingit nobis, *cùm caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*, propter privationem justitiæ originalis, qua impediebatur hæc divisio. Et infrà, [2] *Concedo, quòd peccatum non corrumpit aliquid naturale, quod est intrinsecum naturæ, quia secundum Dionysium naturalia in damnatis manent splendidissima.* Et alibi... [3] *Anima humana, & si in quocunque statu, sive*

[1] *Repor. 2. d. 29. q. 2. n. 9.* [2] *d. 25. n. 7.* [3] *quo. 14. n. 2.*

sive naturæ institutæ, sive destitutæ, sive restitutæ habet eandem perfectionem naturalem, intelligendo de illa, quam ex necessitate naturæ requirit. Et alibi [1] docet, quòd *existens in puris naturalibus non est æqualis ei, qui peccavit existens in justitia, non quia iste habeat aliquam curvitatem, quam ille non habet, sed quia iste debitor est justitiæ originalis, quam accepit* (& amisit) *ille non; ideò iste est reus, ille non, in isto nuditas illa donorum est pœna, in illo autem est conditio naturæ, iste dicitur spoliatus, ille nudus,* &c. ergo ex Scoto natura hominis peccatoris non magis est vulnerata, nec physicè infirmior, quàm in statu puræ naturæ.

Prob. 1. p. ex communi Patrum & Theologorum, imò & Ecclesiæ sensu. Nam inter Sedis Apostolicæ capitula, quæ collegit Cœlestinus I. vel S. Prosper, aut alius Doctor, 1. legitur, *in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse.* Unde quatuor numerantur hæc vulnera, 1. *infirmitas* quatenus natura humana, amissis donis gratiæ, & justitiæ originalis, ac sibi relicta, subjacet infirmitatibus corporis, nec habet robur, & vires expeditas ad benè agendum, & caret auxiliis, quibus alias munita bene ageret, & vinceret tentationes. 2. *ignorantia*, seu *inscitia* plurium veritatum speculativarum, & practicarum, etiam ordinis naturalis, quas naturaliter potuisset habere facilius. *Quid est enim, quòd cum labore meminimus, sine labore obliviscimur, cum labore discimus, sine labore nescimus, cum labore strenui, sine labore inertes sumus? nonne hinc apparet, quod velut pondere suo proclivis, & prona sit vitiosa natura?* &c. inquit August. [2] 3. *malitia*, in voluntate, quæ peccando aversa est a Deo, & inclinata ad creaturam. *Quid est amor ipse rerum vanarum, & noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella?* &c. *Hæc hominum fiunt malorum, ab illa tamen erroris, & perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adæ nascitur,* ait idem August. [3] 4. denique *concupiscentia*, seu propensio in bonum sensibile, & delectabile, repugnans rationi, propter amissam justitiam originalem, qua ille

[1] 2.d.2.D.5. [2] 22.civ.22. [3] Ibid.

ille appetitus frænabatur, ne contra dictamen rationis moveretur. Inde oritur difficultas ad bonum faciendum in voluntate, & ad resistendum malo, [1] *Sunt re vera omni peccanti animæ duo ista pęnalia, ignorantia, et difficultas,etc.* Ecce quatuor gravissima vulnera, quę passa est natura humana peccato Adæ.

Prob. 3. ratione. Nam per justitiam originalem anima, & corpus, spiritus, & caro amica unione vinciebantur, & mutuo fœdere coibant in cognitionem veri, & amorem boni honesti tam naturalis, quàm supernaturalis; rupto autem fœdere, seu vinculo illo, ferale bellum exortum est inter illa, caro, & appetitus ejus semper effrœnis insurgit in spiritum, rationis lumen prævenit, vel offuscat vaporibus atris, voluntatis imperia detrectat, pondere potiùs suo illam à bono honesto ad sensibile trahit ferè nolentem. *Quod nolo malum, hoc facio,* & *non quod volo bonum, hoc ago,* inquit Apostolus. Et sic invertitur tota hominis recta politia, cùm servus dominatur, & domina servire cogitur. *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati,* ait idem Augustinus. [2]

Imò ex hinc oriuntur aliæ pœnę, & infirmitates corporeæ, ac naturales, & ipsa mors acceleratur. Nam ex vehementioribus motibus passionum appetitus inferioris turbatur animus, alteranturque humores, & maximè sanguis, & tota corporis temperies, unde morbi contrahuntur, & ipsa mors advocatur.

Nec inter minimas pœnas & vulnera naturæ computandum est, quod diximus in Philosophia de dependentia animæ à sensibus in suis operationibus, aut, ex Scoto, dependentia illa, qua fit, ut pro hoc statu viæ, *nihil sit in intellectu nostro, quod non fuerit in sensu;* seu dependentia intellectus à phantasmatibus non est à natura, sed in pœnam peccati.

Prob. 2. p. 1. Nam, ut dicebamus cum Scoto ex D. Dionysio, non magis læsa est humanitas per peccatum Adæ, quàm natura Angelica per peccatum dęmonum;

[1] 3. *lib. arb.* 18. [2] *ibid.*

ſed hæc non fuit læſa in naturalibus, quoad intrinſeca, ſeu quoad facultates naturales in ſe ipſis; ergo nec illa.

Prob. 2. ex eodem Scoto; nam natura animæ in ſuis facultatibus eſt indiviſibilis, & impaſſibilis naturaliter, & phyſicè; ergo in his non paſſa eſt diviſionem, ſeu vulnera.

Confirm. Nam ſicut per unum peccatum amitteret aliquid de ſuis facultatibus, ita per plurima peccata iterata poſſet tandem totaliter amittere, & deſtrui; ſed hoc conſequens eſt falſum, & abſurdum, ergo &c. Prob.maj. Nam eadem eſſet ratio de aliis partibus, ſeu gradibus facultatum, qui remanerent poſt primum peccatum, ac de primis, qui per illud amitterentur; ergo ſicut iſti per unum potuiſſent perdi, ita & illi alii: non enim ſequens peccatum minùs diminuit bonum naturæ, quàm præcedens, ſed fortè magis, ſi ſit gravius, inquit S. Thomas; [1] unde *in damnatis manet naturalis inclinatio ad virtutem; alioqui non eſſet in eis remorſus conſcientiæ*, &c. ergo ex vi ſolius peccati originalis præcisè, non ſunt vulneratæ, vel diminutæ facultates naturales in homine lapſo magis, quàm in puris naturalibus exiſtente; ſed utrobique natura eſt eadem quoad intellectum, & voluntatem in ſe ipſis. Unde concludit, quòd homo per peccatum vulneratus dicitur in naturalibus, non quòd amiſerit aliquod complementum naturæ, & ſubſtantiæ, vel potentiarum ejus intimum, ſeu in radice, vel inclinationis innatæ ad virtutem, vel liberi arbitrii (nam hæc naturam rationalem complent intrinſecè) ſed quia factus eſt magis diſtans à conſecutione finis naturalis, quod eſt vulnus morale, & diminutio accidentalis de inclinatione ad virtutem, & de libertate, ac facilitate ad benè agendum, & ad vincenda impedimenta ad bonum, ſicut etiam ex peccatis perſonalibus generantur pravi habitus, quibus incurvantur facultates in malum. Sed non ita eſt præcisè de peccato originali, quod id potuit quidem facere in ipſo Adamo, in quo fuit perſonale, ſed non in poſteris, in quibus non cauſat nec habitus pravos, nec ullas qualitates phyſicas, ut videbimus.

Prob.

[1] 1.2. q.85.4.2.

Prob.4. Vires naturales ad bonum minui non possunt, nisi per ablationem alicujus principii, vel per additionem alicujus contrarii; sed nihil ab homine lapso auferri potuit de principiis naturalibus, nec addi potuit contrarii potiùs, quàm ab homine in pura natura; ergo &c. Prob. min. 1. de ablatione; nam intellectus, & voluntas, & aliæ facultates naturales sunt eædem in natura lapsa, & pura; ergo nihil ab una potest auferri potiùs, quàm ab alia, quoad hæc. 2. prob. de additione; nam per peccatum nulla qualitas physica producitur in homine; ideò communiter invehuntur Theologi contra Ariminensem, & paucos alios, qui peccatum originale ponunt in qualitate aliqua morbida. Nec potest dici, quid sit illud additum, ergo &c.

Objic. 1. cont. 2. p. Ex Conciliis docetur absolutè, hominem per peccatum fuisse vulneratum in naturalibus, ergo etiam qùoad intrinseca naturæ factus est deterior; non enim aliter salvari potest, quo modo vulneratus sit in naturalibus, nisi quatenus factus est hebetior intellectu, & minus liber ad bonum, & proclivior ad malum in voluntate, & effrenatior in appetitu. Prob. ant. 1. ex Concilio Arausic. 11. *Si quis per offensam prævaricationis Adæ, non totum, id est, secundum corpus, et animam in deterius dicit hominem commutatum, sed animi libertate illæsa durante, corpus tantummodò concupiscentiæ dicit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturis*; ergo homo vulneratus est in ipsa anima, & libertate per peccatum.

Resp. neg. cons. utriusque argum. Vel sic dist. vulneratus est in sensu 1. p. conclus. conc. in sensu 2. p. scil. quoad intrinseca physica, & per vulnus positivum, neg. conseq. Nam Concilium illud vult tantùm, quòd per peccatum homo sit debilitatus, ut indigeat supernaturali Dei gratia ad fidem, & salutem consequendam, quod nolebat Pelagius; quod colligitur clarè, cum dicit; *Si quis alios misericordia, alios per liberum arbitrium (quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis sunt, constat esse vitiatum) ad Baptismi gratiam posse pervenire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum putat, ut quidam valeant,*

sine revelatione Dei, mysterium salutis æternæ per semetipsos conquirere. Vides, in quo consistat illa læsio, & impotentia liberi arbitrii, ex mente Concilii, & hanc non negamus, sed asserimus.

Inst. Intendit Concilium, quòd liberum arbitrium sic fuit infirmatum; ut minùs posset post peccatum Adæ, quàm in statu puræ naturæ; sed in hoc statu homo non posset pervenire ad fidem sine gratiæ supernaturalis auxilio, licèt liberum arbitrium non esset læsum; ergo aliter læsum est in statu naturæ lapsæ, sc. in se ipso, & physicè, non solùm extrinsecè, & moraliter.

Resp. neg. maj. nec enim de hac comparatione cogitabat Concilium, ut patet ex verbis ejus. Sufficit, quòd infirmior esset in Adam post peccatum, quàm ante, ut majoribus indigeret auxiliis gratiæ.

Objic. 2. ex Conc. Trid. *Declarat S. Synod. ad justificationis gratiam probè, & syncerè intelligendam oportere, ut unusquisque agnoscat, et fateatur; quòd cùm omnes homines in prævaricatione Adæ Innocentiam perdidissent... usque adeò servi peccati erant, & sub potestate Diaboli, ac mortis, ut non modò gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysis liberari possent* (nota sequentia) *tametsi liberum arbitrium minimè extinctum esset, viribus licèt attenuatum, et inclinatum*, & in decreto de peccato originali docet, Adam *per prævaricationis offensam, secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse*; ergo intrinsecè, & in se arbitrium fuit vulneratum; non enim aliter potest explicari illa attenuatio, & inclinatio ad malum.

Resp. neg. conseq. Nam sufficit ad mentem Concilii, quòd ex amissione justitiæ originalis, & aliorum donorum tam naturalium gratuitorum, quæ constituunt statum naturæ rectæ, seu integræ, quàm supernaturalium, & ex rebellione concupiscentiæ, cui fræna laxata sunt per privationem justitiæ, & donorum illorum, quibus continebatur, voluntas facta sit infirmior; nam inde sequitur spoliatio virium in parte rationali, & roboratio in parte inferiori ad rebellionem, & sic medium tenet inter Pelagianos, qui negabant transitum peccati Adæ in posteros, dum asserit debilitationes, & vulnus ex eo; & Lu-

the-

therum, & Calvinum, qui in aliud extremum abibant volentes, liberum arbitrium penitus extinctum esse per peccatum.

Objic. 3. ex Patribus; nam inquit August. [1] *quid tantùm de naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est.* Et idem docent communiter alii ex citata parabola de homine, qui incidit in latrones, qui jacebat semivivus, plagis acceptis; dicuntque, hunc repræsentasse hominem per peccatum vulneratum: alios citat P. Macedo; sed hæc non dicerentur de homine in puris naturalibus; ergo &c.

Respond. ad Augustinum, quòd hæc verba ad litteram nimium probant; nam vox, *perdita est*, totalem extinctionem, & corruptionem significaret; intelligendus ergo est in sensu allato, & idem est de aliis quoad parabolam, & quoad hoc patet differentia inter hominem lapsum, & in pura natura constitutum; ille enim est spoliatus; iste verò tantùm nudus, ille vulneratus, iste infirmus.

Revera autem Patres sic loquuntur de homine lapso quoad supernaturalia, & gratuita naturalia, & in comparatione ad statum naturæ innocentis, & rectæ, qualis fuit Adam; non autem ad statum naturæ puræ, de quo non curarunt: respectu autem naturæ innocentis, & rectæ, verè dici potest, quòd natura lapsa vulnerata est tam in corpore, quàm in anima, tam in naturalibus, quàm in supernaturalibus.

Objic. 4. Concupiscentia in natura lapsa est materiale peccati originalis; ergo pro formali importat aliquid, quod non est in natura pura; quia in ista non est peccatum illud, benè verò concupiscentia. Sed illud formale non potest esse aliud, quàm aliquod vulnus positivum, v.g. major rebellio in appetitu, vel major infirmitas in ratione, & voluntate; ergo &c.

Resp. 1. neg. ant. accipiendo concupiscentiam pro inclinatione appetitus sensitivi ad bonum proprium sensibile, & delectabile, & hæc stat cum justitia originali, non quidem in actu, sed in radice;

[1] *De nat. & grat.* 53.

sed in natura lapsa importat privationem justitiæ originalis, qua concupiscentia ligabatur, ne repugnaret contra rationem; in natura autem pura importaret solam negationem talis justitiæ, & ligaminis.

Resp. 2. neg. subsumptum: nam in renatis non est ampliùs peccatum originale, benè verò tota illa rebellio concupiscentiæ, & debilitas voluntatis; ergo formale peccati originalis non consistit in majori rebellione, aut debilitate.

Inst. Homo non potuit habere à Deo talem concupiscentiam, nec rebellionem appetitus contra rationem ita fortem, ut prævaleret; ergo talis non posset esse in natura pura, sicut est in lapsa; ergo in hoc consistit vulnus peccati, quòd concupiscentia est fortior, & ratio debilior. Patet 1. conseq. nam tota concupiscentia, quæ esset in natura pura, esset à Deo; sed concupiscentia fortior ratione non posset esse à Deo; ergo &c. Prob. antec. Deus non potest facere hominem, nisi talem, cui connaturale sit vivere secundum rationem, & esse bonum, non autem malum, sed si haberet à Deo concupiscentiam, cui esset connaturale vincere rationem, non esset homini connaturale vivere secundum rationem, sed potiùs secundum carnem, & esse malum; aut vivendo secundum carnem non esset malus, saltem non peccaret contra naturam, ergo &c.

Resp. dist. ant. Ut prævaleret invincibiliter, & ipso non consentiente liberè, conc. ipso volente, & consentiente libere, neg. ant. & min. prob. nam quia in eo statu esset præditus libero arbitrio, sicut & nunc in statu naturæ lapsæ; ita esset ei tam connaturale vivere secundum rationem, quam nunc; licèt hoc illi esset difficile, imò & aliquando impossibile sine auxilio gratiæ sicut & modò. Certè pugna inter carnem, & spiritum tam naturalis est, quàm quævis alia proprietas, si homo spectetur, ut constitutus essentialiter ex animalitate, & rationalitate; nam inquit S. Thomas, [1] *in quantum est animal, est naturale ei, quod concupiscibile feratur in delectabile secundum sensum, communniter loquendo, & in quantum est homo, id est, animal rationale, naturale est ei, quòd concupiscibile feratur in delectabile secũdum ordinem ratio-*

[1] *q. 4. de malo. a. 2.*

rationis. Et idem docet Scotus cit. est enim naturale cuicunque potentiæ, ut feratur in proprium objectum. Ideò justitia originalis, qua ligabatur caro, ne concupisceret contra rationem, dicitur donum supernaturale, quo deficiente, quasi ruptis repagulis, & laxatis frænis currit ad illud proprium bonum totis viribus. Imò & putat in ipso statu justitiæ potuisse aliquem sensum reluctari, & tristari, quando à parte superiori fuisset ab objecto suo proprio delectabili abductus, sed voluntas benè usa fuisset istis tristitiis.

Objic. 5. Peccatum opponitur non tantùm gratiæ, sed etiam rationi naturali; ergo per peccatum etiam læditur natura, & hæc læsio non esset in pura natura. Ant. patet ex August. & aliis Patribus, & Theologis. qui docent. peccatum, etiam personale, corrumpere naturam. Et certe peccatum etiam opponitur rectæ rationi.

Resp. dist. ant. Opponitur moraliter, conc. physicè, neg. ant. & conseq. & ita loquuntur Patres, sc. de oppositione, & corruptione morali, non physica.

Objic. 6. Peccatum originale nullam secum attulisset propriam rationem pœnæ temporalis, nisi vulnerasset in naturalibus: sed conseq. est falsum, & contra omnes, ergo &c. Prob. maj. Natura nihil per illud de suo naturali statu amisisset, ergo nullam pœnam temporalem inde pateretur: quod enim est naturale, non est pœna naturæ: nam pœna est malum. Prob. ant. nam post peccatum natura nostra bona naturalia eadem haberet, quæ ante habuisset in statu puritatis, in quo caruisset omni peccato; sed qui habet omnia bona naturalia, non patitur pœnam, seu malum ullum naturale; ergo &c. Hoc argumentum putat validum P. Macedo. [1]

Resp. neg. maj. & dist. ant. prob. Nihil de suo statu naturali intrinseco, & debito conc. de naturali extrinseco, & gratuito, neg. ant. & conf. Nam licèt plura dona, quæ amisimus per peccatum originale, essent gratuita, & extrinseca constitutioni naturæ, etiam puræ, tamen eorum privatio non desinit esse pœna vera, & propria, & temporalis, & quamvis hæc spoliatio in se ipsa non esset pœna, adhuc mala

I 4 tem-

[1] *ibid. f.4.*

temporalia, quę ex illa sequuntur, sunt pœnæ, v. g. usus ligni vitæ erat donum ordinis naturalis, & ex eo veniebat aliqualis immortalitas, & impassibilitas, & ex ejus privatione, quæ est sine dubio pęnalis, sequuntur dolores, & morbi, quos ille fructus prævenisset, & mors ipsa durior, quam idem fructus diu distulisset, & lenisset. Item, ex Scoto, & aliis, mors in nobis de facto est pœna, quia sumus peccatores, & non dicitur pœna in bove, aut ove, sicut nec fuisset in natura pura; ergo falsum est, quòd malum physicum, & naturale non possit habere rationem pœnæ. Non fuisse factum immortalem, & impassibilem, non fuisset pœna, quia immortalitas non fuisset debita, nec data; sed post donatam immortalitatem, ea spoliari, & fieri mortalem propter peccatum, est pœna vera, & propria; hoc contingit nobis ex peccato originali, quamvis id contingeret in statu naturæ nudæ; quia nisi peccavissemus in Adam, futuri eramus immortales modo prædicto, & sic de aliis, quæ sequuntur ex privatione donorum gratuitorum, quæ patimur in natura.

Hinc 1. patet, quòd multa vulnera patimur in natura lapsa per peccatum Adæ, non tamen intrinseca; nec pugna carnis, & spiritus est acrior, cæteris paribus; nec facultates naturales intellectus, & voluntatis, & sensuum alteratæ sunt, nec deteriores, quàm forent in statu naturæ nudæ.

2. Patet, quod longè abest nostra sententia ab errore Pelagii, qui negabat propagationem peccati originalis, & omnem ex eo naturæ deteriorationem, & per consequens necessitatem gratiæ ad salutem; item ab errore Arminii, & Remonstrantium, qui agnoscunt quidem peccatum originale, sed negant ullum ex eo in nobis remanere vulnus, nec defectum ullum, quem non habuissemus in statu innocentiæ, vel naturæ puræ. Nec enim negamus omnes omninò defectus in natura, saltem morales, ut patet ex 1. parte conclusionis.

DISPUTATIO V.

De peccato originali.

QUamvis multi de hoc peccato agant in tractatu de peccatis, tamen non videtur hæc disputatio sejungenda à præcedentibus; quia hæc illis majorem lucem afferet, & vicissim ab eis accipiet; quandoquidem peccatum istud à peccato Adæ & rem, & nomen accipit, Ejus ergo existentiam, essentiam, causas, & effectus examinabimus hic.

QUÆSTIO I.

An detur peccatum originale.

NOmine peccati originalis intelligimus illud, quod ab Adamo protoparente per originem, quam ab illo contrahimus, ab utero matrum in ipso instanti, quo anima nostra infunditur corpori nostro ad nos pervenit; & quærimus, an re vera detur tale peccatum.

CONCLUSIO.

D*Atur verè peccatum originale propagatum ab Adamo in posteros*. Est de fide contra Saracenos, & Hebræos quosdam, Carpocratianos, Pelagianos, & Albigenses, Begardos, Lutherum, Calvinum, & alios apud Coccium.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Tenendo secundum authoritates Sanctorum, quod sit hoc peccatum in omnibus communiter propagatum... habet enim quilibet sic propagatus carentiam justitiæ originalis...* &c. Et in Reportatis, [2] respondens ad quæsitum, an peccatum originale sit possibile esse in natura, cui assignatur tale nomen, respondet, quod sic, *quia omnis filius naturalis Adæ est debitor justitiæ originalis*, *quia caret ea per actum parentis*, &c.

Prob. 2. ex Script. quæ ubique docet, aut supponit, nos na ci, & concipi immundos, peccatores, filios iræ, &c. [3] *Quis potest facere mundum de immundo*

[1] *l.* 1. *a.* 2. [2] 2. *d.* 32. *c.* 8. *d.* 33. 16. [3] *Job* 14.

conceptum semine? nonne tu, qui solus es? &, ut vertit Augustinus, & alii veteres interpretes, *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*. Et David, [1] *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Et Apost. [2] *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, & alibi, [3] *Per unum hominem peccatum intravit in mundũ, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Et [4] *per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi, & sicut in Adam omnes moriuntur*, &c. *Et*, [5] *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, &c. Et, [6] *eramus natura filii iræ*. Et item colligitur ex illo alio textu, *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, idest, infans, qui octavo die circumcisus non fuerit, &c. Certè infantes non possunt habere peccatum actuale personale, cùm ignorent distantiam boni, & mali; ergo peccatum eorum non potest esse aliud, quàm Adæ.

Prob. 3. ex Concil. Palæstino, in quo damnati sunt articuli erronei Pelagii, & Cœlestii ejus discipuli, inter quos negabat peccatum originale teste Augustino; & ex Milevitano, [7] *Placuit, ut quicumque parvulos recentes... nihil ex Adam contrahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, dixerit, anath. sit.* Et Arausic. 2. contra Semipelagianos, [8] *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, et non ejus propagini asserit nocuisse*, &c. *anath. sit*. Item Florent. in decr. Eugen. [9] docente, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere*, &c. Et Trident. referente canonem cit. Concil. Arausicani, addit, [10] *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum in omnibus inest, unicuique transfusum... per aliud remedium asserit tolli, quàm per meritum unius salvatoris*, &c. *anath. sit*.

Prob. 4. ex SS. PP. Nam inquit S. Justinus, [11] *Christus venit ad baptismum.. humani generis causa, quod per Adam in mortem, & fraudem, seductionemque serpentis*

[1] *Ps*. 50. [2] *Rom*. 2. [3] *Rom*. 3. [4] *Rom*. 5. [5] 1. *Cor*. 5. [6] *Ephes*. 2. [7] *De pecc. orig. Can*. 2. [8] *Can*. 2. [9] *In decre*. [10] *Sess*. 5. *Can*. 2. [11] *Dial*.

pentis conciderat, ut interim propriam pro se malignè agentis cujusque culpam taceam. Et S. Irenæus, *Quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti satisfactionem*. Sic Basilius de Protoparentibus dicit, *quoniam peccaverunt, traditi sunt corruptioni. Corruptibiles autem facti sunt, consimiles genuere posteros*. Et Nazianzenus, *Totus cecidi, atque ob primigenam hominis inobedientiam, & diaboli fraudem condemnatus sum*. Et, *quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita in Christo vivamus*, &c. Et Chrysostomus de Adam, & Heva loquens dicit, *Ipsa transgressio peccati totum labefecit mundum factum alumnum peccati, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Omnis quoque homo de eo natus, natus est illi obnoxius; quia servus servum generat*, &c. Et, *quia in iniquitatibus concepti sumus, et in delictis nos mater nostra aluit, exinde contraximus peccata, non tantùm originalia, sed et propria commissa*. Et Augustinus, qui Pelagianis objicientibus, quomodò peccatum Adæ in posteros transfunditur, & per quas rimas subire possit, quia non peccat generans, nec genitus, nec creator, respondet, *Quid quæris latentem rimam, cùm habeas apertissimam januam? per unum hominem, ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis: Quid quæris amplius?* &c. Et S. Cyprianus: *A baptismo prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi, quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquę animæ prima nativitate contraxit*. Et ita docènt communiter omnes alii tam Græci, quàm Latini Patres.

Prob. 5. ratione, 1. sc. ex necessitate Baptismi; non enim esset necessarium hoc Sacramentum necessitate medii, nisi delendum esset peccatum originale in pueris, qui non habent, nec habere possunt peccatum actuale personale; ergo necessarium est solummodo propter originale. Prob. ant. ex Anselmo, [1] Nam, *non accusat infantem spontanea, quam fecit, justitiæ desertio, nec personas excusat recuperandi impotentia .. .. quoniam ipse sibi impotentiam fecit in primis parentibus, in quibus tota natura erat, & debitrix est habere potestatem, quam ad ob-*

[1] *de Conc. Virg. in 2. & 3.*

servandam semper justitiam accepit; ergo necessitas illa Baptismi venire non potest, nisi ex reatu peccati, quod infans contraxit in Adamo. Quod autem sit necessarium, patet ex Euangelio, [1] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Item alio textu, *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*.

Ideò notatur ex Concilio Palæstino, quod, cùm Pelagio imputaretur hæc propositio, *infantes, etiamsi non baptizentur, habebunt vitam æternam*, ipse ne condemnaretur, negavit id unquam à se dictum fuisse; & tamen, inquit, ad satisfactionem S. Synodi, *anathematizo illos, qui sic tenent, ac tenuerunt*. Certè si parvuli essent sine peccato, cur excluderentur à vita æterna? Et nisi sic excluderentur, non diceret Apostolus, quòd Christus *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, nec D. Petrus, *quod nunc similis formæ salvos nos fecit Baptismo*.

Confirm. ex verbis formæ: *Ego te baptizo*, seu, *abluo*, *mundo* &c. abluere enim supponit sordes; ergo, &c.

Dices, eodem modo loquitur Christus de Eucharistiæ necessitate, ac de Baptismo; sed tamen hæc non sunt necessaria necessitate medii ad salutem pro infantibus; ergo nec Baptismus. Prob. ant. nam sicut dicitur de Baptismo, *nisi quis renatus fuerit*, &c. ita de Eucharistia, *nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*; ergo &c.

Contra, nam prima propositio illa, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. est universalissima tam de adultis, quàm de infantibus; alia verò, *Nisi manducaveritis*, non est ita universalis; dirigitur ad adultos, & credentes. Nam corpus Christi non datur, nisi baptizatis. 2. Christus alibi docet, quòd ad salutem sufficit Baptismus, & fides; *qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; ergo præcisè ab aliis peccatis sufficit Baptismus cum fide habituali, vel actuali; ergo aliter explicandus est locus de necessitate Baptismi, & locus de necessitate Eucharistiæ. Dicendum igitur, Baptismum esse necessarium, de necessitate medii, & omnibus, etiam pueris: *Nisi quis*, seu *quisque*; Eucharistiam verò necessitate præcepti tantùm, & pro solis adultis, & baptizatis.

Objic.

[1] *Jo.* 3.

Objic. 1. ex Scriptura. Non aliter homines fiunt peccatores per Adam, quàm justi per Christum; sed justitia Christi non justificat omnes formaliter, & internè, sed tantùm quia sibi applicant illam per imitationem; ergo neque peccatum Adæ inficit posteros, nisi illud sibi faciant proprium per imitationem. Prob. maj. ex Apostolo; *sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam justi constituuntur multi*, 2. non dicit Apostolus, quòd omnes constituti sunt peccatores, *sed multi*. 3. Idem Apostolus [1] supponit, aliquos non peccasse, sicut Adam, aut cum Adam, dicens; *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*. 4. docet, quod *ante tribunal Christi referet unusquisque propria corporis sive bonum, sive malum*; ergo non reddemus rationem de alienis, sed tantùm de propriis peccatis, quale non est peccatum Adæ. 5. *Per legem cognitio peccati*. Et, *ubi non est lex, ibi nec prævaricatio*, sed nulla est lex propueris, qui sunt incapaces eam cognoscendi, & violandi; ergo nec peccatum originale, nec propter illud damnabimur.

Resp. neg. maj. & conf. prob. nam ad 1. comparatio de justificatione per Christum consistit in hoc, quòd sicut qui nascuntur corporaliter ex Adam, in ejus peccato participant; sic qui nascuntur spiritualiter in Christo participant in ejus merito, & justitia; & hoc verum est etiam quoad internam justificationem, quæ in Baptismo confertur.

2. Quod vim faciunt hæretici in voce, *multi*, puerile est, & grammaticale; nam certum est, Scripturam sæpius illa uti ad significandam non multitudinem determinatam, & limitatam, sed universitatem, ita ut dicens, *multi*, idem sit, ac si diceret omnes, Ideò dicit ibidem: *in quo omnes peccaverunt*. Et, *in omnes homines mors pertransiit*. Et, *si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt*. In his, & aliis satis se explicat Scriptura de universalitate hominum loqui sub illa voce multitudinis.

3. Per idem patet ad 3. nam potiùs confirmat hanc veritatem; nam verum est, plurimos, & maximè

[1] *Rom. 5.*

ximè infantes non peccare, ut Adam, sc. peccato personali, & actuali, sc. propria sua voluntate, sicut ille, *sed ab illo peccatum originale traxerunt, qui est forma futuri*, ait August. & ideò regnavit in eis mors.

4. neg. conf. Nam licèt ibi Apostolus non loquatur, nisi de peccatis cuique propriis, & propria sua voluntate contractis, non sequitur, quin sint alia, quæ voluntate aliena contrahuntur, ut originale; Sicut infantes, qui moriuntur post Baptismum, manifestabuntur ante tribunal Christi, & salvabuntur ex meritis Christi, & fide parentum, qui eos in Baptismo obtulerunt, & pro eis crediderunt, ut notat August. l. 6. con. Julian. c. 10. *pertinet ad parvulum, etiam quod per alium gessit, id credidit ... Vide ergo quàm importunè nolis parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis eum de alieno rectè facto reportare bonum*, *sc. Dei regnum alienum quippè cùm credidit per alterum, sicut alienum opus fuit, cùm peccavit in altero*. Loquitur ad Julianum Pelagianum.

5. dist. min. Nulla est pro pueris lex ab eis cognita, & implenda, con. ab eis, vel ab aliis pro ipsis implenda, neg. min. & conf. lex erat protoparentibus cognita, & ab eis implenda pro omnibus posteris sive infantibus, sive adultis; & adhuc lex Baptismi viget à parentibus pro eisdem, & in eisdem infantibus implenda, ex cujus defectu isti damnantur. Igitur infantes [1] *ipsi, sicut Adam, transgressi sunt pactum; ibi prævaricati sunt omnes.*

Inst. ex eadem Scriptura: *Filius non portabit iniquitatem patris*; ergo posteri Adæ non participant in ejus peccato, nec pro illo damnantur.

Resp. dist. ant. Iniquitatem personalem, & privatam, con. iniquitatem communem, neg. ant. & conf. nam iniquitas Adæ fuit communis omnibus posteris ejus ex pacto, quo Deus eum constituit in hoc caput; & procuratorem totius generis humani, & *omnes in eo peccarunt*, æquè ac si per se ipsos peccassent. Certum est, alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantùm peccant, quorum peccata sunt; *aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando*

[2] Osea. 6.

do illi omnes unus homo fuerunt, ait Auguſt.[1]

Objic. 2. ex Patribus, & 1. ex S. Clem. Alexandrino: *Dicant nobis, ubi fornicatus eſt infans natus; vel quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus*; ergo non putat infantes reos de peccato Adæ. 2. Ambroſ.[2] docet quòd *mortem ſecundam in gehenna non patimur ex peccato Adæ, ſed in occaſione proprii peccati acquirimus*. 3. Chryſoſt. poſt numeratos 10. effectus Baptiſmi dicit; *hac de cauſa & infantulos baptizamus, quamvis non ſint inquinati peccato; nempè ut eis addatur ſanctitas, juſtitia* &c. ergo non putat eis remitti peccatum ullum per Baptiſmum, nec primam gratiam dari, ſed 2. ſeu augmentum gratiæ.

Reſp. neg. conſ. & 1. ad Clementem[3] dico 1. non conſtare, an ſic loquatur de ſua mente, an de mente hæreticorum, quos ibi impugnat, quia damnabant nuptias, putantes, malam eſſe generationem, eò quod infantes naſcerentur polluti. 2. Utcumque ſenſerit ille, non prævalet torrenti aliorum Patrum, & multò minùs definitionibus Conciliorum. Ambroſ. non eſt auctor illius commentarii. Quiſquis autem ille ſit, non negat peccatum originale, ſed potiùs aſſerit, dicens, *manifeſtum eſt in Adam omnes peccaſſe, quaſi in maſſa* &c. 3. Chryſoſt. verò in novis editionibus anni 1687. ſic habet: *Hac de cauſa etiam infantulos baptizamus, non ut ſint coinquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas*, &c. Et ſub finem illius Homiliæ dicit; *venit Chriſtus, & paternis nos cautionibus invenit adſtrictos, quas conſcripſit Adam*, &c. ergo agnovit nos peccato Adæ obnoxios. Et alibi clariùs dicit de Adam, [4] quòd *ipſa tranſgreſſio peccati totum labefecit mundum .... Omnis quoque homo de eo natus, natus eſt illi obnoxius; quia ſervus generat ſervum*. Vide Auguſtinum, qui graviter arguit Julianum, quia in ſuum errorem vult eum trahere.

Objic. 3. ex Auguſtino. Peccatum uſque adeò voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium; ſed peccatum Adæ nullo

[1] *Ibid.* 10 3. *Stro.* [2] *Ep. ad Rom.*
[3] *Ep. ad Neoph.*
[4] *Ho. de Adam.*

nullo modo est voluntarium in posteris, & maximè in infantibus; ergo nec est in istis peccatum.

Resp. dist. maj. Voluntatium in persona peccante, vel in ejus capite, & ejus nomine agente, con. in ipso peccante tantùm, neg. maj. & conf. nam peccatum Adæ est voluntarium posteris in Adam, qui eorum personas, & eorum nomine agebat, ut eorum caput, & procurator.

Objicies 4. *Non peccat, qui nascitur, nec qui generat, nec qui creat; per quas ergo rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum?* Ait Julianus.

Respondet Augustinus: *Quid quæris latentem rimam, cùm habeas apertissimam januam? Per unum hominem, per unius delictum, per unius inobedientiam, ait Apostolus*, &c. falsa ergo est conf. Juliani. Nam intrat per primum hominem.

Inst. Si per peccatum Adæ fierent peccatores cæteri, per ejus pœnitentiam deberent justificari; sed conf. est falsum; ergo & ant.

Resp.neg.maj. Quia ex Dei ordinatione Adam constitutus erat caput,ut, si peccaret, ipsius posteri fierent rei; non autem, ut pro eis pœniteret.

Inst. Esset crudelitas committere uni soli voluntates omnium hominum ad peccandum, ita ut omnium salus, & perditio ab eo penderet, & non posset ille pro eisdem pœnitere; ergo illud pactum, & decretum non debet tribui Deo optimo.

Respondeo neg. ant. Nam erat in libertate Adæ conservare posteris justitiam originalem æquè, ac eam illis, & sibi perdere; & *injustum esse non potest, quod placuit justo*.

QUÆSTIO II.

In quo consistat formalis ratio peccati originalis.

Jam nobis est controversia cum Theologis Catholicis, qui variè sentiunt de formali ratione peccati hujus. Nam, ut prætercam varios errores, seu fabulas, alii volunt, illud consistere in qualitate quadam morbida, & vitiosa, qua inficiuntur posteri Adæ ab utero matris, & inclinantur ad malum. Alii vo-

volunt, illud nihil aliud esse, quàm ipsum peccatum Adæ, à quo posteri ejus denominantur extrinsecè peccatores. Alii, esse idem peccatum, quod moraliter cum ipso commiserunt, & quod in ipsis habitualiter perseverat. Alii dicunt, illud esse privationem justitiæ originalis, quæ ex pacto debebatur posteris Adæ, si ille non peccasset. Alii dicunt, esse quandam animæ substantialem corruptionem, qua non ampliùs imago Dei, sed diaboli fit. Alii ipsam concupiscentiam &c. Quid videatur probabilius accipe.

Suppono autem ex dictis justitiam originalem præcisè consistere in dono illo supernaturali, quo fiebat, ut appetitus sensitivus perfectè subderetur rationi, & hæc Deo, ita ut ille sine repugnantia derelinqueret suum proprium delectabile, ut dictante ratione adhæreret honesto, & ista promptè, & delectabiliter obediret Deo, sed adæquatè complecti alia dona tam naturæ, quàm gratiæ sanctificantis, & habituum naturalium, & supernaturalium virtutum, quibus perfectè rectificabatur homo in suis operationibus.

2. Adam receperat illud donum cum aliis ea conditione, ut si perseveraret in illis, ea transirent adposteros, quibus erant destinata, & qui ex tali pacto deberent illa habere, sed non habent, in pœnam transgressionis Adæ, & inde fit, ut carentia talis justitiæ in posteris ejus sit privatio pœnalis, quia est carentia boni, cujus non solùm capaces sunt, sed etiam debitores; quia illud deberent habere, & illud non habent obculpam, quam admiserunt in Adam.

3. Igitur peccatum Adæ est nostrum, quatenus commisimus illud in ipso; est causa privationis illius justitiæ, quæ dicitur originalis; quia per originem ab Adam veniebat adposteros, sicut peccatum, propter quod ea privamur; diciturетiam *Originale*, quia per originem ab eodem capite illud contrahimus.

4. Suppono ex dicendis, quòd in omni peccato distinguitur *materiale*, & *formale*. Primum est ipse actus, in quo est malitia, seu defectus bonitatis, seu rectitudinis; 2. verò est ille defectus, seu inordinatio; & malitia. v. g. peccatum furti dicit pro materiali

riali ipsam actionem hominis furantis, & pro formali injustitiam, & deordinationem specialem, in qua consistit ratio furti, per quam ille actus constituitur in hac specie peccati, & distinguitur tùm ab actu justitiæ, tùm ab alio peccato, v.g. homicidii, vel adulterii. Sic in peccato Adæ *materiale* est ipse actus Adæ, quo comedit fructum vetitum; *formale* autem est deordinatio illa, qua illa comestio reddebatur mala. Sed aliud est quærere, quid sit peccatum originale in pueris *formaliter*; nam isti non manducant realiter fructum vetitum, nec de facto transgrediuntur prohibitionem manducandi, & tamen fiunt rei transgressionis, & luunt pœnas ejus tam in privatione donorum gratiæ, & justitiæ, quàm in exclusione à gloria, & in damnatione ad mortem temporalem, & æternam, & alias ærumnas vitæ. Quæritur ergo hìc, quid illud sit formaliter, & præcisè, per quod sic constituuntur rei?

CONCLUSIO I.

PEccatum originale formaliter in posteris Adæ non est qualitas physica morbida, nec ipsa substantia naturæ humanæ vitiata, & depravata, nec concupiscentia. Est communior contra Henricum, & Ariminensem, & paucos alios quoad 1. p. contra Matthiam Illirium quoad 2. & contra Lutheranos, & Calvinistas quoad 3.

Prob. 1.p.1.ex Scoto [1] qui refert sententiam Henrici, & eam refutat per partes, dicens. *Dubium est, quomodo voluntas habeat tantùm dominium super corpus, ut possit immediatè alterare totum corpus... aut si salvetur, quomodo ista alteratio possit fieri; videtur difficile, quomodo eadem causa, etiam cum majori adjutorio extrinseco, non potuit corrumpere istam qualitatem*; &c. Deinde, quia morbidam illam qualitatem dicunt esse fomitem peccati, & principium rebellionis carnis in spiritum, sic arguit: *In puris naturalibus esset rebellio, ut dictum est d. 29. ergo propter eam* (rebellionem) *non est ponenda qualitas morbida in carne.*

Prob. 2. Quia gratis omninò, & sine ratione asseritur illa qualitas physica; ergo &c. prob. ant. Nam debe-

[1] *2.d.23.n.4.*

deberet dari aliquis ejus effectus, aut indicium in non baptizatis, qui non repeiiretur in baptizatis, in quibus non est ampliùs peccatum originale; sed nihil tale apparet in istis potiùs, quàm in illis; ergo &c. prob. maj. nam ex Concilio Tridentino, per Baptismum *deletur totum, quod habet rationem peccati originalis*; ergo non remanet ulla qualitas, quæ sit formale illius peccati.

Prob. 3. ex dicendis de concupiscentia, nam auctores isti tribuunt idem huic qualitati, quod communiter dicitur de concupiscentia, sc. quòd sit fomes peccati, quòd animam inclinet, curvet ad malum, &c. sed concupiscentia non est formale peccatum originale; ergo nec ista qualitas.

Prob. 4. Nam peccatum Adæ causaret illam qualitatem aut physicè, aut moraliter; sed neutrum dici potest; ergo &c. prob. min. non physicè, quia non existit physicè, nec habuit influxum physicum, cùm in se nihil habuerit physicum præter comestionem pomi veti, quæ erat materiale illius; & hæc de se non erat mala, seclusa prohibitione, quæ erat quid morale: denique peccatum formaliter nihil est positivum, saltem physicè; ergo non potest producere quidquam physicum positivum. 2. non moraliter; nam id faceret, quatenus intuitu ejus illa qualitas morbida produceretur à Deo; sed impium esset dicere, talem qualitatem curvantem, & inducentem ad malum produci à Deo in corpore, vel anima; ergo &c.

Confir. Nam si peccatum esset qualitas physica, pœnitentia deberet eam tollere, quocumque modo eam causaret peccatum; nam contraria contrariis curantur; ergo pœnitentia Adæ destruxisset eam qualitatem.

Prob. 2. p. I. ex Patribus, qui negant, peccatum esse aliquam substantiam, ut S. Basilius: [1] *non imagineris, esse aliquam substantiam mali; nam malitia non est aliquid subsistens*, & Nazianz. *Crede nullam esse mali essentiam, nec per se subsistere, nec à Deo creatam*, & Epiphan. *neque malum est quidquam per se subsistens*, & S. August. *Iniquitas ipsa non est substantia, non enim iniquitas est natura,* quam

[1] *Ora. de ant. mali in S. Bapt.*

quam formavit Deus, sed est perversitas, quam formavit homo. Hinc

Prob. 2. Nam sequeretur 1. aliquam substantiam esse per se malam; peccatum enim est per se malum. 2. illam substantiam esse creatam à Deo, & per consequens peccatum, quod execrabilis est blasphemia. [1] *Diligit enim omnia, quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit*. Et [2] *omnis creatura Dei bona est*. 3. Adam per peccatum mutatum esse substantialiter, & baptizatum pariter mutari; & Christum, qui fuit sine hoc peccato, non esse ejusdem speciei nostræ; & denique animam nostram esse corruptibilem. Quæ omnia sunt absurda, impia, & erronea in Fide.

Prob. 3. Non est major ratio dicendi hoc de peccato originali, & Adæ, quàm de quovis alio mortali; sed nullus somniavit, hominem per peccatum mortale mutari substantialiter; ergo &c.

Prob. 3. p. 1. Quia per Baptismum deletur peccatum originale quoad formale; sed non tollitur concupiscentia, seu fomes; ergo peccatum originale formaliter non est concupiscentia; maj. patet, & est de fide, definita in Concil. Trid. [3] *Si quis per I. C. gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum, quod veram rationem peccati habet... Anath. sit*. Item ex Scriptura dicente Apostolo; [4] *Nihil damnationis est in his, qui renati sunt in Christo*; prob. min. ex eodem Concilio: [5] *manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, S. Synodus fatetur, & sentit*, &c. & ex eodem Apostolo, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, & ex Jacobo, [6] *unusquisque tentatur à concupiscentia sua*, &c. & peccatum distinguit ab illa ut effectum à causa, nam *concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum*; ergo peccatum originale non est concupiscentia.

Prob. 2. Quod eodem recidit; nam concupiscentia sicut est in sanctis, ut in Apostolo citato, ita & fuisset, & quidem à fortiori, in natura pura; sed in

[1] *Sap.* 11. [2] *Tim.* 2.
[3] *Sess.* 5. *can.* 5. [4] *Rom.* 8.
[5] *Ibid. Rom.* 7. [6] *Jac.* 1.

in his non erat, nec esset peccatum originale; ergo illud non est formaliter concupiscentia.

Confir. Quia concupiscentia non est in pueris intra uterum maternum, nec recens natis, benè vero peccatum originale.

Dico, *Formaliter*, nec enim negamus, quin concupiscentia quoad rebellionem actualem, sit effectus peccati, & sic peccatum originale est causaliter concupiscentia rebellis, & fomes peccati; radicaliter verò est ab ipsa naturæ constitutione, ut diximus supra.

Objic. 1. con. 1. p. ex Patribus: nam, inquit Ambros. [1] *primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ipsaque corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens divinæ sententiæ datæ in Adam, cujus consortio anima maculatur*. Et August. [2] docet, quòd peccatum originale est *affectio quædam malæ qualitatis, sicut languor*, ergo peccatum originale, ex Patribus, est qualitas quædam morbida, quæ residens in corpore inficit animam, sicut liquor inficitur in vase infecto.

Resp. neg. conf. Nec enim in eo sensu loquuntur illi, nec alii Patres. 1, dato, quòd illud opus sit Ambrosii, de quo dubium est, ut jam diximus, per illam corruptionem nihil aliud intelligit, quàm infirmitates, quas contrahimus ex defectu donorum tam naturalium, quàm supernaturalium, quæ comitabantur justitiam originalem, & quæ amisimus cum illa per peccatum, & Augustinus per illam affectionem malæ qualitatis, & languorem intelligit inclinationem ad malum, quæ prævalet in nobis ex amissione talium gratiarum, & donorum, quibus continebatur concupiscentia in subjectione ad rationem, & inclinabatur, seu elevabatur ad amorem boni honesti secundum dictamen, & motum partis superioris, & loco bonæ illius inclinationis successit mala affectio ex peccato, quo privamur illa justitia, & illis donis.

Objic. 2. Non potest melius explicari formale constitutivum hujus peccati, quàm per talem qualitatem; ergo ita dicendum est.

Resp. neg. ant. ut constabit ex sequentibus. Falsum

[1] *c. 7. Rom.* [2] *1. de Nupt. 25.*

sum etiam est conf. nam licèt non haberetur rationabiliter explicatio talis peccati, potius fatendum esset nos eam ignorare, quàm improbabiliter explicare.

Objic. 1. con. 2. p. ex Script. 1. dicit [1] enim, *figmentum cordis humani malum est* (legit vulgata) *sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* 2. dicit Apost. [2] *Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis ejus*; ergo massa cordis humani, seu substantia ejus dicitur mala, & peccatum; & istud habet corpus, & concupiscentias; ergo peccatum originale est quædam substantia.

Resp. neg. conf. nec enim id sequitur ex illis textibus benè intellectis: 1. *ipsum cor* dicitur malum denominativè ab operationibus malis, seu à peccatis, non verò substantialiter. 2. sic *vetus homo* dicitur ab inveteratione hominis in peccato veteris Adam per respectum ad novum, cujus gratia renovamur; sic *corpus peccati* significat massam, & velut congeriem peccatorum, vel *essentiam peccati*, per metaphoram. 3. Idem est *de regno peccati*, sicut dicitur in nobis regnare superbia, avaritia, &c. non quòd illa vitia sint Reges, & personæ, vel formæ substantiales, sed accidentia vitiosa, quæ nos inclinant, & trahunt in actiones malas talium peccatorum.

Inst. Homo antè peccatum erat imago, & similitudo Dei, & post peccatum factus est imago diaboli; Sed ratio imaginis fundatur in substantia; ergo per peccatum Adæ mutata est substantia ejus; ergo ipsum peccatum est substantia: maj. patet quoad utramque partem ex Scriptura: [3] nam dicit Deus de Adam ante peccatum, *faciamus hominem ad imaginem*, &c.& de peccatoribus; [4] *vos ex patre diabolo estis*. Et cùm invitamur ad relinquenda peccata, dicitur nobis: [5] *Induite novum hominem, qui renovatur secundum imaginem ejus, qui creavit illum*; sc. homo justus est imago Dei, & peccator imago Diaboli. Prob. min. nam filius non dicitur imago patris

[1] *Gen.* 8. [2] *Rom.* 6.
[3] *Jo.*8. [4] *Coloss.*3. [5] *tr.*4.*Ep.Jo.*

patris propter solam similitudinem in figura, coloribus, & aliis accidentibus, sed maxime in natura; ergo ratio imaginis Dei, & diaboli fundatur in diversitate substantiæ; ergo sicut per peccatum homo fit imago, & filius diaboli, fit alia substantia per peccatum; ergo peccatum est forma substantialis.

Resp. neg. maj. absolutè; nam ratio imaginis Dei in homine fundatur in natura ejus, & maximè in animæ substantia, ut diximus supra, & hæc inamissibilis est, homo justus est imago, & similitudo Dei; *imago est in natura*, inquit S. Tho. *similitudo in moribus*. Hanc amittit peccando, non illam: per peccatum verò fit filius diaboli, & imago per solam imitationem in moribus; sc. in peccato, & malitia; sicut justi omnes dicuntur *ex semine Abrahæ; quoniam fidem Abraham imitantur*, ait August. quod ipse Christus in illo ipso Euangelio docet, dum rationem dat, cur sint ex patre diabolo, sc. quia *desideria ejus volunt facere*, sc. volunt eum imitari. Ideo dixerat; *si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*: & cùm exprobrat, *vultis me interficere*, addit, *hoc Abraham non fecit; ideò filii ejus non estis*, sed facitis opera patris vestri, sc. diaboli, & in hoc filii ejus estis; sc. imitatione.

Objic. 2. Originale est origo omnis peccati; ergo est substantia. Nam accidens non germinat, sed arbor. Ideò peccatum dicitur plantatio Sathanæ, arbor mala, non ex Deo, sed ex diabolo, &c. ergo peccatum est aliqua substantia.

Resp. neg. utramque cons. nam ideò peccatum Adæ, dicitur radix, & causa omnis peccati, quia nos privat justitia originali, qua continebatur concupiscentia, & ex ea privatione concupiscentia insolescit, & nos trahit in omnia alia peccata.

Objic. 3. Propter peccatum Adæ nascimur ex ipso difformes legi; sed difformitas, vel conformitas legi fundatur in substantia; ergo peccatum est forma quædam substantialis.

Resp. neg. min. Nam difformitas illa est purè moralis, sicut & ipsa lex; & per consequens est quid accidentale morale, & privativum. Certè peccator quoad substantiam est idem substantialiter in statu

pecca-

peccati, & in statu gratiæ, licèt in illo sit difformis legi Dei, in isto verò conformis.

Objic. con. 3. p. Ex Scriptura, ipsa concupiscentia dicitur peccatum; ergo peccatum originale in nobis nihil est aliud, quàm concupiscentia. Prob. ant. nam de concupiscentia loquitur Apostolus dicens, [1] *non regnet in vobis peccatum, ad obediendum concupiscentiis ejus*. Et infrà: *Jam non operor illud*, (sc. quod volo) *sed quod habitat in me peccatum; scio enim, quod non habitat in me*; hoc est, in carne mea, *bonum*; ergo peccatum originale, quod est radix omnium malorum, nihil est aliud, quàm ipsa concupiscentia.

Resp. dist. ant. & prob. Concupiscentia dicitur peccatum causaliter, con. formaliter, neg. ant. & cons. nam, ut loquitur Concil. Trident. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus vocat peccatum, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*. Sic Scriptura sæpè quidquid concurrit ad peccatum, etiam objectum, & materiam peccati vocat peccatum; ut cùm Moyses dicit; [2] *peccatum vestrum, quod feceratis*, (id est vitulum) *arripiens igne combussi*, & Oseas [3] de sacerdotibus; *peccata populi comedent*. Id. oblata pro peccatis.

Inst. Augustinus dicit, quòd *concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi obedientia contra mandatum mentis, & pena, & causa peccati*; ergo concupiscentia est simul peccatum originale formaliter, & pœna ejus, & causa peccati actualis.

Resp. neg. cons. Nam 1. S. August. ibi loquitur de concupiscentia pro aggregato ex actu peccaminoso, & causis, & effectibus ejus; sicut duritia cordis est ipsemet effectus, & causa peccati, & peccatum, ita sæpè contingit, sed non in hoc casu.

Objic. 2. Quod formaliter opponitur rectæ rationi, aut ad peccatum inducit, peccatum est; sed concupiscentia sic opponitur; ergo ipsa est peccatum,

[1] *Ro. c. 1. & 7.* [2] *Deuter. 10.* [3] *Ose. 4.*

tum, & quidem originale. Maj. patet ex definitione peccati in genere. Prob. min. ex Apost. *Sentio aliam legem repugnantem legi mentis meæ*; ergo &c.

Resp. dist. maj. Quod opponitur rationi, aut inducit ad peccatum per se, & liberè, conc. per accidens, causaliter, & non deliberatè, nec liberè, neg. maj. & min. &c. concupiscentia per se non est opposita rationi, sæpè illi cooperatur; est consentanea constitutioni naturali hominis ex carne, & spiritu; & per se non est libera, sed in actibus, in quos ea movente liberè consentimus.

Inst. Deus odit concupiscentiam: sed Deus nihil odit præter peccatum; ergo illa est peccatum.

Resp. neg. maj. Nam concupiscentia sumpta pro inclinatione partis sensitivæ in bonum proprium, seu sensibile non est mala in se, nec eam Deus odit; quippè fecit illam; odit tantùm illam ut in peccato, & prout peccatum causat.

Objic. 3. Christus assumpsit omnes infirmitates humanas præter peccatum; sed non assumpsit concupiscentiam, nec fomitem; ergo illa est peccatum formaliter. Maj. patebit ex tr. de incarnatione, sicut & min.

Resp. dist. maj. Præter peccatum, aut quæ ad peccatum inducunt, vel præcisè ex peccato sunt, conc. quæ ad peccatum inducunt, aut præcisè ab eo sunt, neg. min. & cons. Imò nec multos alios defectus assumpsit, qui illius dignitatem dedecebant, nec faciebant, ob intentam ab eo redemptionem, ut cæcitas, monstruositas, claudicatio surditas, &c. ad min. etiam dici potest, eum non assumpsisse concupiscentiam quoad inclinationem ad malum, & rebellionem, benè verò quoad appetitum ad bonum sensibile, & subditum rectæ rationi; verum est, hunc appetitum non solere vocari concupiscentiam, quæ semper in malum sensum usurpatur.

CONCLUSIO II.

QUamvis peccatum originale importet privationem justitiæ originalis; tamen propriè ipsa dici non debet esse formaliter ipsum peccatum originale. In hac plurimos habemus adversarios maxi-

mè Thomistas, & Scotistas nonnullos.

Prob. tamen 1. ex Scoto, [1] qui sic loquitur ex Anselmo, *Per peccatum originale, dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes sunt filii iræ. Ista ratio peccati originalis probatur, quia peccatum formaliter est injustitia; igitur & tale peccatum talis injustitia: dico igitur, quòd peccatum originale, quod est carentia justitiæ originalis, non est nisi carentia justitiæ debitæ...* Et infra, *Dupliciter potest esse justitia debita, uno modo, quia in se accepta, & actione accipientis amissa. Alio modo, quia accepta in alio, & actione alterius amissa. Primo modo peccatum actuale est injustitia, et carentia justitiæ. Secundo modo originale; unde magis comparatur peccato, quasi quiescenti* (ut peccatum habituale) *in anima post actum transeuntem, quàm peccato actuali, quod elicitur à voluntate peccante.* Vides, quòd peccatum originale importat privationem justitiæ, seu gratiæ; sed ista est causaliter ab actu ipso injustitiæ elicito, non ab ipso infante, sed ab Adamo per actum transeuntem, qui est quasi quiescens in anima, ut peccatum habituale. Quod valde est notandum pro vera Scoti mente.

De prima parte non est difficultas, nam omnes agnoscunt in posteris omnibus Adæ privationem justitiæ originalis, quæ consistit in nuditate illa donorum omnium tam naturæ, quàm gratiæ, quibus anima uniebatur Deo, & pars inferior, seu appetitus sensitivus subjiciebatur rationi.

Prob. 2. p. in qua est difficultas, & 1. ex Conc. Trid. *Si quis per Jesu Christi gratiam, quæ in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habeat, anath. sit.* Sed non tollitur privatio justitiæ originalis secundum illam nuditatem donorum, & maximè relinquit concupiscentiam, &c. ergo peccatum originale non consistit formaliter in privatione justitiæ originalis.

Prob. 2. Quia illa privatio non fuit peccatum formaliter in Adam; ergo nec in posteris. Patet ant. Peccatum

[1] 1. *d.* 22. *d.* 8. [2] *ibid.*

catum Adæ fuit actuale, seu actus liber deordinatus, & aversionis à Deo,& conversionis ad creaturam,uno verbo transgressio præcepti divini, in cujus pœnam privatus est donis illis gratiæ, & naturæ ; ergo privatio justitiæ originalis est potiùs effectus, & pœna peccati originalis, quàm ipsum peccatum formaliter. Prob. etiam conseq. Nam peccatum originale in posteris consistit formaliter in eo, quod fuit peccatum actuale in Adamo, sed privatio illa non fuit peccatum actuale in Adamo, sed pœna ejus; ergo nec in posteris.

Prob. 3. Quia ratio peccati est prior, quàm privatio justitiæ, seu gratiæ; ergo ratio peccati originalis est prior privatione justitiæ originalis, seu donorum, in quibus illa consistit.

Prob. 4. Si Adam fuisset obediens, meruisset nobis participationem justitiæ originalis, & ejus obedientia non fuisset formaliter illa justitia transmittenda, sed meritum ejus, ergo privatio illius justitiæ non est illud demeritum, seu peccatum, sed effectus ejus.

Prob. 5. Peccatum actuale, vel habituale non est formaliter privatio gratiæ, sed causaliter ; ergo & peccatum originale non est formaliter privatio justitiæ originalis, sed tantùm causaliter. Ant. patebit ex dicendis. Prob. conſ. Nam quod convenit peccato in genere, convenit & singulis speciebus.

Prob. denique. Nam peccatum omne est propriè reatus, seu culpa ; nam ex Trid. cit. *peccatum originale dicitur culpa indigens remissione* ; sed privatio justitiæ originalis non est propriè culpa, sed pœna ; ergo nec est propriè peccatum. Prob. min. *omnis culpa est actus malus scienter, & liberè admissus*. Ex S. Thoma, [1] *Nulla culpa deprehendi potest, ubi natura, necessitasque dominatur*, ait August. [2] sed privatio justitiæ non est actus liber nec in pueris, nec in Adamo, sed pœna. *Subtractio originalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ*, ex eodem S. Thoma, [3] ergo &c.

Objic. 1. Quod necessariò coniungitur ex natura rei cum peccato, non potest esse pœna peccati, sed est de ratione ejus, sed privatio gratiæ in Adam, & posteris

[1] q. 21. a. 2. [2] 3. *lib. arb.*
[3] q. 95. a. 5.

ſteris neceſſariò conjungitur ex natura rei cum peccaro originali; ergo non eſt pœna, ſed ratio formalis peccati.

Reſp. 1. neg. maj. Alioqui privatio gloriæ non eſſet pœna peccati mortalis, quod nemo dixerit, quia neceſſario conjungitur ex natura rei cum illo.

Reſp. 2. diſt. maj. Quod conjungitur phyſicè, aut metaphyſicè, conc. maj. & neg. min. quod ſic conjungitur moraliter, & ex ordinatione divina, neg. maj. & conſ. nam privatio juſtitiæ originalis non conjungitur cum peccato illo phyſicè, vel metaphyſicè, ut ratio eſſentialis, vel proprietas ejus, ſed ex decreto divino.

Objic. 2. *Per peccatum originale aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi factam, per inobedientiam Adæ, juſtitiæ debitæ nuditatem*, inquit Anſelmus. Ideò Dionyſ.[1] appellat illud peccatum, *ſtatum diſſimilitudinis cum Deo*, ſc. per privationem gratiæ. Et Concil. Trid. dicit, illud eſſe *mortem animæ*; (hæc eſt privatio gratiæ) *aliquid intrinſecum poſteris Adæ, et verum peccatum*; & idem eſſe contrahere *peccatum originale, ac propriam injuſtitiam ex Adamo mutuari*. Sed injuſtitia eſt privatio juſtitiæ formaliter; ergo peccatum illud eſt formaliter privatio juſtitiæ originalis.

Reſp. neg. conſ. Nam illi PP. & Concilium loquuntur de peccato cauſaliter, quatenùs in pœnam ejus privamur juſtitia originali.

Objic. 3. Peccatum originale in eo conſiſtit formaliter, quod primò tollitur per Baptiſmum; ſed per Baptiſmum primò tollitur illa privatio per infuſionem gratiæ, ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Quod tollitur formaliter, conc. maj. & neg. min. cauſaliter, & conſequenter, neg. maj. & conſeq. nam per Baptiſmum tollitur illa injuſtitia cauſaliter, & conſequenter; imò nec tota tollitur, nam remanet, quoad fomitem; primò autem tollitur reatus culpæ, & conſequenter infunditur gratia ſanctificans.

Objic. 4. Illud eſt ratio conſtitutiva cujuſque rei, à quo cæteræ proprietates manant, ſed in peccato originali proprietates omnes ejus manant à privatione talis juſtitiæ; ergo illa eſt ratio ejus conſtitutiva. Maj. patet. Prob. min. Nam ex peccato Adæ, & privatione

[1] *De virgin. 2.*

tione justitiæ oriuntur concupiscentiæ fomes, rebellio, appetitus, pœnalitates, & infirmitates corporeæ, &c. ergo &c.

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam illa omnia veniunt à reatu culpæ originalis causaliter ex ordinatione divina, sicut & ipsa privatio illa.

CONCLUSIO III.

Peccatum originale formaliter est ipsemet reatus peccati Adæ manens in posteris habitualiter, quoad effectum constituendi eos filios iræ, perinde ac si actu peccatum illud committerent. Ita Scotistæ insigniores, ut Eminentiss. Lauria, Poncius, Frassen, Macedo, Cavellus, Herinx, &c. cum aliis tum Thomistis, tum Neotericis.

Prob. 1. ex Scoto citato in præcedenti; nam, ut notavimus, peccatum istud comparatur peccato quasi quiescenti in anima post actum transeuntem, &c. Unde Scholiastes ejus in hunc locum ait, [1] *Originale esse privationem justitiæ originalis, non est tamen privatio ullius doni habitualis, sed rectitudinis debitæ esse per modum termini ex actu secundo in voluntate causata, et generatione transfusa. Unde non formaliter, sed causaliter privat habitibus ... nec oppositum voluit Scotus.* De quo vide Poncium in commentario. Unde quando Scotus dicit, peccatum originale esse privationem justitiæ originalis, non loquitur de illis habitibus, & donis gratiæ, & rectitudinis naturalis, & supernaturalis, in quibus consistit justitia illa, sed de privatione justitiæ, & rectitudinis debitæ inesse actui Adæ, quatenus erat caput omnium, & nomine omnium agebat, & omnes omnium voluntates in eo continebantur, & agebant moraliter actum, quem ille agebat physicè, & personaliter, & qui carebat rectitudine, & justitia debita inesse illi actui, & dicitur *reatus culpæ*.

Prob. 2. ex Scriptura dicente, quòd per Adam *peccatum intravit*, & quòd *in eo omnes peccaverunt*, & quòd *unius delicto omnes mortui sunt, & per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Sed non potuerunt posteri Adæ constitui peccatores formaliter, nisi per peccatum Adæ; eo modo, quo potest

eis inesse, nec potest inesse aliter, quàm quoad reatum, quo illud peccatum manet in eis habitualiter, perinde ac si illud actu commisissent; ergo ex Scriptura peccatum originale formaliter in eo consistit.

Confir. ex Conc. Trid. [1] *Peccatum Adæ, quod origine unum est ... inest unicuique proprium ... si quis negat parvulos ab uteris matrum ... nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ... ut eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt ...* Et, *si quis per Jesu Christi gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet*, &c. ergo peccatum originale, quod infantes ab utero matris contrahunt, est ipsum peccatum Adæ habitualiter, & moraliter in illis permanens quoad reatum culpæ, & quoad maculam, æquè ac quoad reatum pœnæ; perindè ac si illud per se ipsos commisissent.

Prob. 3. ex Patribus, & maximè ex August. [2] qui ubique docet post Apostolum, quòd *in illo homine* (sc. Adam) *omnes peccaverunt, quando ille peccavit, quoniam in illo erant omnes; quia generaliter peccatum omnium factum est, quòd nascentes tracturi erant omnes*. Et alibi, *Manifestum est, alia esse peccata cuique propria, in quibus hi tantùm peccant, quorum propria peccata sunt, aliud hoc unum* (sc. originale) *in quo omnes peccaverunt, quandò omnes illi unus homo fuerunt*, &c. Quod alibi sæpè declarat. Sic S. Basilius dicit, *nos omnes cecidisse, quia in 1. parente non jejunavimus*. Et Nazianzen. *eandem omnes vitii arborem gustavimus*. Et S. Fulgentius, *omnes testamentum Dei fuisse transgressos transgrediente primo parente*; ergo ex SS. Patribus peccatum originale formaliter est ipsum peccatum Adæ quoad reatum in nobis moraliter perseverans. Hinc

Prob. 4. Peccatum originale est illud, quod in Adam commisimus, & per quod constituimur peccatores, & filii iræ; sed illud non potest esse aliud, quàm ipsum peccatum Adæ; quia infantes nullum aliud commiserunt, nec potuerunt committere, quàm illud;

[1] *Sess. 6. can. 3. et 4. et 5.* [2] *4. con. litt. Pelag. 4.*

illud, quando erant unus homo cum illo (ut cum Augustino loquar) ergo &c.

Prob. denique, quia non potest meliùs explicari, quidnam illud sit formaliter, & sic explicando meliùs salvantur ea, quæ in Scriptura, Conciliis, & Patribus dicuntur de illo; ergo &c. Ant. patet ex conclusionibus præcedentibus, & ex solutione objectionum.

Objic. 1. Concil. Trid. dicit 1. quòd peccatum Adæ est *origine unum, & radix peccatorum in posteris*. 2. *quòd illud inest unicuique ut proprium*. Et 3. quòd *propagatur in posteros*. Sed hęc non essent vera, si peccatum originale consisteret in ipso peccato Adæ, &c. ergo non sic benè explicatur, quid sit. Prob. min. quoad 1. quia idem non est radix sui ipsius, ergo illud, quod est in posteris, est aliud ab eo, quod commisit Adam. Prob. quoad 2. quia id unum, quod est in omnibus, non est unicuique proprium, sed commune: sed illud esset unum in omnibus; ergo &c. Prob. quoad 3. Peccatum Adæ manet in Adam, & remanet idem, & unum; ergo non propagatur in posteros, nec transmittitur in eos. Huic argumento sic confidunt adversarii, ut plures audeant censuris notare opinionem nostram, quàm justè id faciant accipe.

Resp. neg. maj. & ad prob. 1. dist. ant. Sui ipsius eodem modo, & eodem respectu, conc. diverso modo, & respectu, neg. ant. & conseq. Peccatum illud fuit physicè in Adam, & secundum illud esse physicum, est radix, & causa moralis sui ipsius existentis moraliter in posteris: quæ in hoc repugnantia? Quid inde sequitur contra mentem Concilii?

Ad 2. dist. pariter maj. Si sit physicè unum pro omnibus, conc: si sit physicè unum in Adam, & moraliter in singulis multiplicetur, neg. maj. & conseq. nam singuli posteri habent sibi proprium peccatum moraliter, non physicè idem cum identitate physica actus peccati, quod fuit in Adam, & in singulis permanet, donec per Baptismum deleatur. Hinc

Ad 3. dist. ant. Non propagatur physicè, & per physicam propagationem, & transmissionem in singulos posteros, conc. moraliter, seu per moralem transfusionem, perinde ac si singuli in Adam, & cum Adam

 phy-

physicè illum actum commisissent, neg. ant. & conseq. est ergo physicè unum, sed moraliter multiplicatur in singulis ab Adamo per viam naturalis generationis descendentibus, nisi ex speciali privilegio præserventur.

Inst. Concil. docet, per Baptismum tolli totum id, quod in eis habet rationem peccati: sed ipsum peccatum Adæ non est in eis, nec in eis remittitur, ergo ex mente Concilii non potest dici, quòd peccatum originale in posteris sit ipsum peccatum Adæ. Prob. min. Nam quod remittitur, & deletur per Baptismum, est intrinsecè, & verè in pueris; peccatum vero Adam est intrinsecè in solo Adam, & in pueris tantùm extrinsecè, & per extrinsecam imputationem; ergo &c.

Resp. neg. min. & dist. ant. quoad 2. p. Peccatum Adam quoad actum physicum est intrinsecum soli Adæ conc. quoad reatum, & esse morale, neg. ant. quoad illam partem; nam moraliter constituit intrinsecè reos, & maculatos omnes ex eo descendentes per veram generationem, perinde ac si isti realiter, sicut ille, actum illum per se commisissent, quia, ut jam dictum est, omnes, & singuli in eo erant unus homo per unitatem, & continentiam moralem; & ideò peccatum Adæ sit verè peccatum eorum in ipso momento reali conceptionis suæ.

Inst. 2. SS. Patres docent, peccatum Adæ esse causam peccati originalis in posteris; ergo peccatum illius non est idem cum illis; idem enim non est causa sui ipsius. Prob. ant. *Voluntarium peccatum hominis primi est causa originalis peccati*, inquit August. [1] *Aliud fuit peccatum Adæ, aliud est peccatum parvulorum*; ait Ansel. [2] illud fuit causa, istud effectus.

Resp. ut supra, quòd actus, & peccatum Adæ fuit causa moralis peccati posterorum omnium; & quòd non repugnat, ut idem sit causa sui ipsius sub diverso respectu, & modo.

Objic. 3. Non aliter peccatum Adæ est ad damnationem in nobis, quàm nostra sunt in Christo ad redemptionem. *Nam posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum, & peccata nostra ipse in corpore suo pertulit super lignum*; sed Christus sic portavit pecca-

ta

[1] 2 *de nup.* 26. [2] *De Conc. Vir.* 27.

ta nostra, ut propterea non fuerit peccator intrinsecè, nec quoad reatum culpæ, ergo neque pueri portant peccatum ipsum Adæ quoad reatum culpæ.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Nam voluntas Christi non continebatur in nostris, quando peccavimus, nec ejus capita, vel procuratores eramus, sed potiùs ille noster, quando satisfecit, benè verò Adam erat caput nostrum, & in ipso eramus unus homo, & una voluntas moraliter; item nos omnes in Adam peccavimus, non verò Christus in nobis.

Inst. Eodem modo sumus injusti per inobedientiam Adæ, quo sumus justi per obedientiam Christi; sed non sumus formaliter, & intrinsecè justi per hanc obedientiam; ergo nec peccatores per illud peccatum. Maj. patet ex Apostolo, *Sicut per obedientiam unius hominis*, &c.

Resp. neg. maj. tum ob rationem mox allatam, tum quia sine proprio actu, & dispositione ulla justificaremur per justitiam Christi, quod esset hæreticum. Igitur comparatio Apostoli non quadrat quoad hoc.

Objic. denique. Si peccatum originale in nobis esset ipsum peccatum Adę, hoc deleto in Adam, deleretur etiam in nobis; sed conseq. est falsum, & erroneum; ergo & ant. Prob. maj. Quod enim deletum est, non potest maculare; ergo &c.

Resp. neg. maj. & dist. ant. prob. Quod amplius non est physicè, nec moraliter, conc. quod non est physicè, sed moraliter non maculat moraliter, neg. ant & conf. Peccatum Adæ quoad suam existentiam actualem, & habitualem in ipso non est, & ideò non maculabat ipsum, neque nos; sed illud idem est moraliter in posteris, ideò maculat eos, donec mundentur aqua Baptismi.

QUÆSTIO III.

Quomodò transmittatur peccatum originale.

EX præcedentibus patet, singulos homines ex Adamo per viam communis generationis descendentes contrahere peccatum, quod ideò dicitur, *originale*, & illud peccatum singulorum esse ipsummet

peccatum Adæ moraliter in illis perseverans non tantum quoad reatum pœnæ, & quoad pœnas privationis gratiæ, & aliorum donorum, sed etiam quoad reatum culpæ, quo redduntur formaliter filii iræ divinæ. Jam quærimus, quomodo illud peccatum ab Adam ad singulos posteros per tot sæcula, & hominum milliades transmittatur. *Certè hoc opus, hic labor est*, qui Doctorum Apicem Augustinum, & alios SS. Patres, & Theologos fatigavit, & adhuc fatigat, & ex hac difficultate superbiebant Pelagiani ut impudentiùs impugnarent fidem de peccati originalis existentia. *Per quam ergo rimam hoc peccatum intrat in animam?* ajebat Julianus.

Porrò ista participatio peccati Adæ fit 1. *in pœna*; quatenus omnes posteri Adæ subjacent iisdem pœnis, quas incurrerat per inobedientiam; 2. *in Imitatione*, quatenus filii imitantur parentes, & Adamum in suis peccatis; 3. *in culpa, & reatu*; quatenus eodem crimine maculantur, & rei fiunt in ipso instanti conceptionis, perindè ac si personaliter illam ipsam inobedientiam commisissent, ut diximus. Quæritur hìc, qua ratione id fiat.

CONCLUSIO.

PEr *hoc peccatum Adæ in omnes posteros traducitur, quod per naturalem viam generationis humanæ in ipso suæ conceptionis momento fiunt homines, & filii naturales ejus tanquam capitis sui, ex Dei decreto constituti cum debito habendi justitiam originalem*. Est communior quoad rem contra aliquos, qui putant, illud consistere in aliqua physica qualitate morbida; hi sc. putant, eam qualitatem in semine paterno, & spiritibus animalibus transfundi, sicut multæ aliæ infirmitates, v. g. lepra, Scrophæ, &c. à patre in filium transfunduntur; & per corpus anima inficitur per contagionem, sicut liquor contrahit odorem ex vase, in quo recipitur, quod impugnatum est supra.

Prob. autem. 1. ex Scoto. [1] *Dicitur, quod anima contrahit mediante carne, non ita quòd caro, quasi per qualitatem quandam causatam in ea, causet*

[1] 2.*d*.32. E.12. & 17. & *n*.8. *c*.

fctiftud peccatum originale; sed ex hoc, quòd caro concupiscibiliter seminatur, & ex ipsa formatur corpus organicum, cui infunditur anima constituens personam, quæ est filius Adæ; ideo debitrix est justitiæ originalis datæ à Deo ipsi Adæ pro omnibus filiis, & caret ea. Dico, quòd non est à carne in animam agente.... tantum est à carne illa relatio in producto (ad Adam ut primum producentem) *quia est filius naturalis Adæ, & hanc consequitur debitum ex lege divina, & carentia est ibi ratione causæ*; ergo ratio transmissionis peccati Adæ in posteros est propagatio carnalis, quatenus hoc ipso, quòd infans concipitur per viam generationis naturalis in utero matris, & animatur, fit homo, & filius Adæ, & sic incidit in conditionem, qua per pactum Dei initum cum Adamo fit particeps peccati ab eo commissi ejus nomine, & ut caput ejus.

Prob. 2. ex Concil. Trident. [1] *Sicut re vera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur propriam injustitiam contrahunt*, & Item ex Augustino citato: [2] *Dico planè propter delictum eos esse sub Diabolo; ideo autem non esse expertes delicti, quia de illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest, etiam quod honestum est, operari*, ergo delictum contrahitur in ipsa conceptione per viam naturalis generationis, seu ex commixtione viri, & fœminæ.

Prob. 3. quia non potest meliùs explicari, quomodo id fiat suppositis iis, quæ diximus de illo peccato, quòd sc. sit ipsum peccatum Adæ in posteris moraliter existens, & cum illo velut capite, & quasi procuratore à Deo per legem suam constituto; ergo id ita contingere dicendum est, prob. ant. nam ex illa veritate sequitur naturaliter, & necessariò, quòd eo instanti, quo anima infunditur corpori naturaliter genito, resultat ex illa unione persona hominis, & filius Adæ, qui in illo primo parente unus fuit homo tam voluntate, quàm conditione, & peccato, & obligatione justitiæ; ergò hoc ipso momento, & ea ratione, qua sic concipitur,

[1] *SS. 6. c. 3.*
[2] *Ibid. c. 4.*

& existit illa persona sic genita, existit novus peccator.

Prob. 3. quoad decretum & pactum ex dictis in præcedenti: nam ita Deus Adamum decreverat, & constituerat caput, & procuratorem omnium posterorum suorum per viam generationis ex commixtione seminis virilis, & muliebris, ut quod ipse faceret circa præceptum illi impositum sub pœnam mortis, illis omnibus imputaretur, quasi & ipsi actu in illud consensissent; ergo hoc ipso instanti, quod quis ita nascitur per talem viam generationis, ut fiat verus Adæ filius, illi imputatur, & ille participat peccatum Adæ. Prob. ant. Contra Jansenium, qui negat illud pactum, seu decretum, 1. ex Scriptura, & Patribus. [1] *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo meo* (audi rationem comminationis) *quia pactum meum irritum fecit*, sive, ut legit August. [2] *Testamentum meum dissipavit. Testamentum autem primum*, inquit, *quod factum est ad hominem, profectò illud est, qua die ederitis, moriemini*, & alibi [3] de parvulis, qui propriis culpis carent, dicit, quòd *etiam parvuli non secundum vitæ suæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt*, &c. & alibi: *manifestum est, alia esse cuique peccata, in quibus tantum illi peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unum* (sc. originale) *in quo omnes peccaverunt, quando omnes illi unus homo fuerunt*, & infra: *In Adam omnes tunc peccaverunt, quando in illa natura, qua cunctos generare poterat, omnes unus ille homo erat*. Hoc autem non poterat esse ex natura rei, sed ex solo decreto, & pacto Dei.

Confir. 1. ex aliis Scripturæ locis, ut cùm dicit Apost. [4] *per unum hominē peccatum intravit in mundum*. Et expressius in Osea, [5] ubi Deus dicit, *ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum; ibi prævaricati sunt omnes*; ergo hoc ipso momento, & via, qua sumus filii Adæ, cum illo participamus peccatum ejus; sicut parti-

[1] *Gen. 27. ibid.* [2] 12. *civi.* 27.
[3] 1. *De peccat. mer.* 1. *l.* 3. *c.* 7.
[4] *Rom.* 5. [5] *Oseæ.* 6.

participaturi eramus justitiam ejus, si stetisset ille, & nos in ipso, in quo tunc eramus omnes unus homo ex Dei ordinatione; sicut legibus humanis voluntates pupillorum ponuntur in voluntate tutoris, aut curatoris, ita ut illi censeantur velle, & facere, quod iste vult, & facit.

Confir. 2. ex Scoto. [1] *Videtur concludi debitum in parvulis propter hoc, quod Adam accepit justitiam* (ex pacto) *pro se, & tota natura, quæ tunc erat in eo, & ideo justè Deus exigit à tota natura, in quocumque est, illam justitiam, quam dedit naturæ*, &c.

Objic. 1. ex Patribus, qui docent communiter peccatum illud transmitti in filios Adæ per concupiscentiam, & libidinem parentum in actibus generationis; ergo non rectè assignamus viam talis transmissionis, quia nullam mentionem facimus de illa concupiscentia, & libidine. Prob. ant. Nam S. August. ex Ambrosio dicit, [2] quòd homines, *ideo non sunt expertes delicti, quia de illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest, etiam quod honestum est, operari*, &, *servatum est ut ex viro, & muliere, id est, per illam corporum commixtionem nemo videatur esse expers delicti; qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi Conceptionis*, sc. per libidinem, & commotionem concupiscentiæ; ergo per illam, & cum illa præcisè transit peccatum ab Adamo in posteros.

Confir. ex aliis, qui docent Christum D. peccati expertem, quia, inquit Origenes, [3] *ex nulla viri contagione, sed ex solo Spiritu sancto.... naturam quidem corporis nostri habuit; pollutionem tamen peccati, quæ ex concupiscentiæ motu conceptis traditur, omninò non habuit*. Idem docet S. Leo: [4] *Solus inter filios hominum Dominus innocens natus est, quia solus sine concupiscentiæ carnalis pollutione conceptus*. Idem docent alii; ergo illa est vera, & unica ratio transmissionis peccati.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam Patres volunt tantùm, quòd illa commixtio carnalis parentum sit conditio, sine qua filii non contraherent illud peccatum; quia ex lege posita non aliter descendimus ab Ada-

[1] *Ibid. c.* 8. [2] *L. de nupt. cit.*
[3] *in c.* 8. *Ep. Ro.* [4] *Sect.* 5. *nat.*

Adamo, ut proprii ejus filii, sc. per seminalem propagationem, & delectatio, & commotio concupiscentiæ est quidem effectus, sed non causa peccati, nec transmissionis ejus; quandoquidem ipsa generatio in conjugatis est sine peccato, & honesta, ut loquuntur illi Patres; est tamen signum, & effectus peccati. Sed si parentes aliqui ex aliquo dono naturæ, vel gratiæ generarent filios sine illa commotione, & libidine, non minus transmitterent in eos hoc peccatum, modò id fieret per seminalem commixtionem, & via ordinaria, quæ non contigit in generatione Christi; & ideo non debuit illud contrahere, sicut alii omnes filii Adæ, nisi speciali gratia fuerint à Deo præservati, ut B. V.

Per hoc patet responsio ad confirmationem.

Inst. S. August. dicit, quòd *hæc concupiscentia, quæ solo Sacramento regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum generatione trajicit in posteros, & hæc fuit ratio, cur Christus sic nasci noluit, quia in carne peccati fieri non poterat sine carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine quo concipi voluit.... ut hinc etiam doceret, omnem, qui de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem quæ non inde nata est, non fuit caro peccati, sed in similitudinem ejus*: ergo per solam concupiscentiæ libidinem trajicitur peccatum originale.

Resp. neg. conf. nam ex verbis ipsis patet, quod illa concupiscentiæ commotio, & libido pudenda est potius effectus, & signum peccati contracti, quàm causa ejus, causam verò illius contagionis esse generationem nostram ex Adamo per seminalem viri, & fœminæ commixtionē, ut diximus, *generatione trajicit*, &c.

Inst. 2. Aug. Semper nititur probare contra Julianum, & Pelagianos, concupiscentiam non esse à Deo, ut ipsi docebant, sed ex peccato Adæ, & eam in posteros traduci cum peccato; Sed hoc non esset verum, nisi per ipsam traduceretur peccatum ipsum; ergo ita est dicendum de mente Augustini.

Resp. neg. min. Nam Augustinus rectè sustinet concupiscentiæ deordinationem venire ex peccato Adæ, & eam cum peccato ejus contrahi à posteris, & de hoc erat quæstio inter ipsum, & Pelagianos, qui negabant, illam esse ex peccato, sed à Deo, ut

non

non cogerentur fateri transmissionem illius peccati, & peccatum originale inficiens naturam; de causa verò, vel modo illius transmissionis non erat controversia, nec voluit August. eam movere, contentus defendere existentiam peccati originalis, & necessitatem Baptismi ad illud expiandum; & eam probavit præcipuè per concupiscentiam, non ut causam ejus, sed ut effectum magis notum.

Objic. 2. Si ex pacto Dei cum Adamo transmitteretur hoc peccatum, possemus contra illud reclamare; sed falsum cons. ergo & ant. Prob. maj. nam minores, seu pupilli omnes possunt reclamare contra pacta tutorum, aut procuratorum, si eis lædantur; sed illud pactum initum esset cum Adamo ut tutore, vel procuratore omnium hominum, & in eo læduntur; ergo &c.

Resp. 1. neg. maj. & dist. 2. Si reclamatio fiat eadem, aut simili auctoritate, qua factum est pactum; con. si fiat minori auctoritate, neg. maj. & cons. Nam Adam constitutus est procurator, & tutor omnium hominum auctoritate divina, qua nostræ voluntates in voluntate Adæ positæ sunt, ideo non est in nostra potestate contra illud reclamare.

Inst. Saltem deberet valere ipsius Adæ pœnitentia, & retractatio: nec enim plus debuit nocere peccando, quàm prodesse pœnitendo; sed per istud non prodest; ergo nec per illud debuit nocere.

Resp. neg. maj. quia non pœnituit ut caput nostrum, sicut peccavit; sed pœnituit ut privata persona, & sic illi soli profuit ejus pœnitentia.

CONCLUSIO II.

P*Eccatum originale contrahunt omnes, & soli ab Adamo descendentes viam naturalis generationis, seu per maris, & feminæ seminalem commixtionem; nisi ex speciali privilegio præserventur.* Est de fide quoad 1. p. contra Hæreticos supra citatos,[1] quatenus negant existentiam peccati originalis, & contra Calvinistas quoad 2. quatenus volunt filios à parentibus fidelibus genitos non contrahere illud peccatum, quia putant illud eis non imputari, & contra

[1] *Ibid.c.* 6. 8.

tra Thomistas quoad 3. quatenus putant, neminem ab illa lege exemptum fuisse, vel eximi potuisse, nequidem B. Virginem.

Prob. 1. ex Scoto cit. & alibi. *Solvitur* 1. *quæstio tenendo secundum auctoritatem sanctorum, quòd sit hoc peccatum in omnibus communiter propagatum*, quod probat ex Anselmo, quia *Adam peccato personali nudavit naturam justitia debita, in quocumque facit naturam nudam, facit & talem debitricem*; ergo omnes, qui sic descendunt ab Adam, infectam ab eo recipiunt naturam.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus. *In quo omnes peccaverunt*, &, *in Adam omnes moriuntur*. Et, *eramus & nos natura filii iræ, sicut & cęteri*, id est, nos Fideles, ut Judæi, & sicut gentes infideles, item quia tam natis ex sanctis, & fidelibus parentibus necessaria est regeneratio per Baptismum, ut salventur, quàm natis ex Turcis, vel Idololatris; ergo tam illi nascuntur in peccato illo, quam isti. Prob. ant. Nam Christus neminem excipit, dicens, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei*. Ideò dicit August. *noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus*. Denique patet ex dictis de existentia peccati originalis, & conclus. præcedenti.

Prob. 2. Pars 1. ex eodem Scoto. Nam, inquit, *homo miraculosè formatus de carne digiti mei non contraheret peccatum originale*, ut docet Ansel. qui dicit, Christum non contraxisse illud. 1. *quia purgata fuit caro ejus in B. Virgine*. 2. *non erat filius naturalis Adæ*; sc. non fuit genitus ab Adam via naturali per commixtionem seminalem maris, & fœminæ; ergo ex Scoto, & Anselmo, illi soli habent peccatum originale, qui ab Adamo descendunt via naturalis generationis.

Prob. 3. ex Concil. Trident. [1] *homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti*. Et docuerat August. *peccatum originale non nisi per seminalem generationem transfundi*.

Prob. 2. quia qui aliter generantur, ut Christus D. non sunt propriè filii Adæ; ergo nec in pacto divino cum

[1] *ss.6. c. 3.*

cùm Adam inito de transmittenda in posteros justitia, vel peccato comprehenduntur.

Probatur 3. p. Cùm enim tota hæc transmissio peccati originis veniat ex lege divina liberè posita, potuit Deus ab illa excipere quos libuerit, vel ab ea dispensare; ut contigit in beatissima Deipara. De quo aliàs.

Objicies con. 1. p. Si ex generatione contraheretur hoc peccatum, malum esset vacare generationi, & malum esset conjugium; Sed conf. est falsum, & erroneum in fide; ergo &c. Prob. maj. Nam esset causa peccati, & damnationis filiorum.

Resp. Cum August. neg. maj. & dist. prob. Causa peccati per accidens, & extra rationem, atque finem conjugii, ac generationis, con. per se, & ex natura conjugii, vel generationis; neg. ant. conjugium, & generatio extitisset in statu innocentiæ, ut diximus, & per se nihil mali habent; sed per accidens, & ex prævaricatione Adæ; undè sicut non cessat finis conjugii, & generationis, nempè propagatio humana, & bonum universi; ita nec cessandum à conjugio, nec ab opere conjugali servatis servandis; & maximè quia Deus providit de remedio contra peccatum, & contra mala; quæ invexit, per gratiam Redemptoris.

Objic. con. 2. p. Homo genitus opera dæmonis incubi contraheret hoc peccatum; ergo non contrahitur à solis illis, qui nascuntur via naturalis generationis; idem est de illis, qui nascuntur ex parentibus sterilibus, & miraculosè, ut Isaac, & Samuel, &c.

Resp. neg. conf. Nam qui opera dæmonis ita generantur, semper nascuntur ex naturali, quamvis artificiosa viri, & mulieris commixtione seminali, quia semper semen deciditur ex viro aliquo. Et ita est de sterilibus, quarum Deus miraculosè sanat sterilitatem, ut per viam communem generent, ut contigit in Sara, & Anna, & aliis.

Quæres, *an æqualiter participetur hoc peccatum ab omnibus?*

Resp. affirmativè, sc. quantum ad ipsum formale peccati, & ad principales ejus pœnas.

Ratio est, quia omnes æquè continebantur in voluntate Adæ peccantis; æquè ab eo descendunt; ergo pri-

privatio justitiæ, & gratiæ, & debitum habendæ justitiæ non est majus in uno, quàm in alio &c. ergo & quoad hæc peccatum æquale est in posteris Adæ. Dico, *in posteris*, nam sine dubio fuit gravius in illo, qui propria malitia, & voluntate peccavit.

Dices. concupiscentia non est æqualis; ergo nec peccatum.

Resp. dist. ant. Non est æqualis ratione habitus, vel temperamenti, con. præcisè ex peccato, & quoad rebellionem contra rationem, & quantùm ex se, neg. ant. Ex temperamento quidem, aut ex habitu, v. g. luxuriandi, aut irascendi, quidam proniores sunt ad luxuriam, & iram. Sed hoc non venit directè, & per se ex illo peccato, sed ad summum indirectè.

Quæres 2. *an si ab Adam nati fuissent filii, antequam caderet, participassent illi de peccato.*

Resp. Probabiliter, quòd non. Nam, ut docet August. ea peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes jam natis filiis. Et ratio est, quia non habebat in capite, neque continebat voluntates eorum, ut caput, nisi quos virtualiter continebat in lumbis; & ad hoc videtur limitatum fuisse decretum.

Dico, *probabiliter*, nam potuisset Deus etiam comprehendere natos æquè ac nascituros; sed de hoc nihil certum habemus ex Scriptura, vel traditione, nisi quòd de facto omnes peccaverunt in ipso.

Constat igitur, generationem humanam, & ordinariam per seminalem propagationem esse viam, seu conditionem, qua, & sine qua non nascuntur homines cum peccato originali. Undè Christus D. qui non ex virili operatione, aut semine conceptus est in utero virginali, sed ex solo Virginis Deiparæ puriori sanguine, Spiritu sancto operante, conceptus est, non solùm ab omni peccato alienissimus extitit de facto; sed nequidem debitum contraxit. De sanctissima autem ejus matre mox dicemus.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An aliqua pura creatura descendens ab Adamo per viam ordinariæ generationis immunis fuerit à macula peccati originalis.

HAnc quæstionem solent Theologi magis communiter agitare in tract. de Incarnatione; sed quandoquidem hæc nunc se præbet occasio, placuit non differre illius examen; quod tamen breviter expediemus; quia hodie pauci admodum restant Catholici, qui de Immaculata Mariæ Conceptione dubitent, quamvis olim, seu à tribus, aut quatuor sæculis fuerit acerrimè controversa. Nolo tamen asserere eam definitam ab Ecclesia, nec ulla nota inurere eos, qui aliter sentirent, quamvis rigorosè prohibitum sit eam impugnare, saltem publicè disputando.

Quæstio igitur est, an sicut B. Virgo per viam naturalis generationis humanæ fuit concepta, & nata, sic eandem cum aliis puris hominibus maculam peccati Adæ contraxerit de facto, an verò per divinam gratiam præventa fuerit, & in ipso reali, & primo instanti creationis, & infusionis animæ suæ, & vitæ; ita ut eomet instanti fuerit sancta, & immaculata, quo alii fiunt peccatores, & filii iræ, ac mortis æternæ. 2. An saltem debuisset macula illa denigrari, nisi hoc singulari privilegio præservata fuisset, uno verbo, an peccaverit saltem in Adamo?

Dico, *in ipso primo instanti reali suæ conceptionis*: Non enim dubitant ulli Catholici, quin sanctificata fuerit paulò post conceptionem suam, & in utero ipso S. Matris Annæ.

CONCLUSIO I.

DE *facto B. V. Deipara prorsus immunis fuit ab omni labe peccati originalis*. Est jam receptissima inter Theologos Catholicos, paucis admodum exceptis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hujus veritatis extitit acerrimus propugnator, & in ea propugnanda Doctoris sub-

[1] 3. d. 3. q. 7. A.

subtilis titulum obtinuit in famosissimis Universitatibus Parisiensi, & Coloniensi, imò & in tota Ecclesia. Hinc primò sic pro sua modestia argumentatur; *Deus*, inquit, *potuit facere, quòd ipsa* (B. Virgo) *nunquam fuisset in peccato originali. 2. Potuit etiam fecisse, ut tantùm in uno instanti esset in peccato. 3. Potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, & in ultimo instanti illius temporis purgaretur*... Quid autem horum trium, *quæ ostensa sunt, possibilium factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariæ*, sc. ut nunquam fuerit in peccato originali. Et infrà [1] magis positivè id docet, quod *B. Virgo Mater Dei nunquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis*. Et suprà id probat hoc argumento contra rationem præcipuam Thomistarum dicentium, quòd si non habuisset peccatum originale, non fuisset redempta, nec Christus Redemptor omnium fuisset. Contra, inquit, *arguitur ex excellentia Filii sui, in quantum Redemptor, Reconciliator, & Mediator; perfectissimus Mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicujus personæ, pro qua mediat. Sed respectu nullius personæ habuit excellentiorem gradum* (mediandi) *quam respectu Mariæ*; ergo, &c. Sed hoc non esset, nisi meruisset eam præservari à peccato originali. Et iisdem ferè verbis docet [2] in Reportatis. Et hoc ita feliciter propugnavit in publicis congressibus, ut prædicta Universitas Parisiensis statuerit ann. 1496. nullum ad lauream in Theologia deinceps admittendum, nisi hanc veritatem profiteretur, & nisi hac in parte Scotista esset. De quo vide doctiss. P. Magistrum Frassen. [3] Idem profitentur aliæ plures Universitates.

Prob. 2. Ex Scriptura, quæ licèt id expresè non dicat, tamen non obscurè id colligitur ex multis locis, quæ ex mente communi Patrum, & Theologorum accommodantur B. Virgini in sensu allegorico, tanquam illorum figuræ insigniori.

1. Cùm Dixit Deus serpenti; *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & tu insidiaberis calcaneo ejus*. Loquitur de Maria, quam daturus erat, ut inimicam ter-

[1] *d.* 18. 13. [2] *Ibid.* [3] *Pag.* 414.

terribilem dæmoni, qui insidiaturus erat quidem calcaneo ejus, ut eam inquinaret peccato Adæ, sed frustra id tentavit. Sic interpretantur locum illum, non tantum Lyranus noster, sed alii Patres, ut Hieronymus, [1] *Mater Domini in illa jam muliere promissa est. Hæc inimicitiis opposita est serpenti.* Ideò non dicit *pono*, sed *ponam*, &c. *illam indicans mulierem quæ salvatorem pariat, non quæ* generet fratricidam. Idem notat Cyprianus: *Non dixit pono, ne ad Evam pertinere videretur, sed ponam, id. suscitabo contra te mulierem.* Idem colligunt alii ex ratione seminis illius fœminæ, quod non potest intelligi, nisi de Christo Mariæ Filio: Ut Epiph. & Rupertus; [2] *nam ita est semen mulieris, ut non sit etiam semen viri.* Hoc supposito sic argumentor.

Deus inimicitias posuit inter Mariam, & serpentem auctorem peccati Adæ, & quidem immortales, & victrices contra ejus insidias; Sed tales non fuissent, si per unum instans Maria fuisset ab ipso victa, & illi subdita per peccatum, quo ille subjecit Adam, & posteros omnes; ergo absit, ut illa unquam per ullum instans subjacuerit illi peccato.

Confir. ex verbis sequentibus; *ipsa conteret caput tuum.* Nam, ex Augustino, *cùm subjectio peccati originalis caput sit diaboli, tale caput Maria contrivit; quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in animam Virginis, & ideò ab omni macula immunis fuit.* Sed non contrivisset illud caput serpentis, seu peccati, si eo vel per unum instans fuisset læsa, & maculata; ergo, &c.

Confir. 2. ex illis jam datis; *insidiaberis calcaneo ejus;* Nam, ut notat Rupertus [3] cit. *Ancillæ calcaneum serpens momordit* (sc. Evæ). *Tu autem filia principis benè calceata* (præmunita gratis) *caput serpentis contrivisti.* Insidiari calcaneo est tentare ex parte terrea, quale est peccatum originale, quod ex terrenis parentibus contrahitur. 2. eidem applicatur istud: *In sole posuit tabernaculum suum Altissimus.* Sol autem non priùs tempore existit, quàm luceat. Quippè, inquit, lux illa, Maria, *nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce;* ergo nunquam fuit in peccato, quo nullæ tenebræ sunt tetriores, nec horribi-

[1] *Ep. ad ægrotum.* [2] 3. *Tri.* 19. [3] *Ibid.*

ribiliores. Ad idem facit, quod dicitur, *electa ut sol.*

3. Ipse S. Tho.[1] illi aptat istud ejusdem vatis, *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*; & alii, *fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Jacob ... homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus*. Sed non esset singularis Mariæ sanctificatio, sicut illa est singulare tabernaculum, nisi sanctificata fuisset ipso primo instanti suæ conceptionis; quandoquidem alii Sancti fuerunt etiam sanctificati in utero matrum, & post conceptionem, ut Jeremias, & Joannes Baptista; ergo debuit sanctificari, antequam macularetur peccato. Certè rationes singularitatis assignantur, cùm dicitur Christus, seu *homo natus est in ea*, & quòd *ipse fundavit eam*, & quòd *fundamenta ejus in montibus sanctis*, seu *sanctitatis* (ut alii legunt) *mons quippè Maria fuit in vertice montium, quia altitudo Mariæ supra omnes sanctos* (imò & Angelos) *effulsit*, inquit S. Gregor. &, ut docet Anselmus, [2] *si Jeremias, qui in gemitibus prophetaturus erat, in vulva est sanctificatus, & Præcursor Domini Joannes Spiritu S. ex utero matris est repletus, quis differere audeat, totius propitiatorium mox in suæ conceptionis exordio Spiritus S. illuminatione destitutum?* Quomodo fundamenta illius civitatis Dei in montibus sanctis, si in peccato, sicut cæteri homines, fundata, & concepta? Quomodo *ipse fundavit eam Altissimus*, & non potiùs Adam, in luto peccati, & captivitate dæmonis? &c.

4. Plures alias illustres figuras adducit, & applicat ad rem P. Macedo; de Cherubino custode Paradisi; de scala Jacob; de stella ejusdem Jacob; de Arca Dei; de Trono Salomonis, & Templo ejus, & Domo, & Filiis; de Hestere, de Judith, de Aurora, de Virga, &c.

5. Ex novo testamento. Salutatur ab Angelo, ave sc. sine væ, quod est sine dubio peccatum Adæ, ex quo omnis maledictio, & miseria, *gratia plena*, seu undique, & nulla parte vacua; *Dominus tecum*; & nunquam sine illo, nunquàm diabolus cum illa, ut fuisset, si concepta esset in peccato. *Benedicta in mulieribus*, in quibus est maledictio. *Quod nascetur ex*

ex

[1] *3. p.q. 27. a.2.* [2] *De con. Virgin.*
[3] *3. collat. 6*

te sanctum; sc. singulare genus sanctitatis Christus traxit ex Maria, tantùm abest, ut maculam peccati præsenserit. Idem colliges ex aliis textibus apud eundem, & alios auctores. Nobis sufficiant isti.

Prob. 3. ex Conciliis, quæ licèt non dicant hoc definitè, tamen satis approbant, ut cuilibet pio Christiano id suadeant, dum absolutè, & sine restrictione immaculatam docent: Ut cùm in VI. Synodo in approbatione epistolæ Sophronii dicitur, *sancta*, *& ab omni contagione liberata & corporis*, *& animæ*, *et intellectus*. Et in VII. ad Epist. Tharasii, ubi dicitur *irreprehensibilis*, *et immaculata*, &c. quod idem Concilium docet, sc. *duas naturas incarnari propter nos ex immaculata Virgine M. confitemur*; sed non diceretur *immaculata*, si unquam contraxisset labem peccati actualis, vel originalis, & hoc tam de præterito, quàm de præsenti; alioqui omnes beati dicerentur etiam immaculati. Et in Basileensi, *Nos*, inquit, *diligenter inspectis auctoritatibus*, *et rationibus*, *quæ jam à pluribus annis .... doctrinam asserentem gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam præveniente*, *et operante divini numinis gratia singulari*, *nunquam actualiter subjacuisse peccato originali*, *sed immunem semper fuisse ab omni originali*, *et actuali culpa*, &c. Quod licèt ut definitum [1] canonicè non admittamus, non levis tamen est ponderis, saltem considerantes illos Patres, & Doctorem.

Habemus præclarum opus Joannis de Segovia Canonici Toletani, & Episcopi Cæsarini, qui à Cardinali Arelatensi præside Concilii deputatus fuerat pro informatione Patrum circa SS. Virginis Immaculatam Conceptionem, ejusque præservationem à peccato originali in primo suæ animationis instanti, cujus materiæ definitionem instanter postulabant Patres Dominicani. Ille autem Doctor exposuit Concilio septem allegationes, & totidem avisamenta pro tali informatione, in quibus piam sententiam constanter defendit, & concludit pro necessitate hujus veritatis definiendæ; & tandem colligit aliquot miracula facta in favorem eorum, qui ex devotione hujus mysterii Mariam Dei genitricem invocarunt.

Anno 1457. Petrus de Fluxo Cardinalis in Concilio Pro-

[1] *Sess. 36.*

Provinc. Avenionensi præcepit observantiam Præfati Decreti Basileensis, prohibens sub pœna excommunicationis, ne quisquam aliquid in contrarium prædicare, vel disputare præsumat publicè, & quidem ipso facto.

Denique Concilium Trident. Postquam definivit omnes in Adam peccasse, juxta illud, *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, tandem subjungit: *Declarat S. Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, et Immaculatam Virginem Dei genitricem, sed observandas constitutiones Sixti IV.* &c. Vides Concilium, quamvis non definiat, tamen dicit eam esse *Immaculatam*. Quod sufficit, ut sciamus hoc esse de illius mente.

Prob.4. Ex decretis SS. Pontificum. [1] Et 1. præfati Sixti IV. an.1476. quo approbat missam, & officium Conceptionis, ordinata per Magistrum Leonardum de Negarolis Clericum Veronensem, & Notarium Papæ. Et per aliud an.1482. quo reprobat libros, quibus improbatur sententia, & celebratio festivitatis ejusdem Immaculatæ Conceptionis, aut id in prædicationibus verbi Dei, aut aliter præstiterint, aut libros eas censuras continentes legerint, sub pœnam excommunicationis, & æternæ damnationis. Alexander VI. & Pius V. [2] prohibent, ne in alterutram partem publicè disputetur, aut vulgari sermone scribatur, vel dictetur. Paulus V. an.1617. idem ferè statuit. Et Gregor. XV. [3] an.1622. extendit hoc ad colloquia, & scripta privata, ita ut nullus audeat asserere, quòd eadem Beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali; nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, aut tractare, nisi ex indulto Apostolico, & speciali, quale est illud, quo permittit PP. Dominicanis, ut in privatis colloquiis inter se duntaxat possint de opinione affirmativa disserere, non dicit *asserere*. Quamvis nec iste, nec alii Pontifices prætendant illi opinioni præjudicare.

Adde alios Pontifices, qui ordinem monialium sub titulo Immaculatæ Conceptionis approbarunt: Ut Innocentius III. an. 1484. & Julius II. circa an.1503. & Leo

[1] *B. præexcelsa.* [2] *B. illius qui.* [3] *B. sup. specula.*

Leo X. aut varias Confraternitates cum indulgentiis ad augendam devotionem erga eandem Immaculatam Conceptionem in omnibus ferè civitatibus erexerunt, & novissimè in hoc conventu Camberiensi; aut indulgentias concesserunt pro celebrantibus festum ejusdem, & præsentibus ad officia divina ejusdem diei, aut festum diem illum celebrari permiserunt in tota Ecclesia, quod non permisissent, nisi sensissent, Conceptionem illam fuisse puram, & sanctam; nam ex D.Th.[1]non celebratur festum in Ecclesia,nisi pro aliquo sancto, unde infert, quòd quia celebratur festum Nativitatis B. Mariæ V. in ipsa sua Nativitate fuit sancta, ergo fuit in utero sanctificata.

Notant autem aliqui graves auctores festum Conceptionis celebratum in Ecclesia non tantùm à tempore Xysti IV. sed etiam à tempore S. Marci Evangelistæ in Ecclesiis Ægypti celebrari solitum fuisse, & apud Abyssinos, &c. Vide apud P. Frassen.

Dices, hoc festum non fuisse institutum ante tempora D.Bernardi; quandoquidem de hoc arguit acriter Canonicos Lugdunenses, quia illud celebrabant; ergo nihil inde colligitur pro hac veritate.

Contra. Nam omissis, quæ multi dicunt de hac Epistola Bernardi, quam alii putant suppositititiam, alii in varios sensus detorquent, dico cum Merlono Horstio in annotationibus, quòd Bernardus non tam arguit opinionem de Immaculata Conceptione, quàm institutionem illius solemnitatis inconsulta sede Apostolica, & ex propria auctoritate; ideò sub finem protestatur, se totum reservare Romanę præsertim Ecclesiæ examini, & authoritati. Et sic aliter sentiret à tempore Xysti IV. &, ut dicit idem scriptor, non nutabit, aut corruet Immaculata Conceptio tot columnis jam subnixa, si Bernardi non fulciatur patrocinio. Plures alii Sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores, ipse Augustinus, Hieronymus, aliique nonne plerasque tenuerunt sententias, à quibus hodie Theologorum scholæ, & Ecclesia dissentiunt?

Prob. 5. ex SS. PP. quorum auctoritates per singula sæcula ordine chronologico videbis apud Cavellum

[1] 3.p.q.27.a.1.

in suo Rosario, in appendice ad 3. sententiarum Scoti, Unum, aut alterum seligam. Nam D. Andreas Apostolus fertur dixisse, quòd B. V. ex cujus carne formatus est Christus, fuit *terra virginea nunquam maledicta*. Et in Liturgia Sancti Jacobi dicitur. *Sanctissima, Immaculata, super omnes benedicta, & omnibus modis irreprehensa*. Et à S. Ignatio dicitur, *in Maria humanæ naturæ natura sanctitati Angelicæ sociatur*. Origenes dicit, quòd *neque persuasu serpentis decepta, nec ejus venenosis afflatibus infecta est*; quod canimus in ejus officio approbante Ecclesia, quæ, & similia, imò & verbis formalioribus reperies apud alios ibidem, & apud P. Frassen.

Non omittendus S. Patriarcha Dominicus. Idem fermè dicit, quod S. Andreas: [1] *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus; ita decuit in 2. Adam fieri, sc. Christo, cujus terra, id est Mater virgo, nunquam fuit maledicta*. Nec S. Bonaventura, quem aliqui citant in contrarium. *Solus filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa Mater ejus Virgo: credendum est enim, quòd novo sanctificationis genere in ejus sanctificationis primordio eam à peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia præservavit*.

S. ipse Thomas, quem suæ sententiæ protectorem profitentur adversarii, non leviter favet huic nostræ, & inter alia loca Doctoris Angelici citatur. 1. iste ex 1. sententiarum, [2] *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit*. Nihil clarius: Et alibi, [3] *nulli datum est ex se vitare peccata, nisi soli Christo, qui habuit Spiritum S. non ad mensuram; & B. Virgini, quæ fuit gratia plena, & in qua nullum peccatum fuit, sicut dicit Augustinus, de qua, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem*. Si nullum habuit peccatum; ergo nec originale, quod clariùs docet [4] opus-

[1] *De cor. chr.*
[2] *d. 34. q. 2. a. 3. ad 3.*
[3] *Opus. 7.* [4] *Opus. 8.*

opusculo sequenti. *Ipsa Sanctissima Virgo purissima fuit quantum ad culpam; quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*. Turrecremata dicit, se in multis exemplaribus hujus opusculi non invenisse particulam (*nec originale*) sed hoc doctè, & solidè impugnat P. de Alva; [1] congerit autem iste auctor 28. auctoritates S. Thomæ, quas afferunt adversarii contra nos ex S. Thoma, & 100. quibus nobis favet, & illas impugnat, istas verò propugnat. Hæc videre non pigebit in illo opere, quod inscripsit *solem veritatis*, &c. Imo & plures Thomistæ sustinent S. Thomam nihil scripsisse contra Immaculatam Conceptionem, quos citat P. Macedo, & addit innumeros P P. Dominicanos; affert etiam decreta aliquorum Magistrorum generalium ejusdem ordinis, & capituli Beneventani, quo graviter prohibetur loqui publicè contra hanc Immaculationem, & ex Joanne à S. Thoma, post alios, & insigni Thomista, qui testatur, quòd sancti Doctoris calamum in hac re divina providentia temperarit, ne in particulari aliquid scriberet, quod præsenti Ecclesiæ statui, *& sensui, quem habuit circa virgineum conceptum, contradicere posset*. Nam cum in generali loquitur S. Thom. de peccato originali, neminem ab eo excipit; sed cùm in particulari descendit ad Mariam, nusquam censuram apposuit; nunquam proponit quæstionem directè. Alios PP. & DD. prætermitto, quia sunt innumeri.

Probatur 6. rationibus Theologicis, ex Scoto, & ex aliis, & quidem breviter. 1. quia recta ratio dictat, meliùs esse Mariam præservari ab omni peccato, etiam originali, quàm mundari ab ipso, id enim magis honestum, & gloriosum; ergo ita fecit Deus; quia, ut docet Augustinus. [2] *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium auctorem*, & S. Thomas [3] *natura fecit, quod melius est, multo magis Deus*.

2. Aut Deus potuit, & noluit, aut voluit, & non potuit præservare illam ab originali, si potuit, & noluit; ergo avarus in eam fuit, si voluit, & non po-

[1] *Sol. verit. ligno. 5. radib. 82.*
[2] *3. de lib. ar. 5.* [3] *1. p. q. 4. q. a. 3.*

potuit, infirmus fuit; certè nullus est, qui possit honorare matrem, & nolit.

3. Perfectissimæ creaturæ humanæ debebatur perfectissima redemptio, & gratia; sed B. Virgo est perfectissima creatura humana, & redemptio, & gratia præservativa à peccato est perfectior, quàm relevativa, seu sanativa, seu mundativa; ergo Deus matrem suam non sanavit, sed præservavit ab omni peccato, etiam originali ex gratia Redemptoris.

Confir. ex D. Anselmo. *Decuit Virginem Dei Matrem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequeat intelligi*; ergo non debuit carere puritate ab originali.

4. *Fuit gratia plena*, inquit Angelus, *in Mariam totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit*, inquit Hieronymus. *Et ideo Immaculata, quia in nullo corrupta*; ergo nulla gratia illi defuit; nulla macula illi infuit; & maximè illa macula, & nota servitutis originalis.

5. Sicut dedecus Matris redundat in filium, juxta illud, *Dedecus filii pater sine honore*, sic macula peccati originalis in matre æquè ad minùs ac actualis redundasset in Christum Mariæ filium; ergo Deus non debuit illam maculam permittere in matre Filii sui, &c. Alias prætermitto, ne longior sim.

Objic. 1. ex Scriptura, & Patribus, *in Adam omnes peccaverunt*, inquit Apostolus. Ideò inquit S. Leo Papa; [1] *sicut à reatu nullum liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*. Et Origenes affert hos textus Scripturæ; [2] *nemo mundus à sorde*; &, *in iniquitatibus conceptus sum*. Nam inquit, *omnis, qui ingreditur hunc mundum in quadam contaminatione effici dicitur ... hoc ipso; ergo quod in vulva matris est positus, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit in patre, & matre, contaminatus dici potest*. Et alibi docet, *quia solus Christus est sine peccato .... constat reliquos omnes fuisse sub peccato* &c. ergo Maria fuit sub illo peccato.

Respond. neg. conf. nam 1. locus dicit, quòd omnes peccaverunt in Adam, non quòd de facto maculam peccati ejus in se habuerint, sed quòd habere deberent, nisi per gratiam Dei præservarentur, ut B. Virgo; & sic S. Leo vult, quòd Christus nullum libe-

[1] *Ser. de nat. Dom.* [2] *Ho. 8. & 12. Levit.*

liberum reperit à reatu contracto, vel contrahendo, & venit ad liberandos omnes à reatu contracto, ut nos omnes, vel contrahendo, ut SS. Matrem suam. In 2. textu loquitur de immunditia legali ex partu, & hanc non potuit agnoscere in Maria, quæ non peperit suscepto semine, sed ex operatione Spiritus Sancti. In 3. loquitur de peccato actuali, & sic excipiendo solum Christum sequeretur, Mariam non fuisse immunem à peccato ne actuali quidem; quod nemo dixerit, & est contra Concilium Trid. cit. loquitur etiam de materiali peccati, & debito peccati incurrendi ex vi generationis ordinariæ ab origine paterni seminis, & sic Maria fuit genita, & accepit materiale peccati, sc. naturam communiter genitam, quæ maculanda erat formali macula peccati, nisi præservata fuisset per gratiam, & ita intelligendi sunt alii Patres.

Objic. 2. ex August. [1] *Maria ex Adam mortua propter peccatum; Adam mortuus per peccatum, & caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.* Igitur Maria tulit pœnam peccati, sc. mortem; ergo & peccatum habuit; alioqui non debuisset mori. Et alibi, [2] *Solus ergo ille homo factus Deus homo peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de natura* (Cajetanus legit de materna carne) *peccati*; ergo omnes alii habuerunt peccatum. 3. docet, quòd caro Christi non fuit caro peccati, sed similis, quia non fuit concepta de Maria, *quomodò fuerat illa concepta*; ergo caro Mariæ, quæ fuit concepta sicut alii peccatores, ita & fuit caro peccati.

Resp. neg. conf. Nam ex illis locis sequitur tantùm, quòd Maria non fuit immunis à peccato eodem jure, quo Christus; ille siquidem non debuit maculari, nec egebat gratia præservativa, ut Maria, nec liberativa, ut alii; quia, ut dicebamus ad Origenem, caro ejus non fuit formata, ut carnes aliæ; benè verò caro B. Virginis. Quod ipse Augustinus docet, *Ratio conceptionis ejus non à semine virili, sed aliter, ac desuper venit.* Igitur differentia inter Christum, & Mariam est, quòd hæc peccavit in Adamo, non ille, quòd autem mortua sit, non sequitur, quòd habuerit peccatum, nam, in-

L 3 quit

[1] *in ps.* 34. *p.* 2. [3] 2. *bapt. par.*

quit Scotus, potest mediator reconciliare aliquem, ut auferantur ab eo pœnæ inutiles, & relinquatur in pœnis utilibus. Originalis culpa non fuisset utilis Mariæ; pœnę temporales tamen fuerunt utiles, quia per eas meruit. Christus ipse fuit passibilis, & mortalis, nec tamen peccavit. Deus præservavit Mariam à culpa; non à totali pœna, quia hæc illi erat utilis, & quia peccaverat in Adamo.

Per hæc respondetur ad auctoritates alias ex aliis SS. Patribus, nam alii loquuntur de carne peccati quoad 1. conceptionem ex commixtione seminum maris, & fœminæ ante animationem; nam tunc, & ex eo capite caro Mariæ est caro peccati, sicut nostra. Alii solùm Christum dicunt esse sine peccato, sc. ex vi suę conceptionis sine virili semine.

Objic. 3. Rupertus illam inducit loquentem cum Psalmista. [1] *Veraciter dicere poteras, ecce in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me mater mea; cùm enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas*. Et Ansel. *Licèt ipsa Christi conceptio munda sit, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, unde assumptus, in iniquitatibus concepta est ... & cum originali peccato nata est; quoniam & ipsa in Adam peccavit*. Et S. Antonius Paduanus scribit in quodam sermone de B. V. quòd *fuit in utero matris à peccato per gratiam sanctificata, & sine peccato nata*. Et S. Bernardinus [2] distinguit triplicem sanctificationem, & ait, *Tertia fuit sanctificatio maternalis, et ista removet culpam originalem, & hęc fuit in Virgine matre*; ergo ex illis Patribus Maria fuit in peccato originali concepta.

Resp. neg. cons. Nec enim id volunt illi Patres. Rupertus loquitur de peccato materiali, quod consistit in motibus concupiscentiæ carnalis quoad conceptionem corporis, non autem de formali, quod contrahitur in instanti infusionis animæ. Quod colligitur ex illis verbis ejusdem; *non fueras experta* (in conceptione activa Christi) *vitium hujus sæculi, vinum voluptatis carnalis*, &c. 2. Anselmus autem non sic loquitur, sed quidam ejus discipulus interrogans Magistrum; non sic resolvit Magister, ut patet

[1] 1. *can.* [2] *Ser. de S. Jo. Bapt.*

patet legenti. 3. Sancto Antonio malè ascribitur ille sermo, qui est potiùs S. Antonini Florentini, ut notat P. de Alva in Sole veritatis; [1] imò affert plura loca, in quibus Antonius eam ubique vocat Virginem Immaculatam, ut in Sermone Parasceves, & à peccato immunem; & 4. cùm S. Bernardinus [2] rectè dicit *gratiam, seu sanctificationem maternalem removere peccatum originale*, facit pro nobis. Nam *removere* idem est, ac *impedire*, *ne accidat*, & ne adsit, ut adfuit in sanctificatione Joannis, alioqui sanctificatio Mariæ non differret, cùm & ille sanctificatus fuerit in utero, & post animationem, licèt non tam cito, quàm Mater Dei; hoc enim non faceret differentiam notabilem inter illas duas sanctificationes, differrent purè quoad magis, & minus temporis. Ideò notat triplicem gratiosum B. Virginis statum, 1. Conceptionis, 2. Nativitatis, 3. Annunciationis. 1. sc. ejus Conceptionis dicit esse sicut Solem; ergo sicut Sol non priùs est, quàm luceat, ita censet Mariam conceptam cum lumine gratiæ sanctificantis, non verò cum tenebris peccati.

Objic. 3. B. Virgo priùs filia Adæ fuit, quàm sanctificata, ergo & prius in peccato, quàm in gratia.

Resp. dist. ant. & conseq. Priùs natura, conc. priùs tempore, neg. ant. & conseq. ex illa prioritate naturæ sequitur tantùm, quòd peccavit in Adamo, & quòd habuisset peccatum in 1. instanti temporis suæ animationis; non autem quòd de facto illud habuerit.

Inst. In illo priori naturæ non habet justitiam originalem; ergo habet peccatum, aut saltem intelligitur habens illud.

Resp. neg. conseq. Sequitur enim tantùm, quòd posset illud habere, nisi præveniretur, non autem quòd de facto habeat.

Objic. 4. B. Virgo egebat redemptione, sicut alii omnes filii Adæ; & Christus est verè redemptor ejus; sed hoc non esset verum, nisi habuisset peccatum saltem originale; ergo habuit. Prob. min. ex Evangelio, *non est opus benè habentibus medico*. Et Papa Zozimus dicit, quòd, *nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuit captivus*. Ep. 157. apud August.

L 4 Resp.

[1] *p* 4. *tit*. 25. *c*. 6. [2] *Ser*. 1. *Dom*. 5. *Pentec*.

Resp. neg. min. & dist. ant.prob. Benè habentibus ad sanitatem recuperandam, con. quia jam habent illam, ad morbum, & mortem vitandam, neg.ant. & conf. Maria in sua animatione casura erat in peccatum, & mortem, & ideò egebat redemptore, & gratia præservatrice, non verò sanatrice, & cum hæc gratia sit singularis, & longè major, ideò Christus est singulariter, & maximè redemptor ejus.

Inst. Licèt Angeli habuerint gratiam, qua steterunt ex meritis Christi, tamen illi non dicuntur redempti, nec ille redemptor; ergo ita esset de Maria, quamvis illi meruisset gratiam præservatricem.

Resp. neg. conf. Et disparitas est, quia Angeli non contraxerant debitum, nec servitutem in ullo capite suo: poterat ex se non cadere, & de se nascebantur liberi à peccato; sed Maria peccaverat in Adam, in quo contraxerat servitutem, & incurrebat illam, nisi præservabatur; ideò anticipatè redempta est, sc. eo ipso instanti, quo erat casura in captivitatem diaboli, ac peccati Adæ.

Inst. 2. Christus non diceretur aperuisse Cœlum B. Virgini, sicut cæteris hominibus, nisi illa habuisset peccatum, sicut & illi; ideò si obiisset ante Ascensionem Filii intrare debuisset Cœlum, quandoquidem non fuerat clausum, nisi propter illud peccatum. Sed conf. est falsum, quia Cœlum non fuit apertum, nisi per Christum triumphantem; ergo &c.

Resp. neg. maj. & rationem ejus, nam clausura Cœli erat pœna peccati, & Deus potuit præservare matrem suam à macula peccati, reservatis aliquot pœnis, ut contigit ipsis Patriarchis, quibus dimissa erat culpa tam originalis, quàm actualium peccatorum, & pœna damnationis æternæ, non autem pœna dilationis aperturæ Cœli, & aliæ plures, quæ ut dicebamus cum Scoto, possunt esse utiles redemptis ad meritum. Deus voluit præservare illam à labe peccati originalis, & à pœna æterna, non ab aliis, quia erat filia Adæ peccatoris, & in ipso peccaverat, & contraxerat debitum pœnarum ejus.

Pro coronide hujus celeberrimæ quæstionis notanda sunt decreta plurium Universitatum, quibus jubentur profiteri hanc piam doctrinam omnes

qui

qui admittuntur ad Lauream doctoralem, & quidem solemni juramento. Pro omnibus sufficiat Alma Universitas Parisiensis, quæ an. 1497. 23. Augusti admittit decretum Concilii Basileensis his verbis, ut habemus apud P. M. Claudium Frassen. *S. Synodi decretum cum omnium Ecclesiarum, tum etiam totius populi Christiani judicio, consensu, ac religione comprobatum, confirmatumque videamus, non possumus quorundam vanam, superbam, temerariam, insanamque obstinationem non admirari; non indignè, molesteque ferre, qui hoc nostro adhuc tempore ejusmodi piam, ac religiosam doctrinam Universalis Synodi, & Ecclesiæ, quæ juxta promissionem* (divinam) *errare non potest, judicio, authoritateque probatam, aut impugnare, aut in dubium revocare non verentur, implacabile, impiissimumque bellum adversus piissimæ Dei Genitricis eximiam dignitatem gerentes. quorum furori, ut alacrius, fortiùsque occurramus .... majorum nostrorum vestigia sequentes universi tertiò congregati, post multam, gravem, & maturam deliberationem, in ejus piissimæ doctrinæ, quæ Beatissimam Dei Matrem ab originali peccato, Dei singulari dono, fuisse præservatam affirmat, quamque jmpridem veram credidimus, & credimus, defensionem, ac propugnationem speciali Sacramento conjuravimus, nosque devovimus, statuentes, ut nemo deinceps sacro nostro huic Collegio adscribatur, nisi sese hujus doctrinæ assertorem, strenuumque propugnatorem semper pro viribus profiteatur. Quòd si quis ex nostris, quod absit, ad hostes Virginis transfuga, contrariæ assertionis, quam falsam, impiam, & erroneam judicamus... patrocinium quacumque ratione suscipere ausus fuerit, hunc honoribus nostris privatum, atque exauthoratum à nobis, & consortio nostro, velut Ethnicum, & Publicanum procul abjiciendum decrevimus*, &c. Vide aliarum Universitatum decretum, & formulam juramenti apud præfatum Doctorem Parisiensem. Nobis istud sufficiat.

QUÆSTIO V.

An Beata Virgo immunis esse potuerit, vel fuerit à debito contrahendi peccatum originale.

JAm constat ex dictis per transennam in præcedenti, quid hic resolvendum sit juxta Scoti mentem; quia tamen de hoc non conveniunt omnes Theologi defensores Immaculatæ Conceptionis, nequidem Scotistæ, ideò visum est paulò accuratiùs examinandum.

Distinguenda sunt autem peccatum originale, & debitum ejus; illud est reatus, & macula inhærens animæ ab ipso instanti creationis, & infusionis ejus in corpus, per quam redditur formaliter rea mortis æternæ, & inimica Deo, & captiva diaboli: istud verò est obligatio contrahendi reatum, & maculam illam, quæ obligatio fundatur in transgressione Adami nomine nostro, quatenus ex lege divina erat caput omnium posterorum suorum per viam generationis naturalis descendentium, nisi Deus id impediat.

Rursùs debitum illud est proximum, vel remotum. *Proximum* est obligatio orta ex concursu omnium conditionum requisitarum ex illa lege; sc. quatenus homo est ex iis, qui comprehenduntur sub lege illa communi imposita Adamo pro ejus posteris via generationis naturalis ab eo descendentibus, nisi, ex speciali privilegio, & gratia dispensetur: *Remotum* verò est illud, quod incursurus esset ille homo, nisi fuisset à lege exceptus. Sic B. V. habuisset debitum.

Remotum, si quando Deus legem tulit, qua obligavit Adam, ne comederet de ligno sub pœnam amittendæ justitiæ originalis pro se, & suis descendentibus, si Deus, inquam, excepisset ab ea lege B. Virginem, quam destinabat Matrem Christi Redemptoris, habuit verò debitum *proximum*, si ab illa lege communi non fuit exempta, sed, sicut nos, fuit in ea comprehensa; quamvis deinde per novam gratiam fuerit ab illa actuali labe præservata. Et de utroque debito est præsens quæstio.

Suppo-

Suppono etiam, quòd in sententia Scoti, decretum primarium Incarnationis Verbi præcessit decretum permissionis peccati, & redemptionis, ita ut venturus esset Christus in carne impassibili Adamo non peccante; sicque B. Mater ejus non incurrebat debitum peccati ex vi prioris illius decreti, sed supposita prævisione peccati, atque legis divinæ, ex vi cujus posteri Adæ participes futuri erant ejus peccati, ita ut voluntas Mariæ non fuerit contenta in voluntate Adæ peccantis, nec ille hac in parte fuerit ejus caput, aut procurator: potuit ab illa lege excipi, vel sub illa non comprehendi; id enim pendebat à pura Dei voluntate. Quæritur autem, quid de facto, vel de possibili dicendum sit.

CONCLUSIO.

P*Otuit Deus excipere B. Virginem à debito saltem proximo peccati; probabile tamen est, eam non fuisse exceptam, & per consequens eam peccasse in Adamo*. Est satis communis.

Prob. 1. ex Scoto, qui auctoritates Scripturæ, & Patrum, quibus impugnatur sanctitas conceptionis Mariæ, explicat de illo debito: *Quilibet filius Adæ naturaliter est debitor justitiæ originalis, & ex demerito Adæ caret ea, & ideò omnis talis habet, unde contrahat peccatum originale. per illud patet ad rationes factas pro 1. opinione* (qua asseritur conceptio maculata) *quia Maria maximè indiguisset Christo ut Redemptore. Ipsa enim contraxisset originale peccatum ex ratione propagationis communis, nisi fuisset præventa per gratiam Mediatoris*, &. . . *concedo, quòd priùs naturaliter fuit filia Adæ, quàm justificata*, quia illam naturam *in 1. instanti naturæ sic conceptam consequebatur esse filiam Adæ, & non habere gratiam in illo instanti naturæ*, &c. ergo ex Scoto, B. Virgo habuit debitum, etiam proximum, peccati originalis, & peccavit in Adamo; de possibilitate autem non video, quid senserit.

Prob. 1. p. Nec enim in hoc apparet ulla repugnantia, nisi prætendatur, quòd si excepta à lege, non fuisset redempta; sed hæc ratio nulla est; ergo nec repugnantia; maj. patet ex adversariis, qui eo præ-

textu negant id potuisse fieri; Prob. min. 1. quia illa exceptio in decreto Dei de inclusione voluntatum omnium posterorum Adæ in ejus voluntate quoad transmissionem justitiæ, aut peccati potuit fieri intuitu meritorum Christi prævisorum, in nostra sententia de Christo venturo Adamo non peccante; 2. quia sufficeret ad Redemptionem, quòd B. Virgo habuerit omnes alias gratias suas ex meritis Christi, & maximè præservationem ab aliis peccatis, & 3. quia licèt de facto Christus fuerit etiam Redemptor Matris suæ, non tamen id ita necessarium est, ut implicaret, rem aliter esse de Maria potiùs, quàm de Angelis, aut aliis creaturis possibilibus.

Prob. 3. Quia in nostra sententia de Christi decreto ante prævisionem peccati, in illo signo priori, quo decernebatur Incarnatio Verbi, decernebatur etiam Matris ejus futuritio cum omnibus dotibus decentibus ejus dignitatem; ergo decernebatur cum immunitate ab omni prorsus peccato, & cum plenitudine omnis gratiæ, & ponebatur, aut poterat poni extra ordinem cæterorum hominum, ita ut nullus purus homo constitueretur caput illius, quamvis esset generanda ab homine, sicut alii: & illud decretum præcedens in favorem Mariæ potuit non revocari pro illa per posterius, quo Deus voluit constituere Adamum caput totius reliqui generis humani; sed tunc illa non peccasset in Adamo; ergo potuit non peccare, seu potuit eximi ab illo debito peccandi.

Confir. Nam sicut Deus de facto limitavit decretum transmissionis peccati ad illos solos, qui per seminalem generationem viri, & mulieris descenderent ab Adamo, & ita Christus D. quamvis descendat ab illo per matrem, & avos, non contraxit debitum peccandi; ita potuit etiam limitare idem decretum, ut non comprehenderet fœminam, quæ talem hominem virgineè paritura erat; in hoc enim nulla apparet repugnantia; ergo &c.

Prob. 2. p. 1. ex Scriptura; nam Apostolus dicit, quòd *Justitia Dei per fidem I. C. in omnes... non est enim distinctio, omnes enim peccaverunt.* Et, *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertransiit,* in

in quo omnes peccaverunt, sc. in illo uno, sc. in Adam, & quidem sine distinctione quoad debitum, non autem actu, quia B. V. fuit præservata ab actuali casu, & macula in se, sed non in Adam.

Prob. 3.p. 1. Quia, ut dicebamus ex Scoto, omnes auctoritates Scripturæ, & Patrum, [1] quibus asseritur immunitas Mariæ à peccato, sufficienter salvantur per hoc, quòd actu non fuerit maculata in se; & illæ, quibus hoc privilegium impugnatur, non ita facilè solvuntur, nisi admittatur, eam peccasse in Adamo. 2. quia si non sit certum, saltem de fide, quòd fuerit præservata ab actuali macula in puncto animationis suæ, longè minus certum est, eam fuisse exceptam à lege communi, qua omnes peccarunt in Adamo. 3. quia in eo instanti non indiguisset gratia præservatrice; sed purè sanctificante, imò nec ista, quia sine ista adhuc non concipiebatur in peccato, sed in statu puræ naturæ, quandoquidem non hæreditabat nec justitiam, nec peccatum ab Adamo. 4. quia si antecedenter ad legem de transmissione justitiæ originalis, Maria excludebatur ex massa perditionis, difficile est explicare, quomodo fuit redempta per Christum; nam redemptio vera supponit captivitatem actualem, aut saltem proximè imminentem; nec enim propriè diceteris redemisse à captivitate hominem, quem retinuisses, ne iret ad bellum, in quo reliqui milites captivi facti sunt. 5. denique quia nullo firmo fundamento ex Scriptura, vel Patribus talis exceptio à lege communi de peccato in Adam asseritur, ut patebit solutione objectionum.

Dixi autem, *probabile illud esse*: nec enim oppositum caret probabilitate, saltem extrinseca ob multitudinem, & gravitatem auctorum eximentium Beatam Virginem à debito illo proximo incurrendi maculam illam, & inter illos adsunt aliqui ex nostris Scotistis, [2] ut Macedo, Erinx, & Vulpes noster, qui dicit, Scotum non dixisse eam contraxisse debitum illud, nisi ob reverentiam SS. Patrum, & supponit ordinem hypostaticæ unionis absolutè, ac simpliciter supremum, ad quem ordinantur omnes alii infe-

[1] *Ro.* 3. & 5. [2] *Colla.* 3. 6. *differ.* 3. *S.* 4. & *a.* 6. *n.* 7. *To.* 22. *d.* 72. *a.* 9. *n.* 13.

inferiores gloriæ, gratiæ, & naturæ, quatenus tota natura subordinatur gratiæ, tota gratia gloriæ, & tota gloria unioni hypostaticæ.

Objic. 1. con. 1. p. B. Virgo fuit verè, & propriè redempta per Christum, & per illum ut Mediatorem reconciliata Deo; sed neutrum dici posset, nisi saltem per ipsum fuisset præservata à culpa actuali, in quam debebat cadere ex lege communi data Adamo; ergo sic debebat cadere. Maj. patet tum ex omnium sensu, tum ex Scriptura, qua dicitur, Christum dedisse *semetipsum redemptionem pro omnibus*. Et ipsa eum agnoscit, ut salvatorem: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. Prob. min. nam Redemptio supponit captivitatem, & inimicitiam actualem, aut saltem possibilem & proximè futuram: sed neutro modo Maria fuisset captiva, nec inimica, ergo &c.

Resp. neg. min. & maj. prob. nam sufficit futuritio certa captivitatis, & inimicitiæ incurrendæ, sive proximè, sivè remotè; & id contigisset in Maria, si lege transmissionis justitiæ, & peccati fuisset excepta, quando imponebatur Adamo.

Objic. 2. Decreta Dei sunt immutabilia essentialiter; sed per decretum Dei includebatur in lege peccati, & peccare debebat in Adamo; ergo non poterat aliter decerni; alioqui decretum Dei fuisset mutatum, quod repugnat.

Resp. dist. min. Per decretum divinum de facto positum, con. per decretum aliud possibile, neg. min. & conf. nam sicut Deus liberè decreverat, ut omnes descendentes ab Adam per viam generationis ordinariæ subjacerent legi impositæ illi de transmissione justitiæ, vel peccati in posteros sic generandos sine exceptione; ita liberrimè poterat aliter decernere, & eximere, quos voluisset.

Objic. con. 2. p. B. V. electa fuerat Mater Christi ante prævisionem peccati Adæ, & independenter à lege illa transmittendæ justitiæ originalis, & ante prævisionem peccati; ergo non continebatur sub illa lege; ergo non debuit subjici ei quoad peccatum. Patet ant. ex Scoto. Nam Christus venturus erat in eadem humanitate, quam habet jam, licèt Adam non peccasset; ergo & jam B. Virgo electa erat in matrem

trem ejus, & in plenitudinem gratiæ, & posita extra ordinem cæterorum filiorum Adæ, nempè electa ad ordinem hypostaticum, qui est supra omnem ordinem naturæ, & gratiæ; nec debuit, vel potuit erga illam mutari decretum illud primum propter peccatum Adæ. Prob. autem conf. ex Scriptura; nam Maria Deipara figurata fuit per Estherem Reginam, cui dicitur; *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*; sc. lex, quæ communis erat, nec debuit tangere Reginam, quæ erat extra ordinem communem; ergo &c.

Resp. neg. utramque conf. nam in 1. decreto, seu 1. parte decreti de Christo venturo, nihil decernebatur, quod impediret Mariam includi in omni pacto statuendo circa Adam.

Eligebatur ex posteris illius patris communis, & in 2. signo, quo decreta fuit incarnatio passibilis ob prævisum peccatum, nihil substantiale innovatum est circa Mariam; semper electa est Mater inter filias ejusdem Adæ cum solo decreto præservandi eam à macula actuali, quam incurrunt alii, per gratiam singularem; nec quidquam hoc derogat elevationi ejus ad quemcumque ordinem gratiæ, vel etiam unionis hypostaticæ, in quocumque sensu ad illum pertineat, de quo non est quæstio. Ad Scripturam autem vides Assuerum non dicere Estheri [1]; *non debes mori*; sed; *non morieris*; *non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*, id est lex est quidem generalis, sed tu es privilegiata, & privilegio gaudebis.

Objicies 2. ex Anselmo; *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi*. Et ex Scoto, convenit Deo excellentissimus Redemptionis modus: sed major esset puritas Mariæ, & nobilior modus redemptionis ejus, si non tantùm ab actuali macula, sed etiam à debito eam habendi præservata esset; ita, ut nequidem in Adamo peccasset; ergo ita dicendum est. Prob. min. nam eò major est puritas, & sanctitas animæ, quò magis distat à peccato; & eò nobilior est modus redemptionis, quò magis præservatur à periculo, vel debito cadendi in servitutem; sed magis distaret Maria à peccato, si non peccasset in Ada-

[1] *Esther.* 15.

Adamo, & si non debuisset maculari ejus peccato; ergo &c.

Respondeo neg. min. & maj. prob. Nam quò major est gratia, eò major est gloria Redemptoris, & redempti: major autem est gratia, quòd non tantùm à remota, sed etiam ab imminente, & proxima captivitate ex Christi meritis fuerit præservata.

Resp. neg. 2. eandem min. nam si ex una parte illa exceptio à lege transmissionis justitiæ originalis, vel peccati erat favorabilis Mariæ, quatenùs non periclitabatur Adámo peccante, tamen ex alia erat minùs favorabilis, quatenùs illo perseverante in justitia, hæc excludebatur ab illa hæreditate paterna.

Quæres, an *si B.V. fuisset mortua ante passionem, vel ascensionem Filii, nihilominus fuisset ingressa Paradisum*.

Resp. Cum Scoto[1](qui hoc movet dubiũ) negativè. Nam, inquit, licèt SS. Patriarchæ in Limbo fuissent purgati à peccato originali; tamen illis clausa est janua Cœli usque ad solutionem pœnæ debitæ; & usque dum Christus illam aperuit passionis merito, & ingressu suo triumphali; ita esset de Maria; quia ita determinaverat Deus non aliter admittere filios Adam in Paradisum, antequam Christus satisfecisset de facto pro peccato Adæ.

QUÆSTIO VI.

De pœnis peccati originalis in alia vita, & quomodo infantes morientes cum illo solo peccato puniantur.

DE aliis pœnis hujus peccati jam diximus suprà, ubi de pœnis peccati Adæ; nam illæ transeunt ad posteros ejus, sicut & peccatum. Restat ergo quæstio de pœnis alterius status post hanc mortalem vitam; an sc. debeatur illi pœna tota dæmonum, aut aliorum morientium in peccato mortali actuali; nam triplex est pœna alterius vitæ: 1. *pœna damni*, quæ est privatio æterna fruitionis Dei in Cœlo gloriæ. 2. *Pœna sensus*, quæ consistit in cruciatibus horrendis, quos damnati pati dicuntur ab igne, frigore, & aliis cau-

[1] *Ibid. n.* 19.

caufis extrinfecis. 3. *Pœna vermis*, quæ eft perennis, & intolerabilis ftimulus, & morfus confcientiæ. Duæ iftæ colliguntur ex Euangelio, [1] *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*. Aliqui fubdividunt *pœnam fenfus* in eam, quæ eft ab extrinfeco, fc. ab igne, frigore, aliifque caufis externis, & eam, quæ eft ab intrinfeco, nempè triftitia, & dolor internus de amiffione beatitudinis; & de his omnibus poteft effe quæftio, an iis plectantur infantes morientes ante baptifmum cum folo originali, ut voluerunt aliqui feveriores, etiam ex noftris, ut Conrius Epifcopus Tuamenfis, & Poncius [2] in fuo commentario; an verò fola pœna damni, ut volunt plurimi, & ferè omnes magis communiter; an verò nullis pœnis afficiantur, ut volebant Pelagiani, & omnes, qui cum ipfis negabant peccatum originale; imò & eorum aliqui putabant eos æterna beatitudine fruituros aliquando.

CONCLUSIO.

INfantes morientes cum originali puniuntur *pœna damni*, *non autem pœna fenfus interioris*, *nec exterioris*. Eft certiffima quoad 1. p. & communior quoad alias.

Prob. 1. ex Scoto, qui ut indubitatum fupponens eos damnari, docet cum magiftrorum fententia, quòd *damnati pro folo peccato originali nullam habebunt pœnam fenfus exterioris, puta, ignis; quia nullam delectationem inordinatam habuerunt, cui delectationi refpondeat acerbitas ignis affligentis, ut propria pena; nullam etiam habebunt interiorem, ut triftitiam*, &c.

Prob 1. ex Script. [3] *Nifi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteft introire in regnum Dei*. Et, [4] *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, falvus erit*, & non aliter; ergo pueri, qui fine Baptifmo moriuntur, excluduntur à regno Dei; ergo damni pœnam fubeunt.

Prob. 2. ex Innocentio III. dicente, [5] *pœnam peccati originalis effe carentiam divinæ vifionis* (hæc eft pena damni) *actualis verò perpetuæ gehennæ cruciatum*. Et Concil. Florent. fub Eugen. IV. dicit, [6] dece-

[1] *Mar.9.* [2] *3.d.33.n.7.* [3] *Jo.3.* [4] *Mar.6.*
[5] *C. majores de Bapt.* [6] *Decr. unio.*

decedentes in mortali, vel originali mox in infernum descendere, sed pœnis inæqualibus puniendos. Nomine autem *inferni* intelligit inferiores partes terræ. Item ex Concilio Diospolitano, seu Palæstino, in quo, teste Augustino, Pelagius [1] coactus fuit anathematizare assertionem, qua dixerat, infantes, licèt non baptizatos habere vitam æternam. Nam (infert August. [2]) *hac assertione negata, quid nisi mors æterna remanebit?* Et in Carthaginensi: [3] *Quicumque negat parvulos à perditione liberari per Baptismum Christi, & salutem æternam percipere, Anathema sit.* Idem scribit de Concilio Milevitano. Et denique in Tridentino [4] anathematizantur, qui asserunt, *parvulos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam:* ergo parvuli qui non expiarunt peccatum originale, non consequuntur vitam æternam, sed ab ea excluduntur: ergo subeunt pœnam damni.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit Augustinus, [5] *Novellos hæreticos Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eò quòd ausi fuerint non baptizatis pueris dare quietis, & salutis locum, etiam præter regnum Cœlorum.* Et S. Fulgentius: [6] *Parvulos, quibus nulla possunt vel bona, vel mala inesse propriæ merita voluntatis, insolubili nexu eterna damnatione teneri.* Idem docent alii communiter.

Prob. 4. Quia sine Dei gratia sanctificante, quæ est vestis nuptialis, non intratur in illud æterni sponsi convivium; sed illi infantes non habent illam vestem nuptialem, seu gratiam; alioqui non haberent peccatum originale; ergo nec habebunt vitam æternam, sed mittentur in tenebras exteriores.

Prob. 2. p. de pœna sensus, 1. ex Patribus. [7] Nam inquit Augustinus, qui citatur in contrarium, *Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros,* quæ

[1] *de Gest. Pelag.* 8.
[2] *Ibid. n.* 90. [3] *Ep.* 92.
[4] *ss.* 5. *can.* 4. [5] 2. *de Orig. an.* 12.
[6] *de fi. ad pe.* 2. [7] 5. *con. Jul.* 11.

quæ, & qualis, & *quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret.* Non esset autem pœna levissima, si præter privationem Dei torquerentur etiam ab igne. Et Nazianzenus [1] de tribus classibus puniendorum dicit de postremis, quòd *nec cœlesti gloria, nec suppliciis à justo judice afficientur, utpote qui, licèt Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam potiùs passi fuerint, quàm fecerint,* &c. Et denique Scotus dicit, hanc esse sententiam Magistrorum, quales sunt SS. PP. & antiquiores Theologi.

Idem colligitur ex Conciliis cit. nam Innocent. III. pœnam peccati *originalis dicit esse carentiam divinæ visionis, actualis verò gehennæ cruciatum.* Et Eugen. IV. dicit, peccati actualis, & originalis pœnas esse inæquales; quod non esset verum, si utrumque puniretur pœnis damni, & sensus.

Prob. 2. ratione Scoti, quia pœna sensus respondet peccato actuali, seu inordinatæ delectationi; sed illi infantes nihil ita peccarunt; ergo non ita sunt puniendi. Prob. maj. ex Scriptura [2] dicente de magna Babylone: *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*; ergo tormenta respondent peccatis actualibus superbiæ, luxuriæ, &c. Et certè pœna positiva non debet imponi, nisi pro peccato propriæ voluntatis; qui verò aliena tantum voluntate peccavit, est quidem indignus gloria, & illa justè privatur, sed supplicia non meretur.

Confir. Nam [3] *pro mensura delicti erit & plagarum modus.* Et, [4] *Venio reddere unicuique secundum opera sua.* Et cùm dicit Judex: [5] *Ite maledicti in ignem æternum*, dat rationem, quia *esurivi, & non dedistis mihi manducare*, &c. Sed hæc ratio non valet pro illis infantibus.

Prob. 3. ex S. Tho. [6] Pœna proportionatur culpæ; ideò peccato actuali mortali, in quo invenitur aversio ab incommutabili bono, & conversio ad bonum commutabile, debetur pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ, respondens aversioni, & pœna sensus respondens conversioni; sed in peccato originali

[1] *Ora. in S. Bapt.* [2] *Apoc.* 28. [3] *Deuter.* 25. [4] *Apoc.* 22. [5] *Matth.* 25. 26] 44. *disp.* 5.

nali non est conversio illa; ergo nec illi debetur pœna sensus.

Prob. 4. Quia pœnæ positivæ sensuum habent rationem quandam flagelli, & increpationis pro malefactis propriis; sed hoc non habet locum in pueris istis, qui nihil fecere mali; ergo &c.

Prob. 3. p. 1. Quia pœna vermis, seu remorsus est dolor de peccatis actualibus, vel tristitia de privatione visionis Dei, & felicitatis æternæ, & supernaturalis; sed neutrum reperiri debet in pueris; ergo nec pœna interior tristitiæ, aut remorsus. Prob. min. ex Scoto post August. *Tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt*; sed pueri non habent circa hæc nolitionem; ergo neque tristitiam ex illis. Prob. min. 1. de peccatis actionis tristari non possunt, quia nulla habent. 2. Nec etiam de privatione visionis, alioqui esset nolitio inordinata tum contra rectam rationem, quia non meruerunt visionem Dei, neque illis debetur, tum contra Dei justissimam ordinationem, tum quia non tristamur saltem rationabiliter de carentia boni, quod non speramus; non tristamur, quia non volamus ut aves, nec natamus ut pisces, &c. ergo, &c.

Objic. 1. cont. 2. In judicio inter regnum Dei, & infernum cum igne, & inter dexteram, & sinistram, & inter grana, & paleas non est medium; sed isti infantes non erunt in regno Dei, nec ponentur ad dexteram Judicis, nec inter arbores ferentes fructum bonum, nec inter grana frumenti; ergo erunt in igne inferni, & à sinistris, & exscindentur, & in ignem mittentur, & ejicientur cum paleis ad comburendum. Prob. maj. ex Script. Nam in Euangelio apud Judicem omnes sunt vel benedicti, & vocati ad regnum, aut ejecti in ignem æternum; omnes sunt vel oves, & à dextris, vel hædi, & à sinistris; *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur*, totum genus humanum comparatur Areæ, in qua sunt grana congreganda in horreum, & paleæ mittendæ in ignem, nec ullibi fit mentio de statu, vel loco medio.

Resp. dist. utramque maj. in judicio discussionis, ubi examinabuntur opera, con. in judicio approbationis, ubi, quæ jam statuta sunt, approbanda sunt, neg.

neg. maj. utramque, & conseq. loca illa Scripturæ loquuntur de judicio discussionis, in quo examinabuntur opera adultorum, ut referat unusquisque, pro ut gessit; & ideò infantes ad hoc non audientur, sed tantùm in judicio approbationis; & quidem istis dicetur, *ite maledicti*, sc. à facie Dei, sed pro solis adultis erit 2. pars sententiæ, sc. *in ignem æternum*, &c.

Inst. 1. S. Joannes dicit, se vidisse (sc. propheticè) *mortuos magnos, & pusillos in conspectu throni, & libri aperti sunt, & apertus est liber vitæ; & qui non est inventus in illo, missus est in stagnum ignis*; ergo isti parvuli æquè assistent in judicio, ac magni, & adulti, & mittentur in stagnum ignis, quia non sunt scripti in libro vitæ.

Resp. neg. conf. Nec enim is est sensus Scripturæ: nomine parvulorum, & magnorum non intelligit infantes, & adultos, sed magnates, & plebeios, Reges, & subditos, potentes, & debiles, uno verbo, omnes adultos, cujuscumque conditionis sint, qui judicabuntur ex his, quæ scripta erunt in libris, secundum opera ipsorum. Hoc non potest intelligi de his infantibus, qui non habent opera. Ideò in sequentibus dicit, eos, qui missi sunt in stagnum ignis, esse tumidos, incredulos, & homicidas.

Inst. 2. ex Augustino, seu Fulgentio relato in decretis: *firmissimè tene, & nullatenus dubites, eos, qui sine Baptismo de hoc mundo transeunt, æterno ignis supplicio puniendos*; ergo contra mentem Patrum parvuli inbaptizati non eximuntur à pœna ignis.

Resp. 1. neg. conf. Nam, ut monet Scotus post S. Bonaventuram, Augustinus, seu Fulgentius excessivè loquitur de illis pueris, sicut frequenter faciunt Sancti, contra Hæreticos, quia aliqui dixerunt, eos nullam habere culpam (ut Pelagiani) & ita nullam pœnam.

Resp. 2. cum eodem, hoc intelligi de æterno igne in sensu divisionis, sc. in æterno igne, sed non ab igne cruciandi, hoc enim est pro adultis peccatoribus, ut sc. in sensu composito sint in igne, & simul ab igne crucientur.

Resp. 3. cum S. Tho. [1] *pœnas ignis, tormenti, suppli-*

[1] q. 5. *de malo.*

plicii, gehennæ, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est largè accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Et alibi; *supplicium non nominat in auctoritate illa pœnam sensibilem, sed solam pœnam damni, quæ est carentia divinæ visionis, sicut etiam nomine ignis frequenter in Scriptura quælibet pœna figurari consuevit*. Idem docet S. Bonaventura: *Non intendit dicere, quòd parvuli illi sensibiliter crucientur, sed intendit eorum pœnam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei, & quantum etiam ad vilitatem loci: & hoc valdè abundanter exprimit, plus dicens, & minùs volens intelligi, hoc facit volens extirpare illam hæresim, quæ dicebat, parvulos nulla pœna puniri*. &c. Vide etiam Glossam in cap. *nulla*. de consecrat.

Inst. 2. Pelagiani non solùm negabant peccatum originale, & pœnam omnem in parvulis, sed etiam dicebant, dari locum medium inter Cœlum, & infernum dæmonum, & damnatorum, & hæc omnia impugnant SS. PP. dum sic loquuntur; sed nos admittimus locum medium pro parvulis, dum eos nolumus pati ab igne; ergo sentimus contra SS. PP.

Resp. neg. min. Nec enim tam asserimus locum medium, quàm statum medium; & quidem non ratione pœnæ damni præcisè, sed ratione pœnarum sensus, de quo non erat lis inter SS. PP. & hæreticos illos.

Objic. 2. Infantes in hac vita subjiciuntur pœnis peccati originalis etiam sensibilibus, cruciantur fame, siti, frigore, morbis, &c. Et è contra morientes post Baptismum præmiantur bonis accidentalibus beatitudinis; ergo debent etiam pœnis sensuum puniri propter originale; alioqui mortui essent melioris conditionis.

Respond. neg. consequen. Nec enim valet paritas, nam pœnæ corporales hujus vitæ sequuntur conditionem sui corporis, & sunt eis communes cum ipsis bestiis, quæ non habent peccatum; imò & Christus ipse iis se voluit affici. Item aliud est puniri in hac vita pœnis aliquot temporalibus in consequentiam peccati Adæ, & aliud puniri in alia pœnis æternis; illud non dedecet justitiam, benè verò istud, aut saltem bonitatem ejus, qui punit potiùs citra, quàm ultra deli-

[1] 2. d. 33. q. 2. a. 1. [2] *Ibid. a. 3.*

delictum. Quantùm ad accidentalem beatitudinem, pœna damni habet etiam suas privationes talium bonorum, quæ privationes pertinent ad pœnam damni accidentalem.

Inst.2. Post resurrectionem generalem illi infantes habebunt corpora passibilia; nec enim habebunt dotes corporum gloriosorum; ergo patientur ab igne, & ab aliis objectis externis.

Resp. neg. conf. Nam licèt corpora illa futura non sint impassibilia ex dotibus gloriæ, poterunt id habere ex alia providentiæ divinæ lege, saltem negativè; quatenus nihil erit, quod eis noceat; sicut nec egebunt cibis, & potibus, nec esurient, nec sitient, &c.

Objic.3. Peccatum veniale est multò levius originali, quia non excludit gratiam, nec infert damnationem; sed veniale punitur pœna ignis, saltem in Purgatorio; ergo à fortiori originale.

Resp. dist. maj. Secundum quid est levius, con. absolutè, & simpliciter, neg. maj. & conf. originale est gravius quoad pœnam damnationis, & in sua radice, sc. in Adamo, non in se præcisè, quia non est voluntarium parvulis, nec includit conversionem ad creaturam respectu illorum, sicut veniale in adultis; ideò debetur isti pęna sensus correspondens illi delectationi, seu conversioni inordinatæ.

Objic.4. Qui graviorem incurrit pœnam, non effugit leviorem; sed parvuli incurrunt gravissimam pœnam, sc. pœnam damni; ergo & leviorem, quæ est pœna sensus. Prob. min. Nam, quia privatio Dei est quædam pœna infinita, nec potest dari major, pœna verò sensus non potest ei comparari, est in se finita: *Novi plurimos pertimescere gehennam tantùm*, ait Chrysost. *ego tamen amissionem gloriæ multò acerbius dico esse supplicium, quàm sit ipsa gehenna*, &c. ergo, &c.

Resp. neg. min. & dist. ant. prob. privatio Dei quoad bonum, quo privat, con. quoad subjectum privationis, neg. ant. & conf. Deus est bonum infinitum, & quodammodo fruitio Dei beata; sed privatio illa Dei minus est malum respectu creaturæ, quæ ex se magis afficitur erga bonum appositum pœnis sensuum, ex S. Tho. & aliis.

Resp.2. & meliùs, ni fallor, neg. maj. nec enim se-

qui-

quitur, quod reus, qui damnatur ad mortem, debeat etiam verbera, & alios minores cruciatus subire. Peccato originali debetur pœna damni propter aversionem à Deo, & maculam peccati ab Adamo contracti; sed non propterea debetur pęna sensus, quia non peccavit propria voluntate per conversionem ad creaturam, & delectationem inordinatam.

Objic 5. Parvuli illi sunt sub potestate diaboli, sunt in vinculis ejus, & alligati ad loca illa subterranea; sed hæc alligatio est quædam pœna sensus; ergo puniuntur illa pęna; nam carceres illi, & tenebræ, & vilitas loci pęnales sunt.

Resp. neg. conf. saltem quoad veram pęnam sensus, prout distinguitur à pęna damni, quæ consistit in privatione visionis, & fruitionis Dei; hæc enim sine tenebris ex relegatione extra cęlum, & in loca inferiora esse nequit, imò nec sine aliqua subjectione tyrannidi dæmonis. Ideo est pęna damnatorum, & dæmonum quoad locum, aliquo modo, ut dicebamus, non quoad statum, quia non cruciantur ibi, ut alii damnati, propter actualia peccata. Et multi graves Theologi putant, eos post resurrectionem ab illis vinculis, carceribus, & tenebris eruendos. De quo aliàs.

Objic.6. Parvuli morientes in peccato originali sunt miseriores, quàm qui morerentur in statu puræ naturæ sine gratia, & sine peccato; sed isti carerent visione Dei; ergo illi debent aliis pęnis subjacere propter peccatum.

Resp. dist. min. isti carerent visione Dei ex ratione status, & conditionis suæ naturalis, con. in pęnam, & ut rei, neg. min. & conf. nam illi infantes privantur visione Dei, & ab ea in æternum excluduntur in pęnam peccati, quæ est maxima miseria; alii verò excluderentur sine culpa, & ex pura conditione sui status naturalis, cui non debetur Dei fruitio supernaturalis.

Objic. con. 3. p. 1. de pęna interiori, seu tristitia: Infantes illi non possunt non tristari de privatione beatitudinis supernaturalis; sed hæc tristitia est maxima pęna interior; ergo habent pęnas interiores. Probatur major, nam sicut non potest non amari summa beatitudo, quæ haberi potest; ita

non

non potest ejus privatio esse sine dolore, & tristitia, infantes autem sciunt, se illa privari ob peccatum.

Resp. neg. maj. & dist. prob. Non potest privatio boni esse sine dolore, si illud bonum actu cupiatur,& speretur, & nisi aliunde tristitia leniatur, conc. si non cupiatur actu, nec speretur, aut si aliunde leniatur, aut distrahatur animus, neg. ant. & cons. Nam, ut docet Scotus, infantes illi erunt contenti de suo statu, tum per conformitatem cum Dei voluntate, qua sciunt id ita statutum, ex ipsa ratione naturali, quæ in ipsis erit recta, tum ex aliis bonis, quæ ipsis restant in illo statu, v. g. beatitudinis naturalis, præcipuè ex carentia pœnarum sensibilium externarum, tum ex cognitione causæ, qua sic detinentur, sc. peccatum potiùs alienum, quàm suum, tum ex cognitione impossibilitatis habendi pleniorem beatitudinem, quo fiet, ut eam non desiderent appetitu saltem elicito.

Sic etiam respondet S. Tho. nam inquit, [1] *Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipso non fuit, ut vitaretur*. Ideò Seneca docet, quòd *perturbatio in sapientem non cadit*; sed in pueris est recta ratio, nullo peccato actuali obliquata; ergo non perturbantur &c.

Inst. Si hoc esset, haberent beatitudinem saltem naturalem, quia essent prorsus contenti sine alio malo, & dolore, quàm carentia beatitudinis supernaturalis; sed cons. est falsum, ergo &c. Prob. min. tum quia ipsi pueri baptizati, & carentes peccato non ita sunt felices, tum quia sunt sine omni prorsus merito proprio, vel alieno, tum quia non debetur ipsis aliunde; ergo &c.

Resp. neg. min. & cons. prob. Nam sicut pueri morientes cum gratia baptismali consequuntur beatitudinem supernaturalem sine proprio merito, sed per modum hereditatis; ita & illi, qui cum solo originali decedunt, consequuntur naturalem aliquali jure hæreditatis, & ex Dei bonitate, qui dives est in misericordia, & maximè in istos, qui ex culpa quasi aliena privantur beatitudine supernaturali, ad quam ex voluntate sua antecedenti fecerat illos.

[1] 1. d. 33. q. 2. a. 2.

Adamo, & si non debuisset maculari ejus peccato; ergo &c.

Respondeo neg. min. & maj. prob. Nam quò major est gratia, eò major est gloria Redemptoris, & redempti: major autem est gratia, quòd non tantùm à remota, sed etiam ab imminente, & proxima captivitate ex Christi meritis fuerit præservata.

Resp. neg. 2. eandem min. nam si ex una parte illa exceptio à lege transmissionis justitiæ originalis, vel peccati erat favorabilis Mariæ, quatenùs non periclitabatur Adámo peccante, tamen ex alia erat minùs favorabilis, quatenùs illo perseverante in justitia, hæc excludebatur ab illa hæreditate paterna.

Quæres, an *si B.V. fuisset mortua ante passionem, vel ascensionem Filii, nihilominus fuisset ingressa Paradisum.*

Resp. Cum Scoto[1](qui hoc movet dubiū) negativè. Nam, inquit, licèt SS. Patriarchæ in Limbo fuissent purgati à peccato originali; tamen illis clausa est janua Cœli usque ad solutionem pœnæ debitæ; & usque dum Christus illam aperuit passionis merito, & ingressu suo triumphali; ita esset de Maria; quia ita determinaverat Deus non aliter admittere filios Adam in Paradisum, antequam Christus satisfecisset de facto pro peccato Adæ.

QUÆSTIO VI.

De pœnis peccati originalis in alia vita, & quomodo infantes morientes cum illo solo peccato puniantur.

De aliis pœnis hujus peccati jam diximus suprà, ubi de pœnis peccati Adæ; nam illæ transeunt ad posteros ejus, sicut & peccatum. Restat ergo quæstio de pœnis alterius status post hanc mortalem vitam; an sc. debeatur illi pœna tota dæmonum, aut aliorum morientium in peccato mortali actuali; nam triplex est pœna alterius vitæ: 1. *pœna damni*, quæ est privatio æterna fruitionis Dei in Cœlo gloriæ. 2. *Pœna sensus*, quæ consistit in cruciatibus horrendis, quos damnati pati dicuntur ab igne, frigore, & aliis cau-

[1] *Ibid. n. 19.*

causis extrinsecis. 3. *Pœna vermis*, quæ est perennis, & intolerabilis stimulus, & morsus conscientiæ. Duæ istæ colliguntur ex Euangelio, [1] *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*. Aliqui subdividunt *pœnam sensus* in eam, quæ est ab extrinseco, sc. ab igne, frigore, aliisque causis externis, & eam, quæ est ab intrinseco, nempè tristitia, & dolor internus de amissione beatitudinis; & de his omnibus potest esse quæstio, an iis plectantur infantes morientes ante baptismum cum solo originali, ut voluerunt aliqui severiores, etiam ex nostris, ut Conrius Episcopus Tuamensis, & Poncius [2] in suo commentario; an verò sola pœna damni, ut volunt plurimi, & ferè omnes magis communiter; an verò nullis pœnis afficiantur, ut volebant Pelagiani, & omnes, qui cum ipsis negabant peccatum originale; imò & eorum aliqui putabant eos æterna beatitudine fruituros aliquando.

CONCLUSIO.

INfantes morientes cum originali puniuntur pœna damni, non autem pœna sensus interioris, nec exterioris. Est certissima quoad 1. p. & communior quoad alias.

Prob. 1. ex Scoto, qui ut indubitatum supponens eos damnari, docet cum magistrorum sententia, quòd *damnati pro solo peccato originali nullam habebunt pœnam sensus exterioris, puta, ignis; quia nullam delectationem inordinatam habuerunt, cui delectationi respondeat acerbitas ignis affligentis, ut propria pęna; nullam etiam habebunt interiorem, ut tristitiam*, &c.

Prob 1. ex Script. [3] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei*. Et, [4] *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, & non aliter; ergo pueri, qui sine Baptismo moriuntur, excluduntur à regno Dei; ergo damni pœnam subeunt.

Prob. 2. ex Innocentio III. dicente, [5] *pœnam peccati originalis esse carentiam divinæ visionis* (hæc est pęna damni) *actualis verò perpetuæ gehennæ cruciatum*. Et Concil. Florent. sub Eugen. IV. dicit, [6] dece-

[1] *Mar.* 9. [2] 3. *d.* 33. *n.* 7. [3] *Jo.* 3. [4] *Mar.* 6. [5] *C. majores de Bapt.* [6] *Decr. unio.*

decedentes in mortali, vel originali mox in infernum descendere, sed pœnis inæqualibus puniendos. Nomine autem *inferni* intelligit inferiores partes terræ. Item ex Concilio Diospolitano, seu Palæstino, in quo, teste Augustino, Pelagius [1] coactus fuit anathematizare assertionem, qua dixerat, infantes, licèt non baptizatos habere vitam æternam. Nam (infert August. [2]) *hac assertione negata, quid nisi mors æterna remanebit?* Et in Carthaginensi: [3] *Quicumque negat parvulos à perditione liberari per Baptismum Christi, & salutem æternam percipere, Anathema sit.* Idem scribit de Concilio Milevitano. Et denique in Tridentino [4] anathematizantur, qui asserunt, *parvulos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam*: ergo parvuli qui non expiarunt peccatum originale, non consequuntur vitam æternam, sed ab ea excluduntur: ergo subeunt pœnam damni.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit Augustinus, [5] *Novellos hæreticos Pelagianos justissimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eò quòd ausi fuerint non baptizatis pueris dare quietis, & salutis locum, etiam præter regnum cœlorum.* Et S. Fulgentius: [6] *Parvulos, quibus nulla possunt vel bona, vel mala inesse propriæ merita voluntatis, insolubili nexu æterna damnatione tenentur.* Idem docent alii communiter.

Prob. 4. Quia sine Dei gratia sanctificante, quæ est vestis nuptialis, non intratur in illud æterni sponsi convivium; sed illi infantes non habent illam vestem nuptialem, seu gratiam; alioqui non haberent peccatum originale; ergo nec habebunt vitam æternam, sed mittentur in tenebras exteriores.

Prob. 2. p. de pœna sensus, 1. ex Patribus. [7] Nam inquit Augustinus, qui citatur in contrarium, *Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros,* quæ

[1] *de Gest. Pelag.* 8.
[2] *Ibid. n.* 90. [3] *Ep.* 92.
[4] *ss.* 5. *can.* 4. [5] 2. *de Orig. an.* 12.
[6] *de fi. ad pe.* 2. [7] 5. *con. Jul.* 11.

quæ, & qualis, & *quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret.* Non esset autem pœna levissima, si præter privationem Dei torquerentur etiam ab igne. Et Nazianzenus [1] de tribus classibus puniendorum dicit de postremis, quòd *nec cœlesti gloria, nec suppliciis à justo judice afficientur, utpote qui, licèt Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam potiùs passi fuerint, quàm fecerint*, &c. Et denique Scotus dicit, hanc esse sententiam Magistrorum, quales sunt SS. PP. & antiquiores Theologi.

Idem colligitur ex Conciliis cit. nam Innocent. III. pœnam peccati *originalis dicit esse carentiam divinæ visionis, actualis verò gehennæ cruciatum*. Et Eugen. IV. dicit, peccati actualis, & originalis pœnas esse inæquales; quod non esset verum, si utrumque puniretur pœnis damni, & sensus.

Prob. 2. ratione Scoti, quia pœna sensus respondet peccato actuali, seu inordinatæ delectationi; sed illi infantes nihil ita peccarunt; ergo non ita sunt puniendi. Prob. maj. ex Scriptura [2] dicente de magna Babylone: *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*; ergo tormenta respondent peccatis actualibus superbiæ, luxuriæ, &c. Et certè pœna positiva non debet imponi, nisi pro peccato propriæ voluntatis; qui verò aliena tantum voluntate peccavit, est quidem indignus gloria, & illa justè privatur, sed supplicia non meretur.

Confir. Nam [3] *pro mensura delicti erit & plagarum modus.* Et, [4] *Venio reddere unicuique secundum opera sua.* Et cùm dicit Judex: [5] *Ite maledicti in ignem æternum*, dat rationem, quia *esurivi, & non dedistis mihi manducare*, &c. Sed hæc ratio non valet pro illis infantibus.

Prob. 3. ex S. Tho. [6] Pœna proportionatur culpæ; ideò peccato actuali mortali, in quo invenitur aversio ab incommutabili bono, & conversio ad bonum commutabile, debetur pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ, respondens aversioni, & pœna sensus respondens conversioni; sed in peccato originali

[1] *Ora. in S. Bapt.* [2] *Apoc.* 28. [3] *Deuter.* 25. [4] *Apoc.* 22. [5] *Matth.* 25. [6] 44. *disp.* 5.

nali non est conversio illa; ergo nec illi debetur pœna sensus.

Prob. 4. Quia pœnæ positivæ sensuum habent rationem quandam flagelli, & increpationis pro malefactis propriis; sed hoc non habet locum in pueris istis, qui nihil fecere mali; ergo &c.

Prob. 3. p. 1. Quia pœna vermis, seu remorsus est dolor de peccatis actualibus, vel tristitia de privatione visionis Dei, & felicitatis æternæ, & supernaturalis; sed neutrum reperiri debet in pueris; ergo nec pœna interior tristitiæ, aut remorsus. Prob. min. ex Scoto post August. *Tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt*; sed pueri non habent circa hæc nolitionem; ergo neque tristitiam ex illis. Prob. min. 1. de peccatis actionis tristari non possunt, quia nulla habent. 2. Nec etiam de privatione visionis, alioqui esset nolitio inordinata tum contra rectam rationem, quia non meruerunt visionem Dei, neque illis debetur, tum contra Dei justissimam ordinationem, tum quia non tristamur saltem rationabiliter de carentia boni, quod non speramus; non tristamur, quia non volamus ut aves, nec natamus ut pisces, &c. ergo, &c.

Objic. 1. cont. 2. In judicio inter regnum Dei, & infernum cum igne, & inter dexteram, & sinistram, & inter grana, & paleas non est medium; sed isti infantes non erunt in regno Dei, nec ponentur ad dexteram Judicis, nec inter arbores ferentes fructum bonum, nec inter grana frumenti; ergo erunt in igne inferni, & à sinistris, & exscindentur, & in ignem mittentur, & ejicientur cum paleis ad comburendum. Prob. maj. ex Script. Nam in Euangelio apud Judicem omnes sunt vel benedicti, & vocati ad regnum, aut ejecti in ignem æternum; omnes sunt vel oves, & à dextris, vel hædi, & à sinistris; *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur*, totum genus humanum comparatur Areæ, in qua sunt grana congreganda in horreum, & paleæ mittendæ in ignem, nec ullibi fit mentio de statu, vel loco medio.

Resp. dist. utramque maj. in judicio discussionis, ubi examinabuntur opera, con. in judicio approbationis, ubi, quæ jam statuta sunt, approbanda sunt, neg.

neg. maj. utramque, & conseq. loca illa Scripturæ loquuntur de judicio discussionis, in quo examinabuntur opera adultorum, ut referat unusquisque, pro ut gessit; & ideò infantes ad hoc non audientur, sed tantùm in judicio approbationis; & quidem istis dicetur, *ite maledicti*, sc. à facie Dei, sed pro solis adultis erit 2. pars sententiæ, sc. *in ignem æternum*, &c.

Inst. 1. S. Joannes dicit, se vidisse (sc. propheticè) *mortuos magnos, & pusillos in conspectu throni, & libri aperti sunt, & apertus est liber vitæ, & qui non est inventus in illo, missus est in stagnum ignis*; ergo isti parvuli æquè assistent in judicio, ac magni, & adulti, & mittentur in stagnum ignis, quia non sunt scripti in libro vitæ.

Resp. neg. cons. Nec enim is est sensus Scripturæ: nomine parvulorum, & magnorum non intelligit infantes, & adultos, sed magnates, & plebeios, Reges, & subditos, potentes, & debiles, uno verbo, omnes adultos, cujuscumque conditionis sint, qui judicabuntur ex his, quæ scripta erunt in libris, secundum opera ipsorum. Hoc non potest intelligi de his infantibus, qui non habent opera. Ideò in sequentibus dicit, eos, qui missi sunt in stagnum ignis, esse tumidos, incredulos, & homicidas.

Inst. 2. ex Augustino, seu Fulgentio relato in decretis: *firmissimè tene, & nullatenus dubites, eos, qui sine Baptismo de hoc mundo transeunt, æterno ignis supplicio puniendos*; ergo contra mentem Patrum parvuli inbaptizati non eximuntur à pœna ignis.

Resp. 1. neg. cons. Nam, ut monet Scotus post S. Bonaventuram, Augustinus, seu Fulgentius excessivè loquitur de illis pueris, sicut frequenter faciunt Sancti, contra Hæreticos, quia aliqui dixerunt, eos nullam habere culpam (ut Pelagiani) & ita nullam pœnam.

Resp. 2. cum eodem, hoc intelligi de æterno igne in sensu divisionis, sc. in æterno igne, sed non ab igne cruciandi, hoc enim est pro adultis peccatoribus, ut sc. in sensu composito sint in igne, & simul ab igne crucientur.

Resp. 3. cum S. Tho. [1] *pœnas ignis, tormenti, suppli-*

[1] *q. 5. de malo.*

plicii, gehennæ, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est largè accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Et alibi; *supplicium non nominat in auctoritate illa pœnam sensibilem, sed solam pœnam damni, quæ est carentia divinæ visionis, sicut etiam nomine ignis frequenter in Scriptura quælibet pœna figurari consuevit*. Idem docet S. Bonaventura: *Non intendit dicere, quòd parvuli illi sensibiliter crucientur, sed intendit eorum pœnam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei, & quantum etiam ad vilitatem loci: & hoc valdè abundanter exprimit, plus dicens, & minùs volens intelligi, hoc facit volens extirpare illam hæresim, quæ dicebat, parvulos nulla pœna puniri*. &c. Vide etiam Glossam in cap. *nulla*. de consecrat.

Inst.2. Pelagiani non solùm negabant peccatum originale, & pœnam omnem in parvulis, sed etiam dicebant, dari locum medium inter Cœlum, & infernum dæmonum, & damnatorum, & hæc omnia impugnant SS. PP. dum sic loquuntur; sed nos admittimus locum medium pro parvulis, dum eos nolumus pati ab igne; ergo sentimus contra SS. PP.

Resp. neg. min. Nec enim tam asserimus locum medium, quàm statum medium; & quidem non ratione pœnæ damni præcisè, sed ratione pœnarum sensus, de quo non erat lis inter SS. PP. & hæreticos illos.

Objic.2. Infantes in hac vita subjiciuntur pœnis peccati originalis etiam sensibilibus, cruciantur fame, siti, frigore, morbis, &c. Et è contra morientes post Baptismum præmiantur bonis accidentalibus beatitudinis; ergo debent etiam pœnis sensuum puniri propter originale; alioqui mortui essent melioris conditionis.

Respond. neg. consequen. Nec enim valet paritas, nam pœnæ corporales hujus vitæ sequuntur conditionem sui corporis, & sunt eis communes cum ipsis bestiis, quæ non habent peccatum; imò & Christus ipse iis se voluit affici. Item aliud est puniri in hac vita pœnis aliquot temporalibus in consequentiam peccati Adæ, & aliud puniri in alia pœnis æternis; illud non dedecet justitiam, benè verò istud, aut saltem bonitatem ejus, qui punit potiùs citra, quàm ultra deli-

[1] 2. *d.33. q.2. a.1.* [2] *Ibid.a.3.*

delictum. Quantùm ad accidentalem beatitudinem, pœna damni habet etiam suas privationes talium bonorum, quæ privationes pertinent ad pœnam damni accidentalem.

Inst.2. Post resurrectionem generalem illi infantes habebunt corpora passibilia; nec enim habebunt dotes corporum gloriosorum; ergo patientur ab igne, & ab aliis objectis externis.

Resp. neg. cons. Nam licèt corpora illa futura non sint impassibilia ex dotibus gloriæ, poterunt id habere ex alia providentiæ divinæ lege, saltem negativè; quatenus nihil erit, quod eis noceat; sicut nec egebunt cibis, & potibus, nec esurient, nec sitient, &c.

Objic.3. Peccatum veniale est multò levius originali, quia non excludit gratiam, nec infert damnationem; sed veniale punitur pœna ignis, saltem in Purgatorio; ergo à fortiori originale.

Resp. dist. maj. Secundum quid est levius, con. absolutè, & simpliciter, neg. maj. & cons. originale est gravius quoad pœnam damnationis, & in sua radice, sc. in Adamo, non in se præcisè, quia non est voluntarium parvulis, nec includit conversionem ad creatúram respectu illorum, sicut veniale in adultis; ideò debetur isti pęna sensus correspondens illi delectationi, seu conversioni inordinatæ.

Objic.4. Qui graviorem incurrit pœnam, non effugit leviorem; sed parvuli incurrunt gravissimam pœnam, sc. pœnam damni; ergo & leviorem, quæ est pœna sensus. Prob. min. Nam, quia privatio Dei est quædam pœna infinita, nec potest dari major, pœna verò sensus non potest ei comparari, est in se finita: *Novi plurimos pertimescere gehennam tantùm*, ait Chrysost. *ego tamen amissionem gloriæ multò acerbius dico esse supplicium, quàm sit ipsa gehenna*, &c. ergo, &c.

Resp.neg.min. & dist. ant. prob. privatio Dei quoad bonum, quo privat, con. quoad subjectum privationis, neg. ant. & cons. Deus est bonum infinitum, & quodámmodo fruitio Dei beata; sed privatio illa Dei minus est malum respectu creaturæ, quæ ex se magis afficitur erga bonum appositum pœnis sensuum, ex S. Tho. & aliis.

Resp.2. & meliùs, ni fallor, neg. maj. nec enim sequi-

quitur, quod reus, qui damnatur ad mortem, debeat etiam verbera, & alios minores cruciatus subire. Peccato originali debetur pœna damni propter aversionem à Deo, & maculam peccati ab Adamo contracti; sed non propterea debetur pęna sensus, quia non peccavit propria voluntate per conversionem ad creaturam, & delectationem inordinatam.

Objic 5. Parvuli illi sunt sub potestate diaboli, sunt in vinculis ejus, & alligati ad loca illa subterranea; sed hæc alligatio est quædam pœna sensus; ergo puniuntur illa pęna; nam carceres illi, & tenebræ, & vilitas loci pęnales sunt.

Resp. neg. conf. saltem quoad veram pęnam sensus, prout distinguitur à pęna damni, quæ consistit in privatione visionis, & fruitionis Dei; hæc enim sine tenebris ex relegatione extra cęlum, & in loca inferiora esse nequit, imò nec sine aliqua subjectione tyrannidi dæmonis. Ideo est pęna damnatorum, & dæmonum quoad locum, aliquo modo, ut dicebamus, non quoad statum, quia non cruciantur ibi, ut alii damnati, propter actualia peccata. Et multi graves Theologi putant, eos post resurrectionem ab illis vinculis, carceribus, & tenebris eruendos. De quo aliàs.

Objic.6. Parvuli morientes in peccato originali sunt miseriores, quàm qui morerentur in statu puræ naturæ sine gratia, & sine peccato; sed isti carerent visione Dei; ergo illi debent aliis pęnis subjacere propter peccatum.

Resp. dist. min. isti carerent visione Dei ex ratione status, & conditionis suæ naturalis, con. in pęnam, & ut rei, neg. min. & conf. nam illi infantes privantur visione Dei, & ab ea in æternum excluduntur in pęnam peccati, quæ est maxima miseria; alii verò excluderentur sine culpa, & ex pura conditione sui status naturalis, cui non debetur Dei fruitio supernaturalis.

Objic. con. 3. p. 1. de pęna interiori, seu tristitia: Infantes illi non possunt non tristari de privatione beatitudinis supernaturalis; sed hæc tristitia est maxima pęna interior; ergo habent pęnas interiores. Probatur major, nam sicut non potest non amari summa beatitudo, quæ haberi potest; ita

non

non poteſt ejus privatio eſſe ſine dolore, & triſtitia, infantes autem ſciunt, ſe illa privari ob peccatum.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. Non poteſt privatio boni eſſe ſine dolore, ſi illud bonum actu cupiatur, & ſperetur, & niſi aliunde triſtitia leniatur, conc. ſi non cupiatur actu, nec ſperetur, aut ſi aliunde leniatur, aut diſtrahatur animus, neg. ant. & conſ. Nam, ut docet Scotus, infantes illi erunt contenti de ſuo ſtatu, tum per conformitatem cum Dei voluntate, qua ſciunt id ita ſtatutum, ex ipſa ratione naturali, quæ in ipſis erit recta, tum ex aliis bonis, quæ ipſis reſtant in illo ſtatu, v. g. beatitudinis naturalis, præcipuè ex carentia pœnarum ſenſibilium externarum, tum ex cognitione cauſæ, qua ſic detinentur, ſc. peccatum potiùs alienum, quàm ſuum, tum ex cognitione impoſſibilitatis habendi pleniorem beatitudinem, quo fiet, ut eam non deſiderent appetitu ſaltem elicito.

Sic etiam reſpondet S. Tho. nam inquit, [1] *Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipſo non fuit, ut vitaretur.* Ideò Seneca docet, quòd *perturbatio in ſapientem non cadit*; ſed in pueris eſt recta ratio, nullo peccato actuali obliquata; ergo non perturbantur &c.

Inſt. Si hoc eſſet, haberent beatitudinem ſaltem naturalem, quia eſſent prorſus contenti ſine alio malo, & dolore, quàm carentia beatitudinis ſupernaturalis; ſed conſ. eſt falſum, ergo &c. Prob. min. tum quia ipſi pueri baptizati, & carentes peccato non ita ſunt felices, tum quia ſunt ſine omni prorſus merito proprio, vel alieno, tum quia non debetur ipſis aliunde; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam ſicut pueri morientes cum gratia baptiſmali conſequuntur beatitudinem ſupernaturalem ſine proprio merito, ſed per modum hæreditatis; ita & illi, qui cum ſolo originali decedunt, conſequuntur naturalem aliquali jure hæreditatis, & ex Dei bonitate, qui dives eſt in miſericordia, & maximè in iſtos, qui ex culpa quaſi aliena privantur beatitudine ſupernaturali, ad quam ex voluntate ſua antecedenti fecerat illos.

[1] 1. d. 33. q. 2. a. 2.

Resp. 2. neg. maj. Beatitudinem naturalē negativam, conc. positivam, neg. maj. & conseq. Nam licèt careant doloribus intrinsecis, v. g. passionibus tristitiæ, invidiæ, desperationis, &c. non tamen necesse est, ut habeant alia bona positiva, & naturalia, quæ reddant animas positivè beatas. Habebunt ergo consolationes, inquit S. Bonaventura, 1. quòd non peccaverint propria voluntate, nec actione; 2. quòd non patiantur pœnas ignis, & aliarum causarum extrinsecarum, quas patiuntur dæmones, & alii damnati; & ideò se vident in aliquo statu quasi medio inter sanctos, & damnatos; & hæc sunt lenimenta, per quæ distrahuntur à tristitia, quam habere possent de privatione beatitudinis cœlestis, ut gaudeant de evasione ab aliis pœnis.

Objic. 2. Nisi parvuli in Limbo haberent aliquam pœnam, seu tristitiam, non essent infeliciores SS. Patribus, dum ibidem erant ante Christi mortem, sed conf. est absurdum, quia isti erant sancti, & amici Dei, illi verò sunt in peccato, & inimici Dei; ergo &c. Prob. maj. utrique privabantur Dei visione, nec aliud paterentur infantes.

Resp. neg. maj. & conseq. prob. Nam Sancti Patres privabantur Dei visione ad tempus, & ejus spe gaudebant, & aliis consolationibus internis, & externis; puerorum verò privatio est æterna, & sine spei lenimento, si tamen sint in Lymbo, de quo mox. Igitur, ut cum Seraphico Doctore concludam, *Cùm valdè durum illud dicere videatur, quòd Deus tam durè, & tam asperè agat cum parvulis sic decedentibus, qui omninò non potuerunt vitare nec mortem culpæ, nec mortem naturæ .... est magis conforme pietati fidei dicere, quòd pœna illa non puniantur, sed visione Dei priventur, & quia in carne fuit fœditas, locentur in loco vili, nempe infernali. Sed quia non habuerunt in se delectationem peccati nec in spiritu, nec in carne, ideò non sentiunt pœnæ ignis acerbitatem*, & concludit; hunc modum dicendi magis approbant Magistri.

CON-

CONCLUSIO III.

Probabile est, hos infantes detineri in inferno cum damnatis. Est satis communis contra Pelagium, qui dicebat, eos poni in quodam loco extra cęlum, & infernum, in quo fruuntur Dei visione, & æterna beatitudine, & contra aliquos ex nostris, inter quos Gavatius, & Faber.

Prob. 1. ex Scoto, qui docet, eos non distare à damnatis, quoad locum, sed quoad statum, sic respondens ad auctoritatem Augustini, qui videtur sentire, quòd crucientur etiam eodem igne: *Aliter posset dici, quòd crucientur æterni ignis supplicio in sensu divisionis: id est, in illo supplicio, quod est in æterno igne, sunt cremandi; id est, sunt puniendi pæna damni, & non pęna sensus æterni.*

Prob. 2. ex Scriptura citata. Nam, dicitur omnibus, qui sunt à sinistris: *Ite in ignem æternum.* Et Apocal. *Omnis, qui non est inventus in libro vitę, missus est in stagnum ignis,* sc. *in infernum damnatorum*, inquit glossa ordinaria, *Angeli separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis;* ergo etiam post judicium pueri, qui erunt à sinistris, & non invenientur in libro vitæ, mittentur in infernum cum damnatis, licèt non cruciandi.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit August. [1] *Venturus est Dominus judicare vivos, & mortuos, & duas partes facturus est, dexteram, & sinistram, & sinistris dicturus, ite maledicti,* &c. *Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes;* & itē ex loco citato Fulgentii, qui eidem Augustino tribuitur: *Firmissimè tene*, &c. & S. Greg. [2] *Perpende, quàm districtus appareat Judex, qui quosdam tunc reatu culpę originalis adstrictos etiam sine operibus damnat;* soli autem infantes sunt sine operibus, & adstricti culpa originali; & S. Bonaventura mox dicebat, quòd *quia in carne fuit fœditas locantur in loco vili.* Et idem colligitur ex Conciliis citatis, quæ docent, eos *in infernum descensuros, licèt imparibus pænis puniendos.*

Prob. denique, quia sine fundamento ex Scriptura,

[1] *Ser. de ver. Apost.* [2] 9. *Mor.* 12.

vel Conciliis, vel Patribus fingeretur alius locus, ergo &c,

Objic. 1. Diversus est status horum infantium; ergo & locus; ad quid enim locarentur in stagno ignis, qui ab igne non sunt urendi? ad quid illi quasi innocentes cum dæmonibus, & scelestissimis, atque induratis peccatoribus?

Resp. 1. neg. conseq. & ad prob. dico, aliam rationem quærendam non esse, præter Dei legem, de qua constat ex Scriptura.

Inst. Scriptura nomine *inferni* non intelligit semper de inferno inferiori damnatorum, sed sępiùs de superiori, v. g. de Lymbo, ut cum dicebat Jacob,[1] *Descendam ad filium meum lugens in infernum*. Et David: [2] *Eduxisti ab inferno animam meam*. Et de Christo; quòd in triduo mortis *descendit ad inferos*, sc. in Lymbum, ergo ex Scriptura, nihil habetur, quod doceat, pueros esse in infernum damnatorum.

Resp. neg. conseq. Nam licèt aliquando Scriptura sic utatur nomine *inferni*, tamen ordinariè utitur in sensum nostrum, & maximè in illis locis: nec immeritò mittuntur in ignem quoad locum, licèt non quoad combustionem propter peccatum. Nam originale verè est peccatum, & ideò meretur infernum; sed quia non est voluntarium in pueris, saltem propria voluntate, nec habet in eis conversionem ad creaturas, nec delectationem inordinatam, ideò ignis non habet vim cōburendi eos, sed tantùm rationē locandi.

Inst. Si post judicium corpora infantium essent in igne sine combustione, esset per æternum miraculum; & per impassibilitatem, quæ est dos beatitudinis; sed hoc fingi non potest sine necessitate; ergo &c.

Resp. neg. maj. quoad 2. p. vel min. totam. Nam illa impassibilitas non esset ex dote beatitudinis, sed ex lege speciali Dei nolentis concurrere cum igne ad eorum combustionem, sicut concurrit ad ustionem corporum aliorum damnatorum sine consumptione, quod est aliud miraculum. Et sic vel non dicitur miraculum, quod non est insolitum; & sic falsa esset major, vel neg. min. quia talia miracula æterna fiunt pro singulis tam beatis, quàm damnatis.

Diceret tamen libenter cum Eminentiss. de Laurea

[2] *Gen.* 37. [2] *Psal.* 29.

rea nostro, eos esse in inferno superiori, qui dicitur Lymbus, si hoc viderem sustineri posse ex Scriptura, vel traditione aliqua solida; & ea opinio magis esset pia.

Quæres, *an illi pueri vocandi, & comparituri sint in Judicio finali, seu universali.*

Resp. affirmativè, non quidem in judicio discussionis, quia non habebunt opera, quæ sint examinanda, sed approbationis, ut videant, quòd jure sint damnati ad privationem æternam visionis Divinæ.

Hæc de homine, & ejus casu, & ruina dicta sufficiant ad laudem D. O. M. & Mariæ Deip. ac Seraphici Patriarchæ,

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS V.

De ultimo fine hominis, seu de summo bono, & Beatitudine.

DE Homine, & ejus formatione, innocentia, & lapsu, ac peccato originali, quod ab illo primo contrahunt universi ejus posteri; satis prolixè pro instituto egimus tractatu præcedenti. Sequitur agendum de illius fine, seu de summo ejus bono, seu Beatitudine, tum naturali, tum supernaturali; siquidem mens fuerat de naturali scribere in Tomo, quem de Philosophia morali parabamus; sed cùm aliter disposuerit divina providentia, quæ philosophicè disputaturi eramus, theologicè discutiemus in posterum. Porrò de fine diximus aliqua in Physicis, ubi de *causa finali*; & de multis, quæ spectant ad supernaturalem nostram Beatitudinem etiam diximus in tractatu 1. hujus Theologiæ, ubi de *visione Dei*, & ea non repetemus. Quæ autem restant ea de re disputanda, breviter hìc expediemus, Deo juvante.

DI-

DISPUTATIO UNICA.

De beatitudine objectiva, & formali hominis.

BEatitudo alia est *objectiva*, alia *formalis*. Illa est bonum ipsum, in cujus possessione homo plenè conquiescit; ista verò est ipsa talis boni possessio. De utraque hac disputatione dicendum est, nec in plures extendetur hic tractatus. Cætera videbimus, ubi de statu vitæ futuræ.

QUÆSTIO I.

An, quid, & quotuplex sit bonum, & quomodo conveniat cum fine.

BOnum,& finis pro eodem usurpantur. Nam,inquit Scotus [1] post Philos. est id, *cujus gratia agenda sunt singula*, & finis *est bonum cujusque, id est, particulare bonum, quia particularis finis est bonum in unoquoque genere. Illud verò, quod est finis omnium, est illud, quod est optimum in tota natura*. Et [2] *notandum, quòd bonum secundum propriam rationem habet rationem finis. Nam bonum est, quod omnia appetunt: illud autem, in quod tendit appetitus, videtur habere rationem finis*, &c. ergo idem est quærere, quid sit bonum hominis, & quærere, quid sit ejus finis? Non repetam, quæ dixi in Metaph. de quidditate, existentia, & divisionibus boni, & de fine, & ejus causalitate in Physica, nec quomodo sit objectum voluntatis, de quo in tr. de Anima, sicut & de libertate. Pauca tangam ex illis ad facilitatem eorum, quæ hìc addenda fuerint.

1. Bonum,ut dicebamus, est id, *quod omnia appetunt*, seu,quod in se perfectionem habet convenientem appetitui, & per quam allicit illum ad sui prosecutionem; sive,ut loquitur Seneca, [3] *quod invitat animos, quod ad se vocat, quod appetitionem sui movet*.

Bonitas duplex est, *primaria*, seu *essentialis*, quæ est integritas entis, seu perfectio ejus, in se impor-

[1] 1. *Metaph.c.* 1. *n.*25. *et* 69. [2] *ibid. c.* 2. *n.* 35.
[3] *Epist.* 11.

tans negationem imperfectionis, aut diminutionis; & hæc est bonitas *Metaphysica*, aut *Physica*, & communis omni enti: & *secundaria*, seu *accidentalis*, & superveniens entitati, quæ dicitur *integritas convenientiæ, vel integra convenientia ejus alteri, cui debet convenire, vel alterius sibi.* Sic valetudo est bona, quia est conveniens sine dolore, & lassitudine. Et de ista hic loquimur. 2. Tres distinguuntur beatitudines, [1] *naturalis, moralis, & gratuita. Primam habet actus positivus; quia consequitur quamlibet* entitatem in quantum ens, & etiam quemlibet *actum, quantumcumque sit turpis moraliter, & demeritorius, modò sit positivus.* (Hæc coincidit cum essentiali) *quia est quoddam ens, & in quantum ens est, & à Deo est. Hoc sensu omnes actus fidelium, & infidelium sunt boni, quia secundum hanc bonitatem (* quæ est bonitas entis *)* sunt à Deo effectivè. Huic bonitati nulla opponitur malitia, sed purum non ens.

Bonitas causatur ex proportione actus ad debitum objectum secundum debitas circumstantias, quarum prima est circumstantia finis, à quo nomen accepit; aliæ circumstantiæ sunt modus, tempus, locus, conditio, persona, &c. *Rursus hæc bonitas duplex est, seu, actus hac bonitate bonus duplex est;* Ethicus, & Ecclesiasticus, 1. *est actus elicitus secundum rectum dictamen rationis cum omnibus circumstantiis debitis inesse actui. Et huic bonitati opponitur malitia, quando actus non transit super debitum objectum, vel sine debitis circumstantiis. Actus* Ecclesiasticus *dicitur ille, qui à Christo, & Ecclesia per inspirationem Spiritus S. est institutus exteriùs; ut sunt actus psallendi, prædicandi, baptizandi &c. De his etiam non agimus hic.*

Bonitas gratuita est ea, qua Deus ex mera liberalitate suæ voluntatis acceptat actum elicitum, vel imperatum à voluntate creata informata charitate, seu gratia gratum faciente, mediantibus Sacramentis, de potentia ordinaria, & lege communi, tanquam meritum vitæ aternæ. Hanc bonitatem nullus infidelis, neque fidelis existens in peccato mortali habere potest, & hæc ad Theologiam spectat propriè, & de illa dicemus alibi.

[1] *Miscell.1.5.n.10.*

3. Fa-

3. Famosa est divisio boni *honesti*, *utilis*, *& delectabilis*. 1. est illud,[1] *quod est appetibile secundum rectam rationem*. Ideò, inquit Scotus, est amabile amore *amicitiæ*, & est bonum secundum se. 2. est magis amabile amore *concupiscentiæ*, & non tam habet rationem finis, quàm eius, quod est ad finem, seu medii, & definiri potest illud, *quod est appetibile propter aliud*, quia conducit ad alterius boni consecutionem. 3. magis etiam habet rationem medii, quàm veri finis, licèt aliquo modo posset etiam habere rationem, non tamen ita propriè, sicut honestum; & definitur id, *cujus possessio causat delectationem*, ut pulchritudo visui, cibus gustui &c. Igitur solum honestum propriè habet rationem finis; & ideò definitur ab Aristotele id, *cujus gratia sunt*, *& fiunt alia*.

4. Aliud bonum est tale *per essentiam*, qualis est Deus solus, qui ut est ens per essentiam, ita est bonus, seu bonum *essentiale*. Hoc sensu dicitur, [2] *nemo bonus, nisi solus Deus:* aliud *participatum*, quale est omne ens creatum, quod bonitatem à Deo participat, sicut & esse; & hoc sensu creaturæ omnes sunt bonæ: [3] *Vidit Deus cuncta*, *quæ fecerat*, *& erant valdè bona*. Et, *Dei perfecta sunt opera*.

5. Aliud bonum *naturale*, quod convenit cuique rei secundum se, seu secundum naturæ suæ conditionem, & viribus naturæ communibus haberi potest; ut sanitas, scientia, &c. Aliud *supernaturale* quod non sic debetur rebus, nec viribus communibus naturæ haberi potest, sed ex gratuito Dei dono, vel auxilio ut sunt gratiæ omnes, & ea dona, quibus homo redditur gratus Deo in ordine ad vitam æternam, & quibus proximè disponitur ad justificationem.

6. Aliud est *verum*, cui à parte rei convenit bonitas, sub qua appetitur, aliud *apparens*, in quo apparet quidem bonitas, sed revera non est; ut aurichalcum, quod apparet aurum, & ut tale appetitur: aliud *præfixum*, quod nec à parte rei, nec apparenter habet bonitatem, sed aliquis sponte illud sibi proponit ut bonum, & ut tale illud appetit ex libidine, vel malitia.

Ex his boni definitionibus, ac divisionibus, facilè

M 5 patet,

[1] 3. *met.c.2.n.2.* [2] *Matth.* 19. [3] *Gen.* 3.

patet, quid, & quotuplex sit *malum*. Addo, quod *malum morale* subdividitur in *malum pænæ*, & *culpæ*. Istud est privatio rectitudinis debitæ inesse actui humano: & talia sunt peccata omnia; illud verò est pœna inflicta homini à Deo, vel ab hominibus propter mala culpæ, ut mors, carcer, virgæ, &c.

Quæri autem posset hìc, an bonum sit unicum, & formale objectum nostræ voluntatis, ita ut illa non possit amare, nisi bonum, nec odisse, nisi malum: sed hoc disputavimus, ubi de voluntate.

Finem descripsimus, [1] *id, cujus gratia*, seu, *propter quod aliud fit*. Ideò omnis finis habet rationem boni, quatenus allicit voluntatem ad sui appetitum & prosecutionem per media, quæ adhibet, aut facit ad illud consequendum, & dividitur 1. in *finem qui*, seu *objectum*, seu *cujus*; qui a est id, quod intenditur, & cujus gratia fit aliud, & quod ab agente respicitur, & *finem quo*, seu *formalem*, & est actus, quo *finis qui* possidetur, & *finem cui*, & est persona, cui optamus *finem qui*, v.g. sanitas est finis, quem appetimus, & cujus gratia utimur medicina; æger verò est *finis cui* eam optamus, & possessio sanitatis est *finis quo*.

Rursus alius est *finis operis*, ad quod scilicet opus ex se destinatur. Sic scientia est finis studii; alius *finis operantis*, quem scilicet sibi præfigit operans, dum suscipit opus: sic lucrum erit finis studentis, si illud sibi proponat, & præfigat, dum studet Medicinæ.

3. Alius est *finis ultimus*, qui sic propter se appetitur, ut alia omnia propter illum appetamus, ipsum vero propter nihil aliud, ut Deus; alius *non ultimus*, qui sic appetitur, ut etiam ulterius ordinetur ad aliud bonum; ideò dicitur *finis sub fine*. Sic herbæ amantur propter medicinam, hæc propter sanitatem, ista propter operationem, & hæc propter Deum. Sic creaturæ omnes corporeæ sunt propter hominem, & homo propter Deum. *Finis ultimus* dicitur talis *simpliciter*, aut *secundum quid*. Dicitur *ultimus simpliciter*, ad quem omnia prorsus referibilia sunt, & talis est solus Deus; *secundum quid* dicitur ille, qui est talis in aliquo tantùm ordine rerum, seu

[1] *To.4.d.14.q.3.*

seu actionum, ut sanitas in serie actionum medicinalium. Prior dicitur *finis ultimus universalis*, iste *particularis*.

4. Finis est *verus*, aut *apparens*, aut *præstitutus*; 1. movet sub ratione veri boni. 2. sub ratione boni apparentis, & 3. sub ratione boni ficti, seu præfixi.

His ita explicatis, & suppositis iis, quæ diximus in Philosophia de bono, de fine, & de voluntate, restat quærere, an bonum, & finis planè coincidant, an verò differant, & quomodo.

CONCLUSIO.

B*onum utile, et finis non sunt idem propriè, bene verò honestum, ac delectabile, nec differunt à ratione finis nisi penes quædam connotata*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. docente, quòd bonum utile non habet proprie rationem finis, sed potiùs *rationem ejus, quod est ad finem*, id est medii; honestum verò *propriè habet rationem finis*, delectabile verò minùs quidem propriè, quàm honestum.

Confir. ex Philosopho [1] docente, *bonum, et finem esse idem, et illud cuique bonum, cujus gratia operatur*.

Prob. 2. quoad 1. p. Quia de ratione finis est, quòd propter se appetatur, & aliud propter ipsum; sed bonum utile formaliter ut tale non est appetibile propter se, sed propter aliud; ergo sub ratione utilitatis non habet rationem finis. Major, & minor patent ex dictis, & maximè ex definitionibus singulorum.

Prob. 2. p. Nam utrumque, scil. honestum, & delectabile est propter se volibile; ergo utrumque habet rationem finis, etiam sub propria sua bonitate; & nihil habet rationem talis boni, quod non possit appeti propter se, & aliqua alia propter ipsum, & nihil est sic appetibile, quod non habeat rationem alterutrius boni; ergo hæc bona conveniunt cum fine.

Prob. 3. p. Nam 1. bonum sub ratione præcisa boni est quid absolutum, & præscindit ab appetibilitate propter se, aut propter aliud, & bonum hone- M 6 stum,

[1] *Phy. 2. 31. et 2. Ethic. 7.*

ſtum, ut tale, nihil importat ſupra rationem abſolutam boni ut ſic, niſi appetibilitatem ſecundum rectam rationem, & delectabile nihil addit prꝫter qualitatem, per quam placet ſenſui, ſeu appetitui, cauſans illis voluptatem: ſed ratio finis ut finis dicit ordinem ad media, quæ facit amare propter ſe, nec aliter finalizat, niſi quatenus movet appetitum ad volendum aliud propter ſe ipſum; ergo bonum, & finis diſtinguuntur penes aliquot connotata. Deinde poſito, quòd ſola creatura rationalis agat propriè, & formaliter propter finem, ſequitur, quòd finis reſpiciat ſolùm agens intellectuale, bonum verò non ita; hæc autem ſunt connotata; ergo &c.

Confir. tota concluſio ex S. Aug. *Illud eſt finis boni noſtri, propter quod appetenda ſunt cætera, ipſum autem propter ſe ipſum; finem ergo nunc boni dicimus, non quo conſumatur, ut non ſit ſed quo perficiatur, ut plenum ſit; fines itaque iſti ſunt ſummum bonum*; ergo ex Auguſt. ſummum bonum, & finis ultimus idem ſunt in re, nec differunt, niſi penes illa connotata, quatenus dum bonum finalizat, movet ad alia appetenda propter ſe.

Igitur ſummum bonum, & ultimus finis, & Beatitudo idem ſunt entitativè ſub diverſis nominibus, ſicut enſis, & gladius; nec aliter differunt, niſi penes illa connotata: nam in ratione finis connotat media, quibus acquiri poteſt; finalizat ut abſens, & movet intentionaliter appetitum, & ſupponit, aut involvit plures actus tam voluntatis, quàm intellectus, v. g. intentionis, conſultationis, electionis &c. Bonum verò præſcindit ab his omnibus, nihilque importat præter appetibilitatem, ita quòd voluntas poſſit ferri in aliquod objectum, & velle illud ut bonum, præſcindendo à ratione finis, aut medii, ſeu non volendo illud explicitè, & formaliter nec propter ſe, nec propter aliud, ſed actu quodam medio, ac neutro inter utrumque; ſed tamen objectum, quod vult ut finem, aut ut medium, aut neutro modo poteſt eſſe idem bonum. In voluntate ſunt duo actus aſſentiendi bono, unus, quo aſſentitur alicui bono propter ſe, ſcilicet ut fini; alius, quo aſſentitur bono propter aliud bonum, ad quod illud bonum refertur, ſcilicet ut medium. Præter autem iſtos duos aſſenſus voluntatis, eſt ali-

aliquis assensus alius medius, quia voluntati potest ostendi aliquod objectum bonum absolutè apprehensum, non sub ratione boni propter se, nec propter aliud bonum. Voluntas autem circa tale sic ostensum potest habere aliquem actum, & non necessariò inordinatum; ergo potest habere aliquem actum volendi illud absolutè absque relatione ad aliud, aut absque fruitione propter se. Notandum tamen, quòd ille actus non erit positivè efficax, sed simplex affectus, quia volitio efficax respicit objectum ut volibile per media. Hæc valdè notanda sunt.

Objic. 1. Scotum citatum, qui docet, quòd bonum utile potest habere rationem finis, quamvis non ita propriè, sicut bonum honestum; & eodem modo quoad hoc loquitur de delectabili, ac de utili; ergo malè dicimus, quòd utile non habeat rationem finis, sicut honestum, & delectabile; nam debet illam habere saltem æquè, ac delectabile.

Resp. neg. conseq. & rationem ejus; nam delectabilitas non importat ullam oppositionem rationi finis, seu volitioni propter se; benè verò utilitas, quæ ut talis, importat necessariò relationem ad aliud bonum. Scotus verò loquitur de bono utili materialiter, & sub ratione aliqua absoluta.

QUÆSTIO II.

An detur summum bonum, seu finis simpliciter ultimus, & an sit unum, vel multiplex.

NOn disputamus, an dentur plures fines partiales ejusdem actus, aut plures totales subordinati, & voliti simul, aut successivè; certum enim est ex dictis in Physica, eundem actum posse causari à pluribus finibus tum partialibus, tum etiam totalibus subordinatis sive simul, sive successivè, aut divisivè: loquimur de bono, seu fine simpliciter summo, & ultimo, & quærimus, an illud aliquod detur in rerum natura, & an sit ita unum, ut omnia sint ad illud penitùs referibilia per se, & tam naturaliter, quàm supernaturaliter.

Suppono autem, unum posse referri ad aliud, & pro-

propter illud appeti; 1. *explicitè*, & *formaliter*, dum quis actu de bono, seu fine cogitans vult illud, & propter illud aliquid facit. 2. *implicitè*, & *virtualiter*, dum id, quod facit, est de se referibile ad aliud, licèt actu non cogitet de hoc fine, sed vel est sic dispositus, ut si ei proponeretur, facilè ad illum referret id, quod facit, vel saltem non habeat dispositionem in contrarium, sed est sic affectus saltem negativè, v. g. amas proximum nihil cogitans explicitè de Deo; amas tamen implicitè, & virtualiter propter Deum, non verò explicitè, quia tuus ille amor de se est referibilis in Deum, & non est dispositus in contrarium.

Scotus [1] præterea distinguit appetitum *naturalem à libero*; quia *naturalis* non est quid additum voluntati, nec actus aliquis elicitus ab illa, sed tantùm inclinatio quædam ad bonum suum; *liber* autem est velle liberum, seu actus elicitus liberè ab ipsa, & de utroque potest esse quæstio.

CONCLUSIO I.

D*Atur summum bonum*, *seu finis simpliciter ultimus*, *isque unus est tam naturaliter*, *quàm supernaturaliter*. Est communis inter Philosophos, & Theologos.

Prob. 1. ex Scoto post Phil. [2] Hic enim docet, *esse quemdam finem*, *quem propter ipsum*, *& propter alia volumus*, *neque omnia ob aliud eligimus*. Et probat, quòd in finibus non datur processus in infinitum, sicut nec in efficientibus. *Si causæ finales*, inquit Doctor, [3] *procedunt in infinitum*; *ergo nulla est causa finalis*. *Conseq. est falsum*, *quia contradicit sensui*, *& antecedenti*. *Prob. conseq. quia finis est*, *cujus causa alia fiunt*, *& ipse non est causa alicujus*. *Oportet ergo finem ultimum esse*, *& per consequens non procedere in infinitum*; *ergo licèt in ordine finium detur finis*, *qui est gratia alterius*, (seu non ultimus) *& finis sub fine*; *est tamen devenire ad aliquem ultimum finem*, *qui ulteriùs non est gratia alterius*.

Prob.

[1] 4. *d*. 4. *q*. 10. *A*. *n*. 2.
[2] 1. *Eth*. *c*. 2. [3] 2. *Met*. 8. *n*. 16.

Prob. 2. quia si causæ finales procedant in infinitum, nullum est bonum in natura; nam bonum, & finis idem sunt; sed qui ponit fines infinitos tollit finem; ergo & bonum; ergo vel nullus datur finis, nec bonum ullum in natura, vel datur bonum summum, & ultimus finis.

Prob.3. Si fines essent infiniti, nullum esset agens in natura, quia nullus conabitur aliquid facere ad finem, qui non est futurus, seu ad quem non poterit pervenire; sed si in finibus non daretur finis, sed esset in infinitum alius, & alius, non posset ullum agens pervenire ad finem, quia infinitum est impertransibile; ergo nisi detur finis ultimus, nullum erit agens; nullus conabitur aliquid facere, non futurus venire ad terminum, (inquit Arist.)

Prob.4. quia si fines sunt infiniti, nullum est agens per intellectum, quia omne agens per intellectum agit propter finem, & cognosceret, quòd non posset sic agere, si fines essent infiniti.

Prob. 5. Si essent fines infiniti, inanis esset appetitus noster, quia numquam posset satiari, & quiescere; nullus daretur finis certus, & determinatus, qui esset primus in ordine intentionis, & in quo primò firmaretur intentio agentis, & in quo terminaretur executio; ergo inanis esset omnis appetitus noster. Prob. ant. bona omnia, fines omnes, quos possemus velle, haberent potiùs rationem mediorum, quàm finium, & essent potiùs objecta electionis, quàm intentionis; quocumque enim bono volito illud esset semper ad aliud, & ad aliud in infinitum referibile, & per consequens medium ad aliud, & aliud in infinitum.

Aliis etiam mediis probat, [1] *non dari processum illum in causis subordinatis tam finalibus, quàm efficientibus*, sed necessariò dari aliquam primam. 1. inquit, *aliquod effectivum est primum. 2. Illud est incausabile, quia infinibile, alias non esset primum, & non ad aliud ordinabile, nec in virtute alterius natum est finire alia*, &c.

Prob. 2. p. de unitate 1. ex eodem; *Uni soli naturæ inest quæcunque primitas causæ extrinsecæ unius rationis*, sc. sicut datur unum primum efficiens, ita & unus

[1] *1.d.2.q.2.H.& N.n.11.& 17.*

unus primus finis; & eidem naturæ convenit utraque primitas; sed finis est causa extrinseca; ergo unus est primus finis. Prob. maj. quia si pluribus insit talis primitas, id erit respectu eorumdem posteriorum, aut aliorum; sed neutrum dici potest; ergo non inest pluribus. Prob. min. quia *impossibile est; idem ad duos dependere, ad quorum utrumque ejus dependentia terminetur totaliter; quia idem bis causaretur totaliter, vel neutra esset causa totalis in eodem genere causæ*, quod probatum est in Physica. Prob. quoad 2. quia si diversorum posteriorum, seu entium essent diversi fines, illa diversa entia non essent inter se, nec ad idem ordinata, & sic tolleretur unitas universi, quæ non est sine ordine. In ipso enim fine uno ponit Arist. unitatem principalem universi. *quia ad unum summum unus est ordo*.

Confir. ex D. Thoma. [1] *Ad ordines agentium sequitur ordo in finibus; nam sicut primum agens movet omnia secunda agentia, ita ad finem primi agentis oportet, quòd ordinentur omnes fines secundorum agentium, quidquid enim agit primum agens, agit propter finem; agit autem supremum agens actiones omnium inferiorum agentium movendo omnes ad suas actiones, & per consequens ad suos fines; ergo omnes secundorum agentium fines ordinantur à primo agente ad finem suum proprium, &c. Ille autem finis non potest esse aliud, quàm summum bonum, & ultimus finis, scilicet ipsemet, & unus Deus; quippe universa propter semetipsum operatur Dominus.*

Objicies 1. Possunt esse alia, & alia bona in infinitum; ergo & fines. Prob. ant. bonum est sui diffusivum; ergo omne bonum potest aliud parere; ergo nullum est assignabile ultimum; si enim istud est verè bonum, erit adhuc ulterius diffusivum, & communicabile.

Resp. dist. ant. In bonis creatis, & finitis, & respectu potentiæ divinæ, con. ant. in bonis infinitis, & increatis, neg. ant. & dist. prob. est sui diffusivum *ad extra* per productionem alterius similis, & finiti, transeat; *ad intra*; & per productionem perfectioris, neg. ant. Deus quidem de potentia sua absoluta, quæ est infinita, posset producere entia perfectiora, sed finita

in

[1] 3. *con. ent.* 18.

in infinitum syncategorematicè; & *ad intra* se se diffundit, & communicat infinitè per generationem, & spirationem æternas; imò & *ad extra* per conservationem entium productorum; sed ipse est semper finis ultimus, & solus, sicut & primus effector.

CONCLUSIO II.

OMnis actus humanus per se tendit in finem simpliciter ultimum, & summum bonum, non quidem explicitè, & in actu exercito, sed implicitè, & virtualiter, seu in actu Signato. Est etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui distinguit finem *ultimum positivè*, quod omninò non est ad aliud ordinabile, & *ultimum negativè*, quod licèt de facto, & actualiter non ordinetur ad ulterius bonum, tamen habitualiter ordinatur, scilicet ad ultimum. 1. *modo*, inquit, *non oportet, quòd omnis intentio sit respectu ultimi immediati*, 2. *modo dico, quòd sic, quia omnis intentio est respectu alicujus ultimi tunc cogniti in actu*; ergo ex Scoto, omnis actus humanus habet finem ultimum, saltem negativè, quem *explicitè* intendit non ordinando illum ad aliquem ulteriorem; habet & ultimum *positivè*, & *simpliciter*, quem homo intendit *habitualiter*, seu *virtualiter*, & *implicitè*.

Prob. 2. Finis simpliciter ultimus est illud bonum, [2] *propter quod sunt appetenda cætera, ipsum autem propter seipsum, seu quod omninò non est ad aliud ordinabile*; sed omnis actus humanus in tale bonum tendit de se, saltem implicitè, & virtualiter; ergo omnis actus humanus per se tendit in ultimum finem. Dico, *per se*, & *de se*; quia ex pravitate, vel errore posset diverti ab eo fine; sed nisi sic divertatur, semper eò tendit.

Confir. ex Phil. [3] Finis, *ob quem res prosequimur, aut malum aliquod cavemus, est felicitas, vel aliqua ejus particula*. Item ex Boetio, *Inserta est mentibus hominum boni cupiditas. Hominum animus & si caligante memoria, tamen bonum summum appetit.* Et nar-

[1] *Repor.* 1. *d.* 38. *A.n.* 2. [2] *S. Aug.* 19. *civ.c.* 1. [3] 1. *Rhet.* 5.

narrat Aug. [1] quòd cum Mimus quidam promisisset plebi, se divinaturum, quid quisque haberet in animo, dixit, *omnes vultis charo vendere, & vili emere*, quod non approbat S. Doctor, [2] *at si dixisset, omnes vultis esse beati, dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus satis nota est, non recedit*, &c. Et alibi ait, quòd *omnes amant beatitudinem, & eò tendunt omnia, quæcumque agunt, & hic appetitus venit à natura. Ad appetendam beatitudinem natura compellit, cui summè bonus, & immutabilis creator hoc indidit, et in hoc Deus non fecit. Fecistis nos Domine ad te, et irrequietum est cor nostrum, donec quiescat in te*; si ergo appetitus, & cor nullibi quiescat, nisi in Deo; ergo sicut gravia semper tendunt in centrum, ita & omnes actus nostri in Deum, ut in ultimum finem; & hoc non solùm ex dignitate objecti, sed etiam ex inclinatione innata voluntatis.

Prob. 3. Omnis actus humanus tendit in aliquod bonum, ut patet ex dictis de objecto voluntatis; ergo omnis actus humanus tendit actu, aut virtualiter in summum bonum. Prob. conf. omne bonum, quod appetitur ab homine, est natura sua referibile ad id, quod revera est perfectissimum bonum; nec ullus est tam malè affectus ex natura sua, & seclusa depravatione voluntaria, ut non sit paratus eò referre omne aliud bonum inferius, si cogitet, sed per illam tendentiam in summum bonum, quam asserimus, nihil aliud intelligimus, quàm illam referibilitatem actuum, & illam dispositionem in homine; ergo nullus est actus humanus, qui de se non sit propter illum finem, saltem implicitè, & virtualiter. Prob. mai. omne imperfectum, & participatum est de se referibile ad perfectum; & omne animal ex se fertur in suam perfectionem, & centrum; sed omne bonum particulare est imperfectum, & participatum respectu summi, & istud est ultima perfectio hominis; ergo &c.

Probatur 2. p. & simul confir. hæc ratio ex Scoto, [3] scilicet quòd omnis actus elicitus eò tendat. *Appetitus naturalis ad quæcumq; est in ordine ad perfectio-*

ctia-

[1] 13. *de Trin. c.* 3.
[2] 4. *d.* 49. *q.* 20. *N.* 15.

ctionem appetentis; propter hoc enim datus est appetitus animalibus, & rebus, ut ad perfectionem suam inclinentur (Ecce pro 1. parte, & pro præcedenti argumento) *sed deliberativus appetitus non est talis, quasi omne, quod vult* (explicitè & deliberatè) *velit propter beatitudinem.* Potest enim velle aliquid, non tamen propter beatitudinem negativè, sc. non volendo illud (positivè,& explicitè) *propter beatitudinem.* Potest etiam contrariè velle: *Primum potest, quia potest non velle negativè id, quod est ad beatitudinem; quia intellectus potest aliud cogitare, quàm beatitudinem, quando voluntas vult illud aliud; vel potest cognoscere, non ut bonum referibile, sed ut bonum in se; & tunc non volet illud positivè in ordine ad beatitudinem, sed ad summum negativè.* 2. etiam patet, quia homo ex malitia potest sic velle aliquid, ut positivè nolit referre illud ad beatitudinem; v. g. *aliquis fidelis apprehendens finem esse in Deo trino, & uno, similiter & fornicationem ut impossibilem ordinari ad finem illum, sed potiùs dictante intellectu, quòd fornicatio est contraria illi fini, & ab eo avertit, & tamen voluntas eligit fornicationem*; ergo non omnis actus humanus tendit explicitè in ultimum finem.

Prob. 2. ex eodem, quia non omnes, dum agunt, cogitant beatitudinem neque confusè, neque distinctè; ergo tunc non ordinant actus suos in illam; nam voluntas non fertur positivè, & formaliter in incognitum.

Prob. 3. & confir. hæc ratio, quia alioqui voluntas haberet simul duos actus aliquo modo oppositos; sed hoc est impossibile; ergo non semper explicitè intendit beatitudinem. Prob. maj. haberet actum explicitum in beatitudinem, ut supponitur, & simul etiam haberet alium etiam explicitum circa fornicationem, v. g. de qua sola cogitaret; ergo haberet actus oppositos simul.

Potest ergo voluntas sistere in volitione fornicationis, aut alterius boni creati, saltem negativè; non quia voluntas actu, & de facto non movetur, nisi ab objecto, quod illi proponitur; saltem confusè, qualiter tunc non proponitur, aut potest non proponi beatitudo, & tunc sistit de facto in illo actu, & bono particulari, quasi non esset referibile ad ullum ulterius.

ſed habet illud, quaſi ultimum finem, ſaltem explicitum, & in actu exercito; imò, ut dicebam, ſæpe peccator advertit actum ſuum opponi ſummo bono, & avertere ab ultimo fine, & tamen vult illum actum, & illum exercet.

Dices. Voluntas tunc fertur in finem ultimum, ut eſt finis operis, non verò operantis; ergo ſemper omnes actus tendunt in ultimum finem.

Contra. Illa relatio in fine operis non eſt formalis, nec explicita, ſed purè virtualis, & implicita; ergo nihil ad nos, qui non negamus illam tendentiam.

Dices 2. cum Thomiſtis. Datur in omnibus voluntas naturalis explicita ad finem ultimum, ex qua veniunt aliæ omnes volitiones; omnis homo vult naturaliter beatitudinem, inquit S. Thom. & ex hac naturali voluntate cauſantur omnes aliæ voluntates, cùm quidquid vult, velit propter finem; ergo omnis dilectio humana eſt ultimi finis, vel propter illum, ſaltem mediatè.

Contra, quia id gratis dicitur, & contra experientiam, qua conſtat, nos ſæpiùs agere ſine ulla tali volitione beatitudinis, imò & ſine advertentia ulla ejus; v. g. qui ſumit medicinam, ſæpe nihil cogitat, nec intendit explicitè niſi ſanitatem, & licèt aliquando habuerit cogitationem, & volitionem virtualem, aut explicitam beatitudinis, tunc tamen illa cogitatio, & volitio non magis influunt in ſumptionem medicinæ, quàm ſi nunquam habuiſſet, nec aliud bonum agnoviſſet, quàm ſanitatem. Imò, ut dicebamus, qui fornicatur, vel furatur, vel blaſphemat ex malitia, agnoſcit ſe averti ab illo ultimo, & recto fine, & vult actus illi planè oppoſitos; & in hoc conſiſtit præcipua malitia peccati mortalis, quod eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam.

Dices 3. etiam peccata materialiter, & phyſicè ſpectata poſſe referri ad Deum, qui eſt primus finis, ac primum efficiens omnis entis; peccatum enim materialiter, & phyſicè eſt ens reale creatum.

Contra. Non agitur hìc de referibilitate entis phyſici, ſed entis moralis; ergo non attenditur ad entitatem phyſicam, vel metaphyſicam actus humani, ſed ad eſſe morale; & ſic replica eſt impertinens, & exorbitans à recto modo loquendi. Quis enim unquam

Phi-

Philosophus, aut Theologus, aut tantisper rationalis somniavit posse fornicari propter Deum, aut hac phrasi usus est? Denique peccatum est contra dictamen rectæ rationis, propter quam solam homo dirigitur ad finem ultimum verum, aut apparentem; ergo avertit hominem à fine ultimo, non solum ex *fine operantis*, qui voluntariè se avertit à Deo, sed etiam ex *fine operis*, quia peccatum, ut tale, est irreferibile ad Deum.

Objic. 1. ex S. August. [1] citato. *Omnes appetunt beatitudinem, & propter hanc quæcumque cætera appetuntur*, ergo omnes actus nostri tendunt explicitè ad summum bonum.

Resp. ex Scoto, dist. ant. omnes appetunt appetitu recto, & ordinato, conc. ant. appetitu inordinato, neg. ant. Quandiu appetitus est ordinatus, sic appetit ultimum finem, non verò quando deordinatur; quod sæpe contingit; tunc enim *utitur fruendis, & fruitur utendis*, inquiunt Theologi, id est amat propter se ultimò res vetitas, seu creaturas, quæ non sunt amandæ, nisi propter Deum.

Objic. 2. Beatitudo est summum appetibile, quia est summum bonum, & ultimus finis est causa, propter quam alia omnia appetuntur; ergo omnia appetuntur propter illam. Prob. conf. quod est primum in unoquoque genere, est mensura cæterorum omnium in eodem genere; sed Beatitudo, seu finis ultimus est primum, & summum appetibile in ratione finis; ergo est causa, propter quam omnia appetuntur, & omnia de facto appetuntur propter ipsum.

Resp. ut supra, dist. conf. si appetitus sit rectus, conc. si sit deordinatus, neg. conseq. omnia quidem sic appeti debent, sed non ita fit semper.

Objic. 3. Quidquid appetit homo, illud appetit, ut bonum perfectum, vel imperfectum; si ut perfectum; ergo ut finem ultimum, & sic habetur intentum; si ut imperfectum; ergo ut ordinabile ad perfectum, seu ad finem ultimum, qui solus est simpliciter perfectus: nam omne imperfectum tendit ex se ad perfectum.

Resp. neg. ant. loquendo de intentione explicita, & formali; nec enim semper homo advertit ad perfectionem, vel imperfectionem, ut velit formaliter, &

[1] 3. *de Trin. c. 5.*

& reduplicativè omnia sub alterutra consideratione, potest velle aliquid sub absoluta bonitate, quam in re agnoscit, ut dicebamus de fornicatione, & sanitate.

Inst. Tunc sanitas, & fornicatio habent rationem ultimi finis, & summi boni, saltem præfixi, aut apparentis: ergo semper actus illi sunt propter ultimum finem.

Resp. dist. ant. rationem ultimi finis, & boni negativè, con. ant. positivè, & ut *finis operis*, neg. ant. habent rationem ultimi, quatenus de facto, & negativè non ordinantur ad ulterius bonum ex libertate, aut ex inadvertentia operantis, non autem ex se, nec positivè, & explicitè.

Inst. 2. Pro tunc sanitas, aut fornicatio satiant appetitum, vel non satiant; si satiant, ergo habent rationem ultimi boni; si non satiant, ergo ulteriùs tendit appetitus; nam quærit satietatem.

Resp. quòd satiant pro tunc imperfectè quidem ex natura rei, sed non sequitur, quòd ex vi talium volitionum homo quærat ulterius bonum explicitè. Satiant ex inadvertentia ad finem, vel ex præfixione voluntatis depravatæ, quæ non vult aliud bonum, quàm delectationem præsentem, & ad eam se limitat.

Objic. 4. Causa 2. nihil potest ut efficiens sine concursu primæ, ut efficientis; ergo neque ut finis; ergo sicut non quidquam efficit sine prima, ita neque sine illa finalizat; ergo omnis actio humana est à Deo, ut fine ultimo, sicut & à primo efficiente.

Resp. neg. cons. & disparitas est, quia efficientia primæ causæ longè est essentialior, quàm finalizatio ejusdem; nec rationes sunt eædem pro utraque. 1. est physica. 2. est moralis, & pendet ab arbitrio humano.

Igitur licèt omnes actiones hominis debeant actu dirigi ad summum bonum, ut finem ultimum, & sint de se ita dirigibiles, & ad illud tendant ex se, virtualiter saltem, & negativè, nisi à voluntate depravata divertantur; non tamen semper ita fit explicitè, & formaliter, sive ex inconsideratione, sive ex deordinatione voluntatis, quæ sæpè sistit citra illud bonum, vel illud negligit, & sibi aliud præfigit.

CON-

CONCLUSIO III.

Finis simpliciter ultimus adeò unus est, ut non possit homo plures simul intendere, benè vero successivè, si ei proponantur, ut tales. Est communis.

Prob.1. p ex Scoto [1], qui inquit, *nihil potest esse beatum in duobus objectis beatificantibus totalibus; quia unolibet eorum destructo, nihilominùs homo esset beatus; ergo in neutro esset beatus. Videtur etiam rationabile, quòd quietatus in uno objecto adæquato non possit in alio objecto adæquato quietari*, [2] item, *quia non possunt esse duæ causæ totales ejusdem effectus in eodem ordine causæ*, ut diximus in Physica.

Prob.2. ex communi sensu; neque enim ullus Philosophus, aut Theologus videtur de hoc dubitasse, asserendo pluralitatem talium finium; imò nec ipsi Philosophi Ethnici, qui plures Deos colebant, admittebant plures fines ultimos simpliciter, sed tantùm secundum quid, & singulos in suo ordine secundum illorum virtutem particularem. v. g. *Martem* colebant pro re militari, *Venerem* pro generatione, *Apollinem* pro scientiis, *Cererem* pro terræ fœcunditate, &c.

Prob.3. quia id repugnat rationi summi boni, & ultimi finis; esset enim, & non esset summum, aut ultimum; esset, ut supponitur; non esset verò, quia haberet æquale, aut superius; nec omnia propter ipsum appeterentur: nam illud aliud bonum non appeteretur propter ipsum, vel illud quoque posset referri ad hoc aliud, & neutrum duorum esset propter se simpliciter, vel ad neutrum omnia prorsus referrentur.

Confir.1. quia nequidem possunt ut tales concipi ab intellectu; ergo nec appeti. Prob. ant. quia ex terminis repugnant, ut patet ex argumento præcedenti.

Confir.2. quia nemo potest eodem motu tendere in duos ultimos fines disparatos, & non subordinatos; terminatio enim ultima per unum excludit terminationem ultimam per alium: unde Scriptura dicit, *nemo potest duobus Dominis servire*, quoad supremum cultum.

P,ob.

[1] *1. d.2.q.3.A.n.3.* [2] *Ibid. B.n.4.*

Prob. 2. pars 1. quia si per impossibile, aut per errorem proponerentur alicui tales duo, vel plures ultimi fines, non video, cur non posset eos velle successivè, modò unum, modò alterum; an autem possent de facto sic proponi, vix puto, quia videtur repugnare talis pluralitas in ipsis terminis.

Objic. 1. contra 1. Si repugnaret pluralitas ultimorum finium simpliciter, maximè quia finis ultimus debet plenè satiare appetitum, & beare hominem; sed hæc ratio nulla est; ergo non repugnant plures fines simpliciter ultimi. Prob. min. licèt jubeamur Deum summè diligere, velut ultimum finem, adhuc possumus diligere alia, v. g. proximum; ergo non repugnat fini simpliciter ultimo, quòd aliquid ultra illum diligamus.

Resp. neg. min. & dist. ant. prob. possumus diligere aliquid ultra Deum, quod sit ad illum referibile, & propter illum diligibile, conc. ant. quod sit per se, & propter se diligibile ultimatè, neg. ant. & cons. non repugnat quidem summo Dei amori, ut amentur etiam creaturæ, modò amentur ad ipsum, & in ipso implicitè, vel explicitè: sin minus amor ille esset peccatum, & injuriosus Deo; illi repugnaret, ut summo bono.

Objic. 2. Singulæ tres Personæ sunt summè diligibiles; ergo non repugnat plura summè, & ultimò amari, sunt enim verè plures personæ, & æquales, & minimè subordinatæ: ergo singulæ possunt amari ut finis ultimus.

Resp. dist. ant. Sunt summè diligibiles in unitate essentiæ, ac Deitatis, conc. ant. ut tres fines adæquati, & sub bonitate adæquatè triplici, neg. ant. sunt tres personæ, sed unus Deus, & unus finis ultimus indivisibiliter, imò secundùm relationes personales paternitatis, filiationis, & spirationis passivæ, nec dicunt perfectionem, nec imperfectionem, ut suppono ex doctrina Scoti in Theologia.

Objic 3. Potest homo velle simul plura peccata mortalia in diversis materiis, sc. furtum, homicidium, & adulterium; sed tunc vellet plures fines simpliciter ultimos; ergo possunt simul haberi plures fines ultimi. Prob. min. homo per quodlibet peccatum mortale præfigit sibi finem ultimum in materia ejus, scili-

cet

cet delectationem veneream in adulterio, vindictam in homicidio, & aurum in furto : at hæc tria non sunt referibilia in Deum ; ergo qui simul vellet illa tria peccata, vellet simul plures fines ultimos. Hæc objectio supponit, quod peccans mortaliter ponit finem suum simpliciter ultimum in peccato suo, quod examinabimus suo tempore. Interim

Resp. neg. min. Absolutè enim falsa est de finibus simpliciter ultimis, sicut & probatio ejus. Nam licèt peccans mortaliter præponat Deo bonum apparens, aut præfixum vindictæ, &c. tamen in rigore illa bona non habent rationem ultimi finis simpliciter, sed tantùm secundum quid ; imo ne quidem illa bona sunt finis, sed ipse peccans, qui ea sibi, & propter se amat amore concupiscentiæ, & sic solus peccans habet tunc rationem finis ultimi.

Resp.2.neg. eandem min. & ant. prob. Nam in hoc casu illa tria peccata, seu objecta peccatorum integrant unum finem, nec sunt plures, nisi partiales, Nam ad finem simpliciter ultimum tria requiruntur, 1. ut plenè satiet. 2. ut cæteris omnibus præferatur. 3. ut omnia fiant propter illum : & hæc deficeret in hypothesi ; nullum illorum plenè satiaret, nullum præferretur cæteris, & non referretur ad invicem. Fortè etiam sicut non possunt simul plura ut plura cognosci, ita nec appeti uno actu, aut pluribus simul, saltem ut plura.

QUÆSTIO III.

Utrum homo necessariò amet, & agat propter finem ultimum.

NOn est quæstio de necessitate physica, quia constat ex præcedenti, quòd potest homo deviare ab ultimo fine etiam cognito, ut deviat, quoties peccat. Nam *omnis humana perversio, & vitium est fruendis uti velle, & frui utendis*, inquit Augustinus, [1] & docent Theologi, ne quidem beatos in Cœlo necessitari ad amorem Dei clarè visi ; saltem physicè, & ex dictis de voluntate patet, eam non posse necessitari ad actus elicitos.

[1] c.83. q.7.q.30.

·os. Quæstio igitur est de necessitate morali, & præcepti; & sensus est, an ex aliquo præcepto divino, vel humano teneatur homo rationis compos omnes actus suos elicitos referre formaliter, & explicitè in Deum, ut finem ultimum, ita ut peccet, si non referat. Dico *elicitos, & explicitè;* non enim amplius est quæstio de appetitu innato, nec de tendentia interpretativa, aut implicita; quia constat ex dictis, quòd omnes actus ejus eò sic tendunt ex se, nisi positivè aliò distrahantur per intentionem inordinatam, & explicitam, ut fit in peccatis mortalibus.

CONCLUSIO.

Homo non necessitatur omnes actus suos elicitos dirigere explicitè, & formaliter in finem ultimum, neque ex præcepto, nequidem ut justus.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *licèt voluntas libera velit, ut in pluribus, beatitudinem apprehensam in universali, aut particulari, quando intellectus non dubitat in illo particulari esse beatitudinem, non tamen necessariò vult*, &c. & id probat, quia voluntas, quæ est causa superior, non potest necessitari ab ullo objecto, quia de se est libera, & quia deberet intellectus necessariò, & semper considerare beatitudinem, &c. imò *ostensa beatitudine*, voluntas *non necessariò habet aliquem actum, sed potest se suspendere ab omni actu; alioqui simplices, quando apprehendunt aliquid, quod pertinet ad finem ultimum, de quo nesciunt, an sit de ratione finis ultimi, tenerentur ad volendum illud*. Unde *unumquodque potest voluntas velle, aut nolle, & à quolibet actu in particulari potest se suspendere*. Hæc probant efficaciter 1. p. Concl.

Prob. 2. eadem 1. p. quia sic homo esset naturaliter impeccabilis, nec posset unquam peccare, quia non posset avertere se ab ultimo fine, sed conseq. est falsum; ergo homo non necessariò agit omnia propter finem ultimum.

Confirm. ex iis, quæ diximus de libertate voluntatis quoad exercitium circa bonum, etiam cognitum ut

[1] 1. *d.*49.*q.B.* & *D.n.*3. *et* 5. & 7. *d.*1. *q.*3.

ut bonum, quia licèt non possit illud odisse, tamen potest non amare, suspendendo circa illud omnem actum, ut dicebat Scotus. Voluntas ergo non potest odisse beatitudinem cognitam, ut talem, sed potest non amare illam.

Prob. 2. p. ex Doctore [1] 1. quia *sunt multi actus indifferentes, non tantùm secundum esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse, quod habent in specie morali, & sunt etiam indifferentes ad bonum meritorium, & malum demeritorium: multi etiam singulares actus liberè eliciti sunt indifferentes, quia non habent sufficientem rationem malitiæ ad peccatum veniale pertinentem, quia possibile est nullam deordinationem esse in eis, quæ sufficiat ad rationem peccati* (Nota rationem hanc) *non enim tenetur homo, nec tentione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam sit peccatum veniale, referre semper actum suum in Deum actualiter, vel virtualiter* (Nota etiam) *quia Deus non nos obligavit ad hoc*; ergo ex Scoto; nullum est præceptum obligans referre omnes actus elicitos ad finem ultimum; seu ad beatitudinem. De actu indifferenti dicemus infrà.

Prob. 2. quia non constat de ullo tali præcepto; ergo nulla est necessitas præcepti referendi explicitè omnes actus elicitos in beatitudinem. Prob. ant. illud præceptum esset generale, aut particulare; sed neutrum dici potest, ergo nullum est. Prob. min. quia nullibi constat de alterutro.

Dices, illud involvi in generali præcepto charitatis. *Diliges ex toto corde tuo, et ex tota anima tua*; non enim diligitur Deus ex tota anima, nisi omnia fiant propter ipsum.

Contra 1. quia præceptum charitatis non obligat ad semper, ut suppono ex omnium consensu, & ex dicendis tract. de charitate. 2. quia ipse S. Thomas, qui non admittit actus indifferentes, docet tamen, [2] *si quæratur quando oporteat referre actum in finem ultimum hoc nihil aliud est, quàm quærere, quando oporteat habitum charitatis exire in actum, quia quandocumque habitus charitatis in a-*

N 2 *ctum*

[1] 2. *d.* 51. *A. & B. n.* 25. & 4.
[2] 2. *d.* 4. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 6.

ctum exit, fit ordinatio hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum, quæ ad ipsum pertinent; frustra autem sic loqueretur, si hoc continuè, & semper, & in omnibus ita esse deberet.

Dices 2. hoc præcipi à D. Paulo, [1] *Sive manducatis sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite*. Et [2] *Omnia, quæ facitis in verbo, aut opere, omnia in gloriam Dei facite*. Et, *Omnia vestra in charitate fiant*; quæ sic fieri non possunt, nisi referantur in Deum.

Contra. Nam ibi *non est præceptum, sed consilium*, inquiunt Interpretes; [3] alii volunt, ibi esse tantùm præceptum negativum, sc. præcipi, ne quid fiat, ex quo blasphemetur Deus; & si est præceptum positivum, non obligat ad semper. *Sustinendo, quoniam est præceptum, non consilium, dicendum, quod est affirmativum, talia autem præcepta non obligant ad semper* inquit Hugo. [4] Ad præceptum negativum id reducit Theophylactus: *Simpliciter quamcumque rem in gloriam Dei facit, quispiam agit; quando neque alium scandalo quopiam lædit, neque seipsum*, &c. & per 1. locum *monemur invocare nomen Dei in omnibus, ut rectè fiant* (inquit Chrysost.)[5] Consilium est, non præceptum. Nam *si sic faciamus, nihil erit scelestum, nihil immundum, ubi Christus invocatur*.

Nullum ergo datur præceptum generale, aut particulare tendentiæ in finem ultimum positivè, & per omnes actus elicitos. Dantur actus indifferentes, ut dicemus, ergo multò minus prohibentur actus ex motivis honestis singularum virtutum, verbi gratia, eleemosynæ propter honestatem particularem ejus, aut ex misericordia, & charitate naturali in proximum, nihil cogitando de Deo, vel beatitudine: quod confirmatur ex sequenti argumento. Siquidem

Prob. 3. quia si daretur præceptum naturale, aut positivum divinum; ex quo veniret talis necessitas, *omnia opera infidelium essent peccata*, quia infideles non omnia referunt in Deum, quem non agnoscunt; sed consequens est erroneum in fide; illa enim propositio

[1] *Cor.* 10. [2] *Coloss.* 3.
[3] *Cor. ibi*. [4] *Hugo Card.*
[5] *Coloss.* 3. *hom.* 9.

positio est damnata ab Ecclesia contra Michaelem Bajum; ergo nullum est præceptum, nec ulla necessitas moralis ordinandi explicitè omnes actus nostros in Deum. Prob. maj. Infideles suos actus referrent vel in Deum verum, vel in sua idola, vel neutrum facerent: non 1. quia illum non agnoscunt: non secundum, quia semper peccarent peccato idololatriæ: si 3. etiam peccarent contra præceptum non referendo; ergo omnia illorum opera essent peccata.

Dices, quòd referendo in idolum non peccarent propter ignorantiam invincibilem veri Dei.

Contra 1. quia non admittitur illa ignorantia invincibilis; ergo nulla solutio. 2. quia à parte rei illa non sunt finis ultimus.

Prob. 3. p. de homine justo. Nam status gratiæ non imponit illud onus homini, quod esset gravius, quàm patiatur humana infirmitas, in qua *septies in die cadit justus*, si velit agere conformiter ad inclinationem gratiæ, & virtutum, & meritoriè, debet sic agere, sed ad id non necessitatur, nec physicè, nec moraliter.

Objectiones, quæ fieri possunt contra 1. p. jam solutæ sunt in quæst. præced. de tendentia implicita, & virtuali omnium actuum in ultimum finem, non autem explicita.

Objic. 1. contra 2. p. ea Scripturæ, Patrum, ac Philosophorum argumenta, quibus impugnari solent actus indifferentes, & hæc remittimus in suum tempus, ac locum.

Objic. 2. cont. eandem, & 3. p. Si justus, ut justus, non teneretur ordinare omnes actus suos liberos in Deum, ut finem ultimum, posset sine peccato frui creatura: sed hoc falsum, & absurdum est, ergo & falsum est, quòd homo, etiam justus, non necessitetur tendere per omnes actus in eum finem. Min. patet ex S. Aug. cit. Nam frui utendis est perversio, quæ non cadit in hominem justum, sed facit eum peccatorem. Prob. maj. Frui creatura est eam amare propter se ultimò; sed hoc faceret justus non referēdo omnes actus suos in Deum; ergo vir justus posset sine peccato, & manendo justus frui creatura, nisi teneretur necessariò referre omnes actus suos in Deum.

N 3 Resp.

Resp. neg. 1. maj.& d.2. Frui creatura est eam amare propter se non referendo eam in Deum positivè, aut saltem negativè,conc. maj. positivè, & explicitè, neg. maj. & conseq. fruimur creatura, cùm sic sistimus ultimò in ejus amore, ut excludamus, saltem virtualiter, & implicitè, aut indirectè, aut interpretativè finem ulteriorem, eam præferentes Deo cognito. Id autem non facimus, quoties agimus sine intentione positiva, & explicita, v. g. cùm facimus eleemosynam ex motivo commiserationis humanæ, vel liberalitatis, nihil cogitantes de Deo, nec de fine illi opposito, ut faceret ille, qui daret ex motivo vanæ gloriæ, aut luxuriæ, &c.

Objic. 3. Cùm amas sanitatem, amas eam, ut finem ultimum, vel non ultimum; si ut ultimum, ergo peccas, & frueris sanitate; si ut non ultimum, ergo intendis ulteriorem; & de hoc ulteriori quæro idem in infinitum; ergo vel debes amare sanitatem, ut finem ultimum, & sic peccas, & frueris sanitate, vel propter finem ultimum, & sic habetur intentum.

Resp. dist. ant. Ut finem ultimum negativè, & quasi non cogitans de ulteriori, conc. ant. ut finem ultimum positivè, excludendo ulteriorem, neg. ant. quoad illam partem. Explicitè sanitas est unicus finis, & negativè ultimus, quia illam solam cogito, & intendo, sed positivè non excludo ulteriorem. Imò implicitè, interpretativè, & virtualiter intendo ulteriorem, seu ultimum, nisi habeam in mente finem contrarium. Imo sum sic dispositus tum ex objecto, tum ex habitu gratiæ, ac virtutum, quod intenderem Deum, si cogitarem illum.

Inst. Quæ sunt essentialiter ordinata debent appeti secundum ordinem illum, sed sanitas (& omne bonum creatum) est essentialiter ordinata ad Deum, ergo debet necessariò appeti in ordine ad Deum. Prob. maj. alioqui enim appetitus est deordinatus; ergo &c.

Resp. neg maj. absolutè, & ejus prob. Erit inordinatus negativè, idest, non habebit positivè totam rectitudinem, quam habere posset, conc. antec. inordinatus positivè, & aliqua deordinatione peccami-

caminosa, neg. ant. Nam licèt actus ille non attingat totam perfectionem, quam haberet, si ordinaretur ad Deum, tamen non deviat à recto, nec excludit illum finem.

Inst. 2. Omne imperfectum per se ordinatur ad perfectum; sed omne bonum creatum, ut sanitas, est bonum imperfectum, & finis ultimus est simpliciter perfectum; ergo sanitas, & omne bonum creatum per se ordinatur ad finē ultimū; ergo debet appeti relativè ad finem ultimū, vel appetitus erit inordinatus.

Resp. neg. absolutè maj. vel sic dist. est per se ordinabile ad perfectum, & debet sic ordinari, ut appetitus sit perfectè rectus, conc. maj. absolutè, & necessariò, neg. maj. & rationem ejus. Si sic referatur ad Deum amor sanitatis erit positivè perfectus, & rectus; si sistat infra illum finem, non erit tam perfectus, quàm posset esse; non tamen erit positivè malus, saltem ex hoc solo capite.

Objic. 4. Homo justus debet agere conformiter ad inclinationem gratiæ, & justitiæ; sed gratia, & justitia inclinant justum in Deum per omnes actus suos; ergo justus debet tendere in Deum per omnes actus suos.

Resp. dist. maj. ut perfectè, & meritoriè agat, conc. maj. absolutè, adeò ut peccet, si non semper sic agat, neg. maj. & cons. sicut enim non tenetur sub peccato semper cogitare Deum, ita nec semper tendere positivè, & explicitè in Deum.

Colligis ergo ex his duabus quæstionibus 1. quòd omnes actus nostri liberi de se tendunt in finem ultimum, saltem virtualiter, & implicitè, ex *fine operum*; sed sic non semper tendunt explicitè, & formaliter, & ex *fine actuali operantium*, nec ad hoc necessitas ulla physica, vel moralis absoluta urget, bene verò conditionata, scilicet si velimus rectè agere, imò & absoluta in casibus, in quibus urgent præcepta positiva charitatis, aut alterius virtutis, & etiam ex consilio, & maximè si volumus attingere perfectionem christianam. Sic justi omnes debent esse, saltem habitualiter, ita dispositi, ut non solùm nihil velint agere in contrarium, quia tunc peccarent, sed etiam ut ex generali, & habituali quadam intentione non semel elicita, & non retractata, eò tendant per omnes actus

suos: & hoc sensu intelligendi sunt præallati textus Scripturæ.

QUÆSTIO IV.

Qualis debeat esse finis ultimus, seu summum bonum, seu Beatitudo objectiva.

HÆc tria, ut jam monui, idem significant. Nam *cujus gratia agenda sunt singula*, inquit Doctor subtilis, [1] *est bonum cujusque, idest, bonum particulare, quia particularis finis est bonum in unoquoque genere. Illud verò, quod est finis omnium, & in universo illud est, quod est optimum in tota natura. Et notandum, quod bonum secundum propriam rationem habet rationem finis; & nomen boni convenit fini, quia est per se appetibilis.* Igitur *summum bonum*, & *ultimus finis*, & *objectum Beatitudinis*, in quo scilicet ultimo quiescere debemus, idem sunt: & quærimus, quale debeat esse illud ens, seu bonum, propter quod omnia sunt appetenda, quo nullum majus est, & in cujus possessione planè satiati conquiescemus. Beatitudo, ex Scoto [2] describitur, *Bonum sufficiens excludens defectum, seu indigentiam*. Vel, *bonum perfectum, seu completum excludens imperfectionem, seu diminutionem*. Vel *bonum ultimatum excludens tendentiam, vel ordinabilitatem ad aliud completius*. Vel, *bonum est, quo habito completè, & bene est habenti*. Communiter verò ex Boetio [3] describitur, *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, Vel ex Tullio; *secretis malis omnibus cumulata bonorum omnium complexio*. Conveniunt igitur omnes in significatione, & conceptu Beatitudinis; sed in bono illo assignando mirum, in quot partes, & errores divisi fuerint Philosophi. *Vita, quæ hoc nomine digna est, ut vita dicatur, non est, nisi beata, & beata non est, nisi æterna,* inquit S. August. [4] *Hanc volunt omnes, sed ad hanc tam magnam possessionem quà itur? Instruxerunt sibi viâs er-*

[1] 1. *met. cap.* 1. *n.* 25.
[2] 4. *d.* 49. *q.* 1. X. *n.* 25.
[3] 3. *de consol. pro.* 3.
[4] *De Stoic. & Epicur. fin.*

erroris Philosophi. Alii dixerunt hac via eundum, alii non hac, sed hac; latuit eos via, quia Deus superbis resistit, lateret & nos, nisi venisset ad nos ipse, qui est via, veritas, & vita. Narrat autem ex Varrone veteres illos in 288. diversas de summo bono sententias dispersos abjisse. *Ignotum non est* (inquit S. Prosper) [1] *quantum Græciæ Scholæ, quantum Romana eloquentia, & totius mundi inquisitio circa inveniendum summum bonum acerrimis studiis, excellentissimis ingeniis laborando nihil egerint, nisi ut evanescerent in cogitationibus suis, & obscuraretur insipiens cor eorum, qui ad noscendam veritatem semetipsis utebantur.*

Ea tamen diversitas, & multitudo ad tres, aut quatuor classes posset reduci. 1. est eorum, qui summum bonum in bonis corporis collocabant; ut sunt sanitas, pulchritudo, robur, gratia, strenuitas, & alia hujusmodi sivè à natura, sive ab arte. 2. eorum, qui in voluptatibus corporis, aut etiam animi, vel in hac vita, ut dicitur de Epicureis, vel etiam in alia, ut Mahumetani. 3. eorum, qui in bonis fortunæ, ut sunt opes, & honores; & 4. eorum, qui in bonis animi, ut sunt scientiæ, ac virtutes, vel in utriusque, scilicet corporis, & animi.

Porrò duplex est Beatitudo, *Objectiva*, & *Formalis*, seu potiùs hæc duo Beatitudinem essentialiter constituunt, *Objectiva* est res, seu Bonum, cujus possessione beatificamur: *Formalis* verò est ipsa possessio talis boni, seu operatio, per quam illi bono unimur, & possidemus.

Tres autem conditiones requiruntur in *fine ultimo*, seu *Batitudine objectiva*, 1. ut sit bonum optimum, seu summum, ita ut ad illud omnia referri debeant, & illud ad nihil ulterius, ut *sit essentialiter, et simpliciter supremum inter omnia naturæ intellectuali appetibilia*, inquit Doctor; [2] *unde sequitur, quòd est infinitum; quia cuicumque naturæ non repugnat infinitas, illud non est simpliciter supremum, nisi sit formaliter infinitum. Supremum volibile est illud solum, quod cuilibet naturæ intellectuali est simpliciter per se volibile, ita ut non propter aliud*, &c. Imo

[1] *Con. collator. c. 12. vel 26.*
[2] 4. d. 49 q. 2. Q. R. S. n. 19.

repugnat illa appeti propter aliud, quod sit appetibile.

2. est, ut sit perfectum, & excellens super omnia alia bona, ut patet ex textu allato; alioqui enim non esset summè, & super omnia alia volibile; imò & debet esse infinitum in omni bonitate, & perfectione cum exclusione omnis defectus, ac imperfectionis, & eò facit, quod dicunt alii, *ut sit bonum purum*, scilicet sine admixtione mali, & expellat omnem miseriam.

3. est, ut plenè satiet, ita ut præterea nihil sit appetendum, saltem ex indigentia, & cum anxietate; nam felicitas nullius rei indiga est, sed ex se ipsa sufficit. Has omnes conditiones sic complectitur Arist. [1] *Beatitudo est bonum perfectum absolutè, quod propter se, & nunquam propter aliud sumitur, & se ipso satis est, nec qui illud habet, rem ullam desiderat bonis omnibus aliis cumulatum, & rerum omnium, quæ in operatione posita sunt, extremum*, &c. ergo ex Philosoph. & Scoto, Beatitudo *est sufficiens* bonum excludens omnem indigentiam, & imperfectionem, *ultimatum*, excludens tendentiam ad aliud completius bonum, & quo possesso satiatur habens.

CONCLUSIO I.

N*Ullum bonum creatum habet ex se, nec habere potest rationem finis ultimi; seu summum bonum, & objectiva Beatitudo non est in bonis fortunæ, nec corporis, nec animi*. Ita Philosophi omnes Christiani cum Theologis.

Prob. 1. ex textu allato Scoti. Patet enim, nullum ex bonis illis creatis, nec omnia simul habere conditiones ultimi boni, quale illud describit.

Prob. 2. per partes, & 1. ex ipsis Philosophis. Nam sic argumentatur Arist. [2] de bonis illis omnibus. *Honorem verò, & voluptatem, & mentem, atque omnem virtutem tum propter seipsa expetimus, tum propter felicitatem; per illa namque beatos nos fore credimus, ipsam verò felicitatem neque propter illa, neque omninò propter aliud quispiam expetit*; ergo neque singula, neque simul omnia possunt esse finis ultimus,

quia

[1] *Ethic. c. 5.* [2] 1. *Ethic. c. 7.*

quia sunt appetibilia propter aliud, v.g. propter beatitudinem.

Prob. 2. ex Seneca, [1] quia nequidē sunt media optima ad bonum honestum, seu virtutis. *Nam abstrahunt à recto divitiæ, & honores, & cætera, quæ opinione nostra cara sunt, prætio suo vilia; nihil habent ista magnificum, quo mentes in se nostras trahant*, scil. sunt indigna appetitu nostro; ergo tantum abest, ut sint summè appetibilia. Idem est de voluptatibus, quæ potiùs affluunt malis, quàm probis. *Multos ostendam voluptatibus obsessos, in quos fortuna omnia sua munera effudit, quos fatearis necesse est esse malos. Hos esse in voluptatibus dices, nec tamen benè illis erit, quia non bono gaudent*; & si in his felicitas summa consisteret, Deus non esset felix, quia hæc bona in Deo non sunt: [2] *quoniam quæ parata sunt nobis, non habet in usu Deus, nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quidquam ex his hominem inescantibus pertinet; nec bona pura sunt, sed plus nocent, quàm prosint. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt?* Idem est de divitiis, quæ nec acquiruntur, nec possidentur sine labore; tormenta sunt, non bona beatificantia. [3] *Si omnia alia, in quibus angimur compares, si mortes, ægrotationes, metus, desideria, dolorum, laborumque patientiam cum iis, quæ nobis mala nostra pecunia exhibet, hæc pars multò prægravabit*; & maximè quia bona ista extra nos sunt; ergo non felicitant: quia vera felicitas debet esse intra nos. [4] *In homine id laudandum est, quod in ipso est; familiam pulchram: habet domum pulchram multum serit, multum fenerat, nihil horum in ipso est, sed circa ipsum, laudo quod nec dari, nec eripi potest.* De honoribus. *Nemo ex his, quos purpuratos vides, felix est, non magis, quàm ex his, qui sceptrum, & clamydem in Scena fabulæ assignant.* Denique omnia excludit; *Relinque ista, ad quæ jamdudum discurritur, relinque divitias; sunt aut periculum possidentibus, aut onus. Relinque corporis, atque animi voluptates; molliunt, & enervant. Relinque ambitum; tumida res est, vana, ventosa; nullum habet terminum, tam sollicita est, ne quem ante se videat, quàm ne se post alium.* N 6 Boe-

[1] *de vit. Beat. c.* 1. [2] *Id. Ep.* 74. [3] *Ep.* 39. [4] *Ep.* 41.

Boetius eleganter hæc reprobat omnia à ratione veri finis [1] *Nihil dubium est, quin ad beatitudinem viæ devia quædam sint, nec perducere eò quemquam valeant, ad quod se perducturos promittunt; quantis verò sint implicita malis brevissimè demonstrabo. Quid enim pecuniam congregare conaberis? sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere vis? danti supplicabis, & qui cæteros honore præire cupis, poscendi humilitate vilescis. Potentiam ne desideras? Subjectorum insidiis obnoxius periculis subjacebis? Gloriam petis? Sed per aspera quæque distractus securus esse desistis. Voluptuariam vitam degas. Sed quis non spernat, atque abjiciat vilissimæ, fragilissimæque rei corporis servitium? Jam verò qui bona præ se corporis ferunt, quàm exigua, quàm fragili possessione nituntur, Num enim Elephantes mole, tauros robore superare poteris? Num tigres velocitate præibis?* &c. *Ex quibus omnibus illud in summam redigere licet, quòd hæc nec præstare, quæ pollicentur, bona possunt, nec omnium bonorum congregatione perfecta sunt; ea nec ad beatitudinem quasi quidam calles ferunt, nec beatos ipsa perficiunt.*

Probatur 3. ex SS. Patribus, qui toti sunt in confutandis erroribus eorum, qui in his bonis felicitatem, non dico æternam, quo nihil stolidius, sed etiam præsentem ponunt. Unum, aut alterum adduco, alioqui omnia eorum opera essent excribenda. *Nemo se credat aliquam felicitatem, aut aliquod verum gaudium in hoc sæculo possidere*, inquit S. August. [2] & 1. de divitiis. *Pecuniam non facit beatum; nam divites plus egent; quantò plus habent; desideriis vastantur; cupiditatibus dissipantur; timoribus cruciantur, & tristitia contabescunt.* De honoribus S. Chrysost. [3] *Honoris magnitudo his, qui pro digno vivunt honore, stimulus incipit esse pœnarum.*

Prob. 4. ex Scriptura, qua docemur, omnia extra Deum vana esse, laboriosa, difficilia, jejuna, etiam ipsa bona animi, ut scientiæ, ac virtutes naturales, in quibus gloriatur homo, & nisi ad Deum referantur, [4] *Omnia vanitas*, inquit Sapiens, *cunctæ res difficiles, non potest*

[1] *l.3.pro.9.* [2] *Ser.46.d.*
[3] *De dicipl.Chris.c.1.& ps.29.E.narr2.*
[4] *Eccle. 1.*

potest eas homo explicare sermone, non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur. In ipsis scientiis, & sapientia labor, & afflictio. *Agnovi, quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quòd in multa sapientia sit multa indignatio.* Et, *Qui addit scientiam, addit & laborem.* In toto mundo nihil, quod satiet, sed omnia potiùs excitant concupiscentiam: *Omne, quod in mundo est, aut concupiscentia carnis est*, &c. In fine vitæ miseriores erunt, qui fuerunt ditiores. Et, *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Idem est de honoribus. *Transivi, & ecce non erat.* Denique nihil in terra, quod desideraret, reperiebat David; *quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram?* Virtutes ipsas mundi reprobat Deus; *stultam fecit Deus hujus mundi sapientiam; perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*: Beati non sapientes, & doctiores, *sed pauperes spiritu*. Beati, non voluptuosi, ac spurcitiis deliciarum carnis dediti, *sed mundo corde*. Beati, non fortes, & bellicosi, *sed pacifici*. Beati, non divites. & avari, sed prodigi, & liberales. Beati *misericordes*. Beati, non fortunati, & Tyranni, aut principes, & felices in sæculo, quibus omnia pro votis affluunt terrena bona; sed miseri afflicti oppressi, *qui persecutionem patiuntur*; Beati, *cum vos oderint homines, & persecuti vos fuerint*, &c.

Prob. 5. ratione, quia nullum est bonum creatum, in quo sint conditiones summi boni, & ultimi finis, neque seorsum, neque simul, ut patet experientia ipsa, summum, quod habent, est, quòd sicut participant esse à Deo, ita & aliquam bonitatem: ergo si quam habent bonitatem, illa referenda est in Deum, à quo sunt, & pendent, non autem debent terminare ultimò appetitus nostros. Patet etiam, quòd non satiant. Quis enim divitiarum amori finem imposuit avarus, vel honorum cupiditati ambitiosus? aut sensuum aviditati voluptuosus? non enim *satiatur oculus visu*, lassantur in via iniquitatis, non satiantur, fatigantur, non quiescunt, &c.

Confir. de divitiis, aliisque bonis fortunæ, quia sunt extra nos, & quæ sunt extra nos, non pendent à nobis; subjacent injuriis temporum, hominum, & volu-

volubilitati fortunæ ipsius, à qua illa habemus. 2. ex omnium consensu, non habent bonitatem in se, & ad se, sed utilitatem ad alia bona. 3. nec in acquisitione, nec in possessione quietant, sed potiùs curis divexant, & pondere gravant.

Confir. de honoribus, de fama, gloria, & dignitatibus, quæ sunt in honorantibus, æstimantibus, & laudantium opinione, non in nobis, &c. Nam *gloria est clara cum laude notitia*, inquit S. August. [1] vel *frequens de aliquo fama cum laude*; ergo hæc sunt in aliorum opinione aut vera, aut falsa 2. Pendent ab aliorum arbitrio, & justitia, vel injustitia; homines siquidem ex cæcitate, aut depravatione affectus laudant sæpè vitia enormiora, & virtutes sanctiores denigrant. 3. Nihil laboriosius amore dignitatum, & honoris. *Insaniam gloriæ* vocat Chrysost. [2] *gehennam quandam*. 4. summum bonum debet esse firmum, & stabile; *carnalis autem gloria, dum nitet, cadit, dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur*, inquit S. Gregorius. [3] Sæpè ab inhonoratis honoraris, quo nihil indignius, *quid est à multis in prætio haberi?* Respondet Chrysost. *nihil, si enim intereunt, qui honorem impendunt, multò magis honor ipse, qui honorem alteri exhibet, sibi ipsi primum exhibere debet; jam verò honores etiam ab ignominiosis, tenuibus, contemptibilibusque viris quos probrosos esse scimus, venamur, qualis est honor ipse?*

Confir. 3. de bonis corporis. Hæc supra bona fortunæ hoc habent, quod in nobis sunt, ut sanitas, integritas partium, & sensuum, robur, pulchritudo, vis sensuum expedita ad functiones cuique proprias, illarumque appendix voluptas corporea. At 1. hæc non sunt pura bona; infinitis subjacent curis, miseriis, casibus, & timori hostium externorum, & morborum interiorum, ac mortis, quæ instat undique, & semper. 2. quod Christiano Philosopho majus esse debet, quò sanior, ac robustior est caro, eò magis *concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*; nec frænari potest corpus, nisi castigetur, & *in servitute redigatur*; unde satius illi est

[1] *l. 83. qq. q. 31.* [2] *Hom. 28. in Jo.*
[3] *17. moral.*

est cum Apostolo *in infirmitatibus gloriari*. 3. Quia in his omnibus homo est corruptibilis, & *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*. 4. De robore. [1] *Quis tam stultè ineptus est, ut corporis vires divinum, vel etiam humanum bonum judicet, cùm sint majores pecudibus attributæ, et uno morbo sæpè frangantur, vel ipsa senectute minuantur, et corruant?* Certè viribus præpollent Athletæ, & rustici ex hominum fęce, imò & istis prævalent boves, equi, elephantes, &c. 5. Pulchritudo fœmineum est bonum, & adhuc fragilius: *flaccescit enim pulchritudo, et citiùs, quàm folia, humi decidit*, ait Clem. Alex. [2] *et priusquam venerit autumnus, marcescit, et interit*. Et plus inquietudinis, quàm quietis, ac voluptatis confert. Ideò vocatur à Philosophis *modici temporis tyrannis; temporis, et morbi ludibrium; vestis urbana; Tacita deceptio; eburneum detrimentum*, & Regius Psaltes, *cùm mane sicut herba transeat; mane floreat, vespere decidat*, &c. & Isaias dicit, [3] quod *omnis caro fænum, et omnis gloria ejus, quasi flos agri*. Denique vix compatitur cum sapientia, & virtute. *Raram fecit misturam cum sapientia forma*.

Confir. 4. de corporeis voluptatibus, difficile quidem est convincere Epicureos, & Mahumetanos, homines scilicet bestiales, qui in his sunt brutis ipsis turpiores, & stolidiores. Tamen 1. Summum hominis bonum non debet ei esse commune cum bestiis, ut sunt voluptates corporeæ; voluptuosi autem, [4] *veluti pecora humum proni spectant, ventrique obedientes pascendo, coeundo ætatem conterunt*, ajebat Plato. 2. nequidem pro brutis voluptas est summum bonum; *nec enim ad hoc nascitur nec equus, nec canis, aut bos, quæ animalia multò ignobiliora sunt homine, ad voluptatem nata sunt*. 3. nec satiant, nec sunt propter se, ut dictum est. *Non est omninò necessaria affectio voluptatis, sed accessio, & affectatio quædam usibus quibusdam naturalibus fami, siti, frigori, matrimonio*, &c. ait Clem. Alex. [5] & ut docet Seneca, [6] *voluptatem natura necessariis*

rebus

[1] *Lactant. l.1. c.18.* [2] *3. pædagog.*
[3] *Ps. 89.* [4] *de rep. l.9.*
[5] *2. Ro.9.* [6] *Ep.116.*

rebus admiſcuit, *non ut illam appeteremus*, *ut finem; ſed ut ea*, *ſine quibus vivere non poſſumus*, *gratiora nobis faceret illius acceſſio*; ergo propter aliud, non propter ſe appetenda. 4. non eſt purum bonum, ſed graves curas exigit, & dolores poſt ſe trahit, ac pœnas: [1] *Summum* autem *bonum bonum eſt immortale*, *neſcit exire*, *nec habet ſatietatem*, *nec pænitentiam*: at voluptas *tunc maximè delectat*, *cùm extinguitur*. *Citò implet*, *& tædio eſt*; *et poſt primum impetum marcet*, unde Sapiens dicebat, *extrema gaudii luctus occupat*.

Confir. 5. De bonis animi, ut ſunt ſcientiæ. Sunt quidem eximia bona, & nos à beſtiis ſecernunt, ſed non ſumma. 1. quia, ut dixi, ſcientia humana, quantacumque ſit, non ſatiat; Salomon ſapientiſſimus hominum reperit in ea vanitatem, ſicut in cæteris rebus humanis. *Non* enim *ſatiatur oculus viſu*, &c. *Ego* Eccleſiaſtes [2] *propoſui in animo meo quærere*, *et inveſtigare ſapienter de omnibus*, *quæ fiunt ſub ſole*. *Porrò hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum*, *ut occuparentur in ea*: *vidi cuncta*, *quæ fiunt ſub ſole*, *et ecce univerſa vanitas*. 2. In ſcientiis non quies, ſed labor, *qui addit ſcientiam*, *addit et* laborem, non gaudium, ſed tormentum. 3. non ſunt perfectæ in hac vita, nec puræ, ſed permixtæ obſcuritatibus, & incertitudine. In iis acquirendis anima pendet à ſenſibus, qui ſunt fallaces, & infideles, nec penetrant rerum ſubſtantias; ſiſtunt in apparentiis externis. Undè Socrates inter Philoſophos ſapientiſſimus poſt longiſſima, & laborioſiſſima ſtudia dicebat, *unum ſcio*, *quod nihil ſcio*: Id magis conſtat ex Scriptura: [3] *Intellexi*, *quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum*, *quæ fiunt ſub ſole*, *et quantò plus laboraverit ad quærendum*, *tantò minùs inveniet*. Certè Philoſophi omnes etiam ſimul ſumpti plura ignorarunt, quàm ſciverunt, & qui ſuam in his ignorantiam non agnoſcunt, ſunt ipſis ignorantibus inferiores. Hos *ſuam ipſorum ignorantiam ignorantes* vocat Nazianzenus. Hoc patet maximè ex diſcrepantia opinionum circa omnia, quæ docuerunt. *De crea-*

[1] *De vita beati*. *c*. 7. [2] *Eccl*. 1.
[3] *Eccl*. 8.

creatura, quæ cerni oculis potest, neque vera, neque inter se concordia *Philosophi operati sunt; sed veluti per umbram noctis depugnarunt, in multas dissecti partes abierunt, mutuisque dissensionibus se se tanquam accerrimis inimicis usi sunt*, inquit [1] Theodor. 3. quia scientiæ ordinantur ad virtutes, ad operationes, ad ulteriora bona, & vix unquam propter se appetuntur, nec revera sunt propter se appetibiles.

Confir. 6. de virtutibus ipsis, in quibus rationabiliùs longe poneretur summa felicitas. 1. quia ipsæ virtutes morales, (de Theologicis aliud est) ut prudentia, justitia, temperantia, & fortitudo, non sunt propter se. S. Aug. vocat scientiam Stoicorum, qui summum bonum in iis ponebant, *inflatam*, & nisi ad Deum referantur, vitia esse putat. [2] *Virtutes, quas sibi quis habere videtur, per quas imperat corpori, et vitiis, ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retuleris, etiam ipsæ vitia sunt potius, quàm virtutes.*

2. Non tam sunt summum bonum, quàm media ad ipsum adipiscendum. *Non est virtus ipsa summum bonum, sed effectrix, et mater summi boni, quoniam perveniri ad illud sine virtute non potest*, ait Lactantius. [3]

3. Ex suis objectis non multum elevantur; versantur enim circa res humanas, nec nos Deo conjungunt, nisi valde indirectè, & remotè.

4. Quia felicitas est potiùs finis, ac merces virtutis, quàm ipsa virtus sive habitualis, quæ est propter actus, sivè actualis, & prout operans, quæ est transiens, & propter aliud, scilicet propter honorem, lucrum &c. *Trahimur omnes laudis studio: optimus quisque maximè gloria ducitur: Illi ipsi Philosophi,* [4] *etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt; in quo prædicationem, et nobilitatem despiciunt, prædicari se, ac nominari volunt.*

5. Parum, aut nihil habent voluptatis, sed multum molestiæ, ac difficultatis in hac vita. *Arduum est virtutis iter, nec sine sudore conscenditur.* Undè nisi

[1] 4. *con. Græcos.* [2] 19. *de Civit.* 25.
[3] 3. *Inst.* 8. [4] *Pro Arch. pæ.*

nisi per eas intenderent altiora bona in altera vita, virtuosi miserabiliores essent omnibus hominibus nedum felices. [1] *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Prob. denique de omnibus bonis creatis simul, quia neque omnia simul sunt ultima, nec sunt pura, nec perfectè satiant; ergo omnia bona creata simul non sunt summum bonum. Prob. ant. 1. ex Scriptura citata, quæ omnia, quæ sunt sub sole, vocat vana. Item ex D. Joanne prohibente, *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, quoniam omne, quod in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*; ergo omnia illa simul sunt inania, nec satiant, sed augent concupiscentiam. 2. quia creaturæ omnes simul non adæquant potentiam animæ intellectivam, nec volitivam; illa enim extenditur ad omne verum, ista ad omne ens, & maximè ad omne bonum; sed creaturæ omnes non continent omne verum, nec omne bonum, sed tantùm omne verum, & bonum creatum, finitum, & participatum, & quidem actuale, non autem possibile, nec præteritum, nec futurum, & denique Deus est sine dubio verum, & bonum infinitum, imparticipatum, purum, & summum; ergo entia omnia creata simul non adæquant potentias animę, nec per consequens plenè satiant illas. Id magis patebit per objectiones.

Objic. Id potest esse beatitudo objectiva, cujus possessio potest, & debet satiare appetitum sine miseria; sed talia sunt bona creata, saltem collectivè; ergo illa possunt esse beatitudo objectiva. Prob. min. nihil enim potest rationabiliter appetere homo præter omnia bona creata; at illa omnia excludunt omne malum creatum, & sunt aliquo modo infinita saltem extensivè; ergo possunt, & debent satiare appetitum; nec enim potest appetere ultra infinitatem bonorum.

Resp. neg. min. & ant. prob. quoad 3. partem. Nam homo à Deo factus est propter ipsum, & ad ipsum, ex August. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te*: ideò negatur etiam quoad

[1] 1. *Cor.* 15.

quoad 2. partem. Nam licèt possessio omnis boni creati excludat omne malum, omnem indigentiam, & privationem boni omnis creati, non tamen indigentiam, & privationem boni summi, & increati, & quoad 3. distingui potest; bona omnia creata collectivè sunt infinita extensivè, aut etiam syncategorematicè, con. intensivè, & actu, seu categorematicè, neg. ant. & conseq. sic enim solus Deus est infinitus, & ideò solus est perfectè satiativus.

CONCLUSIO II.

D*Eus solus habet rationem ultimi finis, seu summi boni, ac beatitudinis objectivæ*. Est de fide, & sequitur ex præcedenti.

Prob. 1. ex Scoto citato. [1] Nam certum est, conditiones, quas requirit in fine ultimo, non convenire nisi Deo; *Deus solus est supremus entium; solus in entibus infinitus, Bonus sine termino, bonitatis suæ radios liberalissimè communicans, ad quem amabilissimum singula suo modo concurrunt, ut ad ultimum finem*. Item [2] ponit has tres conclusiones, quasi fundamenta hujus veritatis 1. *Inter omnia naturæ intellectualis appetibilia aliquod essentialiter; & simpliciter est supremum*, 2. *Supremum appetibile, seu volibile est solum illud, quod cuilibet naturæ intellectuali simpliciter est propter se volibile*. 3. *Nulla natura intellectualis ultimatè, & completè perficitur, nisi habendo supremum appetibile, & hoc perfectè secundum modum possibilem sibi habendi illud*. Hæc autem soli Deo competere certo certius est; ergo &c.

Prob. 2. ex Scriptura: [3] *Mihi Deo adhærere bonum est, & ponere in Deo meo spem meam*. [4] *Beata gens, cujus Dominus Deus ejus*. [5] *Beati, qui habitant in domo tua, Domine*: [6] *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*. [7] *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum*, &c. [8] *Omnia simul in te uno habentes*.

Prob.

[1] *De 1. rer. princ. c. 4. n. 36.*
[2] *4. d. 49. q. 2. Q. n. 19.*
[3] *Ps. 72.* [4] *Ps. 12.* [5] *Ps. 143.* [6] *Ps. 83.*
[7] *Jo. 17.* [8] *Job. 9.*

Prob. 3. ex SS. Patribus [1] ea verba Pſalmorum ſic explicantibus; *Servas tu mihi in cælis divitias immortales, ſcilicet te ipſum, & ego volui à te in terra, quod volunt impii, & mali, & facinoroſi, pecuniam, aurum, argentum, gemmas, familiam, quod habent & ſcelerati multi, & fæminæ turpes, & multi viri turpes; hoc pro magno deſideravi à Deo ſuper terram, cum ſervet ſe ipſum mihi in cælo Deus meus. Infelix homo; qui ſcit illa* (bona creata) *te autem neſcit. Beatus autem, qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui verò te, & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus.* Item: [2] *Non te facit bonum, et beatum, niſi bonum immutabile, quod ſolus eſt Deus. Nam bonus Angelus, bonus homo, bona cætera creata, ſed hæc non ita bona ſunt, ut ea quiſquis adeptus fuerit, ſit Beatus.* D. Dionyſ. [3] *Deum vocat totius pulchritudinis, atque ordinis ſummum, æternumque principium.* Irenæus, [4] *Gloria hominis eſt Deus*, &c.

Prob. 4. ex ipſis Philoſ. Beatitudinem *in ſummo ſitam eſſe neceſſe eſt*, inquit Boetius. [5] *Nonne igitur ſic comparatus animus ad divinum quoddam, immortale, et ſapiens ſibi ſimile proficiſcitur, quò cùm pervenerit, omnino felix evadit*, inquit Plato. [6] Quis autem non videt, hoc ſoli Deo competere? Idem eſt de Ariſt. cùm dicit. *Si unum aliquid, et ſolum perfectum eſt, id certè eſſet, quod quæritur*, ſcilicet ad ultimum finem, & beatitudinem. Iterum Plato: *Deus, ò viri, ſicut antiquus ſermo teſtatur, principium, finem, et media continens recta ratione omnia perficit.*

Prob. denique ratione 1. quia in Deo ſolo concurrunt conditiones omnes ſummi finis, ut diſcurrenti patebit. 2. quia ipſe eſt omnium entium efficiens primum, & ſummum; ergo & ultimus finis; nam ad ordinem agentium ſequitur ordo finium. Unde ad finem primi agentis debent ordinari fines omnes aliorum agentium; ſed Deus non poteſt habere a-

lium

[1] *Auguſt. ibi.* [2] *4. confeſſ. c. 5.*
[3] *3 con. Max. c. 23.*
[4] *10. de Hier.*
[5] *3. de conſol. pro.* 10.
[6] *In phoed.* 4.

lium finem præter seipsum, quia *omnia propter seipsum operatus est Dominus*, & de facto nihil habet superius, aut meliusse ipso; ergo & ipse est finis omnium ultimus, & summus. 3. quia in ipso habentur omnia bona, & extra ipsum nihil; quippe *in ipso, et per ipsum, et ex ipso sunt omnia*, Et, *Apud ipsum est fons vitæ: ostendam tibi omne bonum. Gloria, et divitiæ in domo ejus*, &c. nec placet in re tam clara diutiùs inhærere.

Videtur etiam hæc veritas definita in quadam extravaganti Benedicti XII. [1] in qua definitur, animam esse beatam visione, ac fruitione essentiæ divinæ, & eam visionem, ac fruitionem futuram æternam, &c.

Objic. 1. Si Beatitudo sit possibilis objectiva, debet possideri posse; sed Deus non potest possideri; ergo non est Beatitudo objectiva. Prob. min. Deus non potest possideri, nisi per visionem, aut amorem; sed Deus non potest videri; est enim *immortalis, et invisibilis, et Deum nemo vidit unquam, nec videri potest*, quod si non potest videri, ita nec amari, *Deum enim, quem non videt, quomodo potest diligere?* voluntas non fertur in incognitum; ergo Deus non est beatitudo objectiva.

Respondeo neg. 1. min. & dist. 2. non potest videri clarè, & intuitivè in hac vita, saltem de via ordinaria, conc. in altera, neg. min. sufficit, quòd Deus possit possideri per visionem, & amorem in altera vita.

Inst. Ultimus finis, & beatitudo debet esse attingibilis ab homine, alioqui frustra esset: ad quid finis, quem non possis attingere? sed Deus non potest attingi naturaliter; ergo non est finis, nec Beatitudo hominis.

Resp. dist. ant. Debet esse attingibilis naturaliter, aut supernaturaliter. conc. ant. naturaliter, & propriis viribus, neg. ant. sufficit, quòd possit attingi per auxilia supernaturalia, quæ illi non desunt, sed offeruntur, si velit iis uti.

Objic. 2. Inter potentiam Beatificalem, & objectum Beatificans debet esse proportio, sed nulla est inter Deum, & hominem; ergo Deus non est objectiva ho-

mi-

[1] *Consil.* 4.

minis beatitudo. Min. patet, quia homo est finitus, Deus verò infinitus. Prob. maj. sine proportione non poterunt uniri.

Respondeo dist. maj. Proportio in ratione objecti visibilis, & amabilis ad potentiam intellectivam, & volitivam, conc. maj. & neg. min. proportio geometrica, vel entis ad ens, neg. maj. & conseq. Nam Deus est objectum proportionatum intellectui, & voluntati, accedente lumine gloriæ, & habitu charitatis.

Objic 3. Beatitudo objectiva est finis *cujus*; homo verò est finis *cui*; sed finis *cujus* refertur ad finem *cui*, & illa referibilitas repugnat Deo; ergo Deus non est Beatitudo objectiva. Probatur min. quoad 2. p. quia repugnat Deo referri ad creaturam.

Respondeo neg. absolutè maj. Nam in rigore objectum Beatitudinis nostræ, scilicet Deus, non tantùm est finis, *cujus* gratia omnia facimus, scilicet ad illum consequendum; sed etiam est finis ultimus *cui*. Sicut enim non nos amamus ultimatè propter nos ipsos, sed in Deo, & propter Deum; ita & volumus esse beati in ipso, & propter ipsum.

QUÆSTIO V.

De ultimo fine quo, seu de Beatitudine formali.

Vidimus Deum esse finem ultimum *qui*, seu summum bonum, ac Beatitudinem objectivam hominis; videndum de fine ultimo *quo*, seu forma, qua illud bonum consequimur, & possidemus, ut verè, ac formaliter, & intrinsecè felices simus. Certum enim est, quòd ad hoc requiritur unio perfectissima animæ nostræ cum bono illo summo, ita ut illud rectè possideat, & comprehendat, seu videat, amet, & in illa visione, & amore delectetur, quatenus summum illud bonum sit verè, formaliter, & intrinsecè bonum nostrum. Dicitur ab aliquibus *beatitudo creata*, quia illa forma, illa unio est quid creatum, & nostrum; ab aliis *intrinseca*; quia objectiva est nobis *extrinseca*: Illa verò est intra nos, & informat animam nostram. Ob eandem rationem: alii vocant beatitudi-

nem

nem formalem finem ultimum *intra*; objectivam autem *finem extra*. Illa dicitur *finis assecutio*, seu *adeptio*: objectiva autem *finis adeptus*. Essentialis autem, & totalis ex utraque constat, sicut ex materia, & forma.

Quæritur ergo hìc, in quo consistat illa formalis beatitudo, seu *finis*, *quo* homo fit formaliter beatus, an scilicet in aliqua forma, seu entitate divina, & increata, v. g. an in illapsu quodam Dei in animam, ut voluit Henricus, aut per ipsammet Dei visionem, qua se videt, & qua beatus est, & quam communicat animæ, ut fertur voluisse Joannes de Ripa, an verò in aliqua formalitate creata, maximè in operatione intellectus, aut voluntatis, vel utriusque simul?

Illapsus est intima præsentia alicujus subsistentis alteri pariter subsistenti cum superioritate, & dominio, ac operatio illabentis in eum, cui illabitur. Unde *Illabi* Deum in animam, nihil est aliud, quàm quòd fiat illi intimè præsens operando in ea; & id soli Deo convenit, non autem ulli creaturæ, nequidem Angelis. [1] *Nam dæmones per energicam operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione, & oppressione uniri. Illabi autem menti illi soli possibile est, qui creavit*. Triplex autem potest assignari *illapsus* Dei in creaturam; 1. *communis*, seu *naturalis*, quo fit intimè præsens omnibus per immensitatem, juxta illud, [2] *Cœlum, & terram ego impleo*, 2. *hypostaticus*, quo Verbum Divinum fit intimè, & singulariter præsens humanitati Christi personaliter eam sustentans; sic [3] *Verbum caro factum est*. 3. *Beatificus*, quo Deus fit objectivè præsens animæ beatæ, ut ab intellectu ejus videatur, & voluntas eo fruatur, & gaudeat. Nam *fruitio* est amor boni propter se, ad quem consequitur delectatio, ut suppono ex Theologia. His suppositis

CON-

[1] *Aug. de Eccles. dog. c. 83.*
[2] *Jerem. 23.* [2] *Jo. 1,*

CONCLUSIO I.

Formalis beatitudo non consistit in aliquo increato, sive illapsu essentiæ Dei in essentiam animæ, sive in operatione divina communicata eidem animæ. Est communis inter Theologos, imò & Philosophos.

Prob. 1. ex Scuto, [1] qui relata opinione Henrici cum suis fundamentis, sic eam impugnat: *Deus non aliter se habet nunc, quàm priùs, nec aliter illabitur huic animæ, vel Angelo nunc, quàm priùs, considerando præcisè essentiam hinc inde, quia secundum illum illapsum essentiæ divinæ in essentiam creaturæ est semper uniformitas, manente essentia creaturæ; ergo si est aliqua novitas in anima beata, oportet, quòd sit per aliquem effectum novum causatum à Deo in illa essentia; & ille effectus dicitur beatitudo ejus formalis*; ergo ex Scoto beatitudo formalis non est in aliquo increato.

Prob. 2. ex eodem, quia sic anima posset esse beata quoad principale beatificans sine ulla operatione circa objectum beatitudinis, & sic dormiens posset esse beatus: posset enim Deus illabi in animam dormientem ante omnem operationem ex parte animæ, quod videtur absurdum. Prob. ant. *Ille illapsus est prior quacumque operatione, cùm sit secundum aliquem actum primum; ergo posset esse sine contradictione absque operatione, sed se habens ut dormiens, quod habet Aristoteles pro inconvenienti.*

Probatur 3. quia creatura debet aliqua proportione beari, sicut Deus; sed Deus non est præcisè beatus per hoc, quòd est idem sibi, sed per hoc, quòd est intelligens, & volens se tanquam objectum, alioqui non potest colligi, quòd sit intelligens ex eo, quòd sit Beatus; ergo ita anima non fit præcisè beata per illapsum essentiæ divinæ in substantiam ejus, sed per operationem ejus circa objectum beatificans. Prob. maj. ex Scriptura: *Similes ei erimus*, quod intelligitur de similitudine proportionis ad beatitudinem ejus; ergo anima erit beata cum proportione, sicut ipse Deus est beatus.

Prob.

[1] *4.d.49. q.2. A.n. 2. & 5.*

Prob.3. ex Script.[1] *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te*,&c. [2] *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Et,[3] *Videmus nunc per speculum,tunc facie ad faciem*. Et,[4] *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est*; ergo beatitudo non consistit in illapsu essentiæ divinæ in animam. Unde S.August. ait, quòd *summa merces*, seu beatitudo est, *ut ipso fruamur*, fruitio verò est operatio animæ, non Dei.

Probatur 5. alia ratione Scoti. Anima fit beata per aliquam mutationem novam in se, & maximè circa finem; sed mutatio nova intrinseca non fit sine nova forma recepta in re mutata, & essentia Dei non potest esse talis forma; ergo anima fit beata per aliquid creatum, non per essentiam Dei illapsam.

Dices, Illapsum fieri in potentias animæ.

Contra 1. quia supponit replica distinctionem realem animæ à suis potentiis, quod est falsum: 2. quia si per hunc illapsum potentiæ non immutantur de novo, redit argumentum. 3. Illapsus etiam ille novus præcisè est pura præsentia essentiæ, non in ratione formæ, quia id illi repugnat, ergo in ratione objecti; sed hoc non sufficit, nisi ab illis, ut tale attingatur per cognitionem, & fruitionem; ergo illapsus non est præcisè beatitudo formalis, sed ad summum quædam conditio, sicut approximatio agentis ad passum.

Confirm. Posita objecti præsentia præcisè, & solo illapsu, sive in animam, sive in potentias sine visione, & fruitione non habetur formalis beatitudo, benè verò habetur præciso illapsu, & posita visione, & fruitione; ergo formalis beatitudo consistit in illis operationibus, non verò in illapsu. Prob. ant. Objectum præsens potentiis non cognitum, nec amatum, non addit illis quidquam novi, nisi ab eis attingatur, & percipiatur, & in eo delectentur; ergo præcisa visione, & fruitione illapsus non facit animam beatam.

Prob. 2. pars de operatione divina, seu intelle-

[1] *Jo.*17 [2] *Matth.* 5. *et* 18.
[3] 1.*Cor.*13.[4] 3.*Jo.*3.

ctione, & fruitione increata communicata animæ 1. per rationes adductas pro 1. parte. Nam cognitio divina quantumcumque unita animæ creatę, ac potentiis ejus non facit eam formaliter videntem, nec fruentem, sicut anima Christi non est formaliter videns, nec fruens, nec beata per formalem intellectionem, & fruitionem increatam Verbi, sed per proprias suas operationes, Theandricas quidem, sed ab anima, intellectu, & voluntate humana elicitas, ergo à fortiori aliæ animæ fiunt beatæ, & fruentes per proprios actus, non per intellectionem, aut visionem divinam, 2. quia hi actus divini sunt ipsa substantia Dei; ergo non magis possunt informare animas, quàm ipsa essentia Dei, ergo cùm ex Scripturæ locis citatis, & omnium Theologorum, ac Philosophorum sensu, anima sit beata formaliter per visionem, & fruitionem, hoc non fit per quid increatum formaliter.

Confirm. denique utraque pars 1. ex definitione Ecclesiæ. Nam ex Constitutione supracitata Benedicti XII. [1] beati dicuntur tales à visione, & fruitione Dei mediante lumine gloriæ, & ex Concil. Viennensi, necessarium est lumen gloriæ ad visionem Dei, per quam animæ supponuntur beatæ. 2. Quia beatitudo formalis consistit in aliquo actu 2. non autem radicaliter, & in actu primo. Nam in suo conceptu proprio importat operationem, & actum 2. Sed nec illapsus Dei in substantiam, vel potentias animæ; nec communicatio cognitionis ejus increatæ constituunt animam operantem in actu 2. circa Deum; ergo in neutro potest consistere beatitudo formalis. Prob. min. quia visio, & fruitio in actu 2. est operatio creata ipsius animæ, & quidem vitalis; in illapsu autem, & communicatione visionis divinæ se haberet merè passivè.

Objic. 1. Beatitudo est summa hominis perfectio; sed non potest dici major perfectio, quàm intima unio animæ cum essentia Dei, & illa fit per illapsum, aut communicationem quasi identicam intellectionis ejus; ergo Beatitudo formalis consistit in illapsu, vel communicatione illa; ergo consistit in perfectione increata.

Re-

[1] *Clem. ad nostram de Heret.*

Respond. dist. maj. Est summa perfectio perficiens animam formaliter, conc. mai. assistens animæ tantùm, neg. maj. & min. nam nec per illapsum essentiæ, nec per communicationem operationis divinæ anima perficitur formaliter, sed tantùm Deus fit illi intimè præsens per essentiam, aut cognitionem, & nescio, an, & quomodò fieri possit præsentior animæ, quàm modò fit per immensitatem, & potentiam, & sapientiam, qua producit, & conservat, & dirigit. Scio fieri specialiter præsentem per gratiam, & lumen gloriæ, sicut & per unionem hypostaticam, sed nullum eorum est formalis beatitudo.

Inst. Perfectio substantialis est summa; sed illapsus divinæ essentiæ in animam est perfectio substantialis; ergo est summa ejus perfectio, & beatitudo formalis.

Resp. dist. maj. Perfectio substantialis per modum actus informantis subjectum, conc. maj. & neg. min. per modum puræ præsentiæ, neg. maj. & conseq. Per illapsum essentia Dei non perficit animam per modum actus formalis, & substantialis, sed per solam præsentiam, ut dictum est, & per id anima non est præcisè, & formaliter beata, sicut jam non sumus beati, licèt substantia Dei sit nobis intimè præsens: (*non longè est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus:*) potest quidem esse nobis præsens aliis modis, sed non intimiùs quoad substantiam.

Objic. 2. Beatitudo formalis consistit in perfectissima unione animæ cum Deo; sed illa unio fit per illapsum essentiæ Dei in essentiam animæ, ergo in eo consistit. Prob min. Per illapsum illum anima quasi transformatur in Deum, juxta illud D. Dionysii, [1] *Amans quodammodò in amatum transformatur: nam amor est virtus transformativa, & conversiva amantis in amatum*; unde per illapsum anima quasi deificatur, sicut ferrum candens quasi ignificatur per unionem substantiæ ignis: *Amor unum te vult facere cum ipso*, inquit Hugo, [2] &c.

Resp. 1. neg. absolutè maj. alioqui deberet etiam

[1] *Hierarch. c. 7.* [2] *De Ang. c. 7.*

uniri hypostaticè, quia hæc unio est perfectior, quia causat unitatem in persona.

Resp. 2. dist. maj. perfectione in ratione objecti per visionem, & fruitionem possidendi, conc. maj. & neg. min. alio modo, neg. maj. Nam Deus non debet aliter uniri animæ beatificandæ, quàm ut ab ipsa possideatur eo modo, quo ipsa est nata possidere summum bonum, scil. per visionem intuitivam; & fruitionem. Ad prob. autem patet, transformationem illam esse metaphoricam, & intentionalem, & moralem, non physicam; imò non est ad propositum; quia Deus amans deberet transformari in animam amatam, quod est impossibile ex parte Dei, & creaturæ.

Inst. [1] *Transformamur in eandem imaginem à claritate in claritatem* à Domini Spiritu; ergo ibi fit vera transmutatio per verum illapsum, aut saltem per ipsammet visionem, & fruitionem increatam Dei.

Resp. neg. conseq. sed potiùs contrarium ex eo loco deducitur. Nam illa transformatio, de qua loquitur D. Paulus fit mediante lumine gloriæ, & *speculatione*, seu visione *facie ad faciem*, *revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur*; & hoc non per illapsum essentiæ, sed à *Spiritu Domini*, ut *tanquam speculum simus, splendoremque recipiamus*, inquit Theophylactus.

Objicies contra 2. partem de communicatione cognitionis divinæ; [2] *in lumine tuo videbimus lumen*; lumen autem Dei est ejus cognitio; ergo per ipsammet, seu in ipsamet visione Dei videbimus eum. Item dicitur beatificandæ animæ, [3] *intra in gaudium Domini tui*; scilicet, participa ipsam Dei fruitionem, eandem visionem, aut beatitudinem, *per quam Deus seipsum videt*, & *secundum quam Deus apparet mundis corde*, inquit August. [4] ergo beatitudo formalis animæ est ipsa increata Dei visio, & fruitio.

Resp. neg. conseq. Nec enim id sequitur ex illis textibus rectè intellectis. Sensus primi est, quòd in lumine gloriæ videbimus essentiam Dei, quæ est lumen

[1] 2. *Cor.* 3. [2] *Ps.* 15.
[3] *Matth.* 15. [4] *Tr. c. ult.*

men substantiale, ex S. Thoma; vel ex SS. Hieronymo, & Ambrosio, in Christo videbimus Spiritum Sanctum, &c. Lumen autem fidei, gratiæ, & gloriæ vocatur lumen Dei effectivè, & terminativè, quia est specialiter à Deo, & nos ad ipsummet agnoscendum, amandum, & videndum, ac possidendum elevat. Idem est de gaudio beatorum, quod specialiter à Deo, & in Deo est. S. Aug. loquitur de Dei visione objectiva, quia sc. videmus in Verbo ejus. Alioqui enim visio increata Dei, neque inhæret, neque informat animas, ut faciat videntes.

CONCLUSIO II.

B*Eatitudo formalis nostra consistit in operatione nostra intellectus, et voluntatis circa summum bonum*. Ita communiter.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui eam docet in terminis. *Dico, quòd beatitudo consistit in operatione: vel essentialiter si beatitudo accipiatur pro perfectione, quæ est ratio conjunctionis ad objectum beatificum, vel proximè fundamentaliter, si accipiatur pro ipsa conjunctione, ita quòd excepta relatione ad objectum beatificum, ultima perfectio intrinseca beati*, & proxima objecto beatifico est operatio. Et hoc probat, quia nulla perfectio intrinseca beati est beatitudo, *nisi pro quanto conjungit immediatè, & perfectivo extrinseco, quod est objectum*, seu essentia Dei. Sed *excepta relatione, illud immediatum conjungens est operatio*; ergo &c. Maj. patet, quia *non potest esse alicui benè, completè, & ultimatè, nisi habendo illud, quod est summè volendum, et illud est quasi summè perfectivum extrinsecum. Quasi*, dico, *pro Deo, ubi est idem objectum beatificum cum ipso beato*. Non autem habetur perfectissimè, nisi conjungatur illi immediatè.

Prob. autem min. quia nec essentia animæ, nec potentia ejus conjungitur illi extrinseco perfectivo, nisi per operationem, quę est intrinseca ipsi animæ, &c.

Prob. 2. ex Scripturæ textibus citatis pro præcedenti; probant enim, Deum, qui est summum bonum,

[1] 4. *d*.49. *q*.2.*BB*. *n*. 27.

& beatitudo objectiva, possideri formaliter per visionem, & fruitionem, quæ sunt operationes intellectus, & voluntatis. Item ex iisdem Patribus, & Constitutionibus Ecclesiasticis, maximè Benedicti XII. in definitione beatitudinis animarum, ubi dicit, quod ex tali fruitione, & visione eorum animæ sunt beatę; quod colligitur etiam ex Concil. Florent. sess. ult. in Decreto unionis, ubi docet, animas in Cœlo videre Deum, sicuti est, & ita loquuntur etiam SS. Patres citati, & alii.

Prob. 3. quia non consistit in illapsu, & præsentia, vel unione intima essentiæ divinæ ad essentiam, vel potentias animæ, nec in ipsa visione, & fruitione divina eidem animæ communicata, ut patet ex præcedenti, nec potest assignari aliud, in quo rationabiliùs dicatur consistere, & nihil repugnat ita esse; ergo cùm id ita esse dicant communiter Patres, & Doctores, ita de facto est.

Dices, eam posse constitui in visione, & fruitione immediatè productis à Deo in anima merè passivè se habente, & sic dicendo, illa visio, & fruitio erunt perfectiores, quippe à nobiliori, & summo agente productæ; ergo potiùs consistit in talibus visione, & fruitione, quàm in similibus operationibus humanis. Antec. patet ex Doct. [1] Nam *fruitio est quoddam accidens absolutum possibile creari à primo causante sine actione voluntatis creatæ*, & sic esset perfectior fruitio, quàm si eliciatur à creatura. Prob. conseq. quia ex alio principio ejusdem Doctoris, *Beatum esse, est summè sibi bene esse, & nulla natura intellectualis ultimatè, & completè perficitur, nisi habendo supremum appetibile, & hoc perfectè secundum modum possibilem habendi illud*; sed haberetur supremum appetibile perfectiùs per summam fruitionem; & hæc à solo Deo est producibilis; ergo potiùs beatitudo formalis consistit in fruitione à Deo solo producta in anima.

Resp. dist. ant. quoad 2. p. Visio, & fruitio erunt perfectiores quoad entitatem absolutam, & in ordine ad actum primum, conc. ant. in ratione operationis, & quoad actum secundum, neg. ant. & similiter dist. conseq. fruitio quidem posset produci à solo Deo

[1] 3. d. 43. q. 4. O. n. 14. 3. d. cit. & n. 21.

Deo quoad entitatem absolutam, & poni in anima merè passivè se habente, ut docuimus in tr. de anima: sed quoad relationem tendentiæ in objectum, per quam anima constituitur, & denominatur videns, & fruens Deo, non potest produci à solo Deo sine operatione animæ. Poneretur sicut species in speculo, quod repræsentat quidem objecta, sed non percipit; repræsentat modo quodam mortuo. Sic esset de intellectu, & voluntate in beatis, si à Deo solo produceretur visio, & fruitio beata.

Prob. 4. ex Phil. [1] Nam *felicitas est operatio optima;* & ipsa Dei beatitudo est speculatio; & operatio est terminus perfectissimus; & *Deus si non intelligit, quid in eo venerabile?* &c. Et alii Philosophi, qui circa objectum beatitudinis errarunt, non errarunt circa formalem, quam in operationibus posuerunt, ut Stoici, qui non in habitibus mortuis, sed operationibus virtutum eam ponunt, alioqui dormientes essent beati. Epicurei non in objectis delectabilibus sed in fruitione, ac delectatione actuali; Platonici in substantiarum abstractarum, & præcipuè objecti excellentissimi contemplatione, & amore.

Prob. denique, quia beatitudo est ea res, quæ satiat appetitum: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* sed non satiat, nisi per operationes intellectuales; ergo in eis consistit formaliter. Major patet ex dictis. Nam beatus ille est, *qui habet quidquid vult, & nihil mali vult.* Prob. min. dato quovis bono in quavis conjunctione, aut præsentia in homine, vel Angelo, non habet quidquid vult, nec illo gaudet, nisi videat, & fruatur; nam visio, & fruitio maximè appetuntur ab anima: *Ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus;* non satiabitur, nisi cùm apparuerit gloria, &c.

Objic. 1. Homo non vult solam operationem; ergo beatitudo in ea sola non consistit. Prob. antec. vult omnia objecta, quibus perficitur; sed non perficitur sola operatione; ergo, &c.

Resp. dist. ant. Non vult solam operationem objectivè, conc. formaliter, & *ut quo*, neg. ant. Idem dico ad min. prob. vult homo omnia bona, seu omne bonum, quod est Deus, qui est bonum infinitum, *in quo*

[1] 1. *Ethic.* 8. & 9. 9. *met.* c. 5. l. 13 & *l.* 12. *c.* 6.

quo omnia, *& ex quo*, *et per quem omnia*, vult illum videre, & frui; & hac visione,& fruitione ultimò perficitur, & satiatur.

Objic. 2. Beatitudo est in possessione boni permanentis; sed operatio non est bonum permanens, sed transiens; ergo in ea non est formalis beatitudo.

Resp.neg. min. Nam visio,& fruitio erunt æternæ.

Inst. Habitus est nobilior operatione; ergo Beatitudo potiùs est in fruitione habituali,quàm in operatione actuali. Prob. ant. bonum stabilius & diuturnius est nobilius, & melius transeunti; sed habitus est stabilior, & operatio transit; ergo, &c.

Resp. n. ant. & maj. prob. Nam præcellentia non venit præcisè à stabilitate, & maximè in habitu, sed in eo sita est, quòd immediatiùs attingat finem. Per operationem autem homo attingit immediatè finem, seu objectum beatitudinis, non autem per habitum, nisi mediatè, & dispositivè. Item rerum perfectio petitur primò à natura, non à duratione. Asinus plus durat, quàm equus, lapis, quàm homo, &c. Denique in proposito beatitudinis tam operationes durant, quàm habitus ad eas concurrentes.

Inst. 2. Causa, ut causa est nobilior effectu; sed habitus est causa operationis; ergo ille est perfectior, & est majus bonum.

Resp. dist.maj. Causa totalis, conc. maj. & n. min. causa partialis, neg. min. habitus autem non est nisi causa partialis operationis cum potentia.

Inst.3. Actio non perficit agens, sicut habitus; ergo operationes circa objectum beatitudinis non sunt ultima perfectio beati. Prob. ant. causa non perficitur per hoc, quòd producit.

Resp.d.ant. Actio transiens, conc.ant. actio immanens, n.ant. & sic d.ant. prob. per productionem effectus extra se, conc. si producat in se ipso, neg. ant. intellectus autem producit in se visionem, & voluntas fruitionem, seu amorem, & sic ab eis perficiuntur.

Objic. 3. Si beatitudo formalis esset in operatione, homo eam produceret, & sic seipsum bearet; sed hoc est inconveniens, & falsum; est enim donum Dei: [1] *gratiam, et gloriam dabit Dominus*; ergo consistit po-

[1] *Psal.83.*

potiùs in habitu, vel aliquo dono, quàm operatione hominis.

Resp. n. 2. conf. Nam produceret eam operationem non se solo, sed concurrente Deo supernaturaliter per donum luminis gloriæ, & gratiarum præcedentium, & maximè charitatis, & Deus se se supernaturaliter ostendit, & concurrit per modum objecti beatifici.

Inst. Beatitudo dicitur *præmium*, *merces*, & *corona justitiæ*; ergo non est operatio beati. Prob. conf. homo est causa physica suæ operationis, & causa moralis suæ mercedis, at coronæ, physica verò est Deus, ut remunerator.

Resp. n. conf. & ad prob. dico, visionem, & fruitionem esse physicè ab homine, & ab auxiliis, ac donis divinis supernaturalibus, & concurrentibus ad illas operationes, & respectu donorum est causa moralis, seu meritoria: nec id mirum, vel inconveniens, quòd sit causa physica, & moralis sub diverso respectu.

CONCLUSIO III.

B*Eatitudo formalis consistit in operatione intellectus, & voluntatis, sed principaliùs in fruitione, quæ est operatio voluntatis*. Ita Scotistæ contra Thomistas, cum aliis, qui eam totam ponunt quoad essentiam in visione, & alios, qui ponunt æqualiter in utraque operatione. Dico, principalius; nec enim negamus, quin consistat etiam in visione.

Prob. 1. pars ex Scoto, qui hanc sic proponit, & probat. [1] *Potest dici, quod non loquendo de beatitudine, ut dicit aggregationem omnium bonorum pertinentium ad beatificabile, sed ut dicit illud, quo mediante attingitur ultimate objectum beatificum, posset distingui de beatitudine naturæ intellectualis, ac de beatitudine potentiæ sic, quòd licèt natura non beatificetur, nisi secundum potentiam, tamen ut in natura est alia potẽtia beatificabilis, cujus beatitudo non est simpliciter beatitudo naturę, potest dici, quòd beatitudo naturæ intellectualis consistit in operatione unica tantũ*, &c. Vides Scotũ subtiliter distinguere beatitudinẽ naturę, ut natura est, & potentię, 1. consistit in una operatione,

O 5 qua

[1] 4. *d*. 49. *q*. 3. *A*. *n*. 5.

CONCLUSIO I.

F*Ormalis beatitudo non consistit in aliquo increato, sive illapsu essentiæ Dei in essentiam animæ, sive in operatione divina communicata eidem animæ*. Est communis inter Theologos, imò & Philosophos.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui relata opinione Henrici cum suis fundamentis, sic eam impugnat: *Deus non aliter se habet nunc, quàm priùs, nec aliter illabitur huic animæ, vel Angelo nunc, quàm priùs, considerando præcisè essentiam hinc inde, quia secundum illum illapsum essentiæ divinæ in essentiam creaturæ est semper uniformitas, manente essentia creaturæ; ergo si est aliqua novitas in anima beata, oportet, quòd sit per aliquem effectum novum causatum à Deo in illa essentia; & ille effectus dicitur beatitudo ejus formalis*; ergo ex Scoto beatitudo formalis non est in aliquo increato.

Prob. 2. ex eodem, quia sic anima posset esse beata quoad principale beatificans sine ulla operatione circa objectum beatitudinis, & sic dormiens posset esse beatus: posset enim Deus illabi in animam dormientem ante omnem operationem ex parte animæ, quod videtur absurdum. Prob. ant. *Ille illapsus est prior quacumque operatione, cùm sit secundum aliquem actum primum; ergo posset esse sine contradictione absque operatione, sed se habens ut dormiens, quod habet Aristoteles pro inconvenienti*.

Probatur 3. quia creatura debet aliqua proportione beari, sicut Deus; sed Deus non est præcisè beatus per hoc, quòd est idem sibi, sed per hoc, quòd est intelligens, & volens se tanquam objectum, alioqui non potest colligi, quòd sit intelligens ex eo, quòd sit Beatus; ergo ita anima non fit præcisè beata per illapsum essentiæ divinæ in substantiam ejus, sed per operationem ejus circa objectum beatificans. Prob. maj. ex Scriptura: *Similes ei erimus*, quod intelligitur de similitudine proportionis ad beatitudinem ejus; ergo anima erit beata cum proportione, sicut ipse Deus est beatus.

Prob.

[1] *4. d. 49. q. 2. A. n. 2. & 5.*

Prob.3. ex Script.[1] *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te,*&c. [2] *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Et,[3] *Videmus nunc per speculum,tunc facie ad faciem*. Et,[4] *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum,sicuti est*; ergo beatitudo non consistit in illapsu essentiæ divinæ in animam. Unde S.August. ait, quòd *summa merces*, seu beatitudo est, *ut ipso fruamur*, fruitio verò est operatio animæ, non Dei.

Probatur 5. alia ratione Scoti. Anima fit beata per aliquam mutationem novam in se, & maximè circa finem; sed mutatio nova intrinseca non fit sine nova forma recepta in re mutata, & essentia Dei non potest esse talis forma; ergo anima fit beata per aliquid creatum, non per essentiam Dei illapsam.

Dices, Illapsum fieri in potentias animæ.

Contra 1. quia supponit replica distinctionem realem animæ à suis potentiis, quod est falsum: 2. quia si per hunc illapsum potentiæ non immutantur de novo, redit argumentum. 3. Illapsus etiam ille novus præcisè est pura præsentia essentiæ, non in ratione formæ, quia id illi repugnat, ergo in ratione objecti; sed hoc non sufficit, nisi ab illis, ut tale attingatur per cognitionem, & fruitionem; ergo illapsus non est præcisè beatitudo formalis, sed ad summum quædam conditio, sicut approximatio agentis ad passum.

Confirm. Posita objecti præsentia præcisè, & solo illapsu, sive in animam, sive in potentias sine visione, & fruitione non habetur formalis beatitudo, benè verò habetur præciso illapsu, & posita visione, & fruitione; ergo formalis beatitudo consistit in illis operationibus, non verò in illapsu. Prob. ant. Objectum præsens potentiis non cognitum, nec amatum, non addit illis quidquam novi, nisi ab eis attingatur, & percipiatur, & in eo delectentur; ergo præcisa visione, & fruitione illapsus non facit animam beatam.

Prob. 2. pars de operatione divina, seu intellectione,

[1] *Jo.*17 [2] *Matth.* 5. *et* 18.
[3] 1. *Cor.*13.[4] 3.*Jo.*3.

ctione, & fruitione increata communicata animæ 1. per rationes adductas pro 1. parte. Nam cognitio divina quantumcumque unita animæ creatę, ac potentiis ejus non facit eam formaliter videntem, nec fruentem, sicut anima Christi non est formaliter videns, nec fruens, nec beata per formalem intellectionem, & fruitionem increatam Verbi, sed per proprias suas operationes, Theandricas quidem, sed ab anima, intellectu, & voluntate humana elicitas, ergo à fortiori aliæ animæ fiunt beatæ, & fruentes per proprios actus, non per intellectionem, aut visionem divinam, 2. quia hi actus divini sunt ipsa substantia Dei; ergo non magis possunt informare animas, quàm ipsa essentia Dei, ergo cùm ex Scripturæ locis citatis, & omnium Theologorum, ac Philosophorum sensu, anima sit beata formaliter per visionem, & fruitionem, hoc non fit per quid increatum formaliter.

Confirm. denique utraque pars 1. ex definitione Ecclesiæ. Nam ex Constitutione supracitata Benedicti XII. [1] beati dicuntur tales à visione, & fruitione Dei mediante lumine gloriæ, & ex Concil. Viennensi, necessarium est lumen gloriæ ad visionem Dei, per quam animæ supponuntur beatæ. 2. Quia beatitudo formalis consistit in aliquo actu 2. non autem radicaliter, & in actu primo. Nam in suo conceptu proprio importat operationem, & actum 2. Sed nec illapsus Dei in substantiam, vel potentias animæ; nec communicatio cognitionis ejus increatæ constituunt animam operantem in actu 2. circa Deum; ergo in neutro potest consistere beatitudo formalis. Prob. min. quia visio, & fruitio in actu 2. est operatio creata ipsius animæ, & quidem vitalis; in illapsu autem, & communicatione visionis divinæ se haberet merè passivè.

Objic. 1. Beatitudo est summa hominis perfectio; sed non potest dici major perfectio, quàm intima unio animæ cum essentia Dei, & illa fit per illapsum, aut communicationem quasi identicam intellectionis ejus; ergo Beatitudo formalis consistit in illapsu, vel communicatione illa; ergo consistit in perfectione increata.

Re-

[1] *Clem. ad nostram de Heret.*

Respond. dist. maj. Est summa perfectio perficiens animam formaliter, conc. mai. assistens animæ tantùm, neg. maj. & min. nam nec per illapsum essentiæ, nec per communicationem operationis divinæ anima perficitur formaliter, sed tantùm Deus fit illi intimè præsens per essentiam, aut cognitionem, & nescio, an, & quomodò fieri possit præsentior animæ, quàm modò fit per immensitatem, & potentiam, & sapientiam, qua producit, & conservat, & dirigit. Scio fieri specialiter præsentem per gratiam, & lumen gloriæ, sicut & per unionem hypostaticam, sed nullum eorum est formalis beatitudo.

Inst. Perfectio substantialis est summa; sed illapsus divinæ essentiæ in animam est perfectio substantialis; ergo est summa ejus perfectio, & beatitudo formalis.

Resp. dist. maj. Perfectio substantialis per modum actus informantis subjectum, conc. maj. & neg. min. per modum puræ præsentiæ, neg. maj. & conseq. Per illapsum essentia Dei non perficit animam per modum actus formalis, & substantialis, sed per solam præsentiam, ut dictum est, & per id anima non est præcisè, & formaliter beata, sicut jam non sumus beati, licèt substantia Dei sit nobis intimè præsens: (*non longè est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus:*) potest quidem esse nobis præsens aliis modis, sed non intimiùs quoad substantiam.

Objic. 2. Beatitudo formalis consistit in perfectissima unione animæ cum Deo; sed illa unio fit per illapsum essentiæ Dei in essentiam animæ, ergo in eo consistit. Prob. min. Per illapsum illum anima quasi transformatur in Deum, juxta illud D. Dionysii, [1] *Amans quodammodò in amatum transformatur: nam amor est virtus transformativa, & conversiva amantis in amatum*; unde per illapsum anima quasi deificatur, sicut ferrum candens quasi ignificatur per unionem substantiæ ignis: *Amor unum te vult facere cum ipso*, inquit Hugo, [2] &c.

Resp. 1. neg. absolutè maj. alioqui deberet etiam

[1] *Hierarch. c.7.* [2] *De Ang. c. 7.*

uniri hypostaticè, quia hæc unio est perfectior, quia causat unitatem in persona.

Resp. 2. dist. maj. perfectione in ratione objecti per visionem, & fruitionem possidendi, conc. maj. & neg. min. alio modo, neg. maj. Nam Deus non debet aliter uniri animæ beatificandæ, quàm ut ab ipsa possideatur eo modo, quo ipsa est nata possidere summum bonum, scil. per visionem intuitivam; & fruitionem. Ad prob. autem patet, transformationem illam esse metaphoricam, & intentionalem, & moralem, non physicam; imò non est ad propositum; quia Deus amans deberet transformari in animam amatam, quod est impossibile ex parte Dei, & creaturæ.

Inst. [1] *Transformamur in eandem imaginem à claritate in claritatem* à Domini Spiritu; ergo ibi fit vera transmutatio per verum illapsum, aut saltem per ipsammet visionem, & fruitionem increatam Dei.

Resp. neg. conseq. sed potiùs contrarium ex eo loco deducitur. Nam illa transformatio, de qua loquitur D. Paulus fit mediante lumine gloriæ, & *speculatione*, seu visione *facie ad faciem*, *revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur*; & hoc non per illapsum essentiæ, sed à *Spiritu Domini*, ut *tanquam speculum simus, splendoremque recipiamus*, inquit Theophylactus.

Objicies contra 2. partem de communicatione cognitionis divinæ; [2] *in lumine tuo videbimus lumen*; lumen autem Dei est ejus cognitio; ergo per ipsammet, seu in ipsamet visione Dei videbimus eum. Item dicitur beatificandæ animæ, [3] *intra in gaudium Domini tui*; scilicet, participa ipsam Dei fruitionem, eandem visionem, aut beatitudinem, *per quam Deus seipsum videt*, & *secundum quam Deus apparet mundis corde*, inquit August. [4] ergo beatitudo formalis animæ est ipsa increata Dei visio, & fruitio.

Resp. neg. conseq. Nec enim id sequitur ex illis textibus rectè intellectis. Sensus primi est, quòd in lumine gloriæ videbimus essentiam Dei, quæ est lumen

[1] *2. Cor. 3.* [3] *Ps. 15.*
[3] *Matth. 15.* [4] *Tr. c. ult.*

men substantiale, ex S. Thoma; vel ex SS. Hieronymo, & Ambrosio, in Christo videbimus Spiritum Sanctum, &c. Lumen autem fidei, gratiæ, & gloriæ vocatur lumen Dei effectivè, & terminativè, quia est specialiter à Deo, & nos ad ipsummet agnoscendum, amandum, & videndum, ac possidendum elevat. Idem est de gaudio beatorum, quod specialiter à Deo, & in Deo est. S. Aug. loquitur de Dei visione objectiva, quia sc. videmus in Verbo ejus. Alioqui enim visio increata Dei, neque inhæret, neque informat animas, ut faciat videntes.

CONCLUSIO II.

B*Eatitudo formalis nostra consistit in operatione nostra intellectus, et voluntatis circa summum bonum*. Ita communiter.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui eam docet in terminis. *Dico, quòd beatitudo consistit in operatione: vel essentialiter si beatitudo accipiatur pro perfectione, quæ est ratio conjunctionis ad objectum beatificum, vel proximè fundamentaliter, si accipiatur pro ipsa conjunctione, ita quòd excepta relatione ad objectum beatificum, ultima perfectio intrinseca beati*, & proxima objecto beatifico est operatio. Et hoc probat, quia nulla perfectio intrinseca beati est beatitudo, *nisi pro quanto conjungit immediatè, & perfectivo extrinseco, quod est objectum*, seu essentia Dei. Sed *excepta relatione, illud immediatum conjungens est operatio*; ergo &c. Maj. patet, quia *non potest esse alicui benè, completè, & ultimatè, nisi habendo illud, quod est summè volendum, et illud est quasi summè perfectivum extrinsecum. Quasi*, dico, *pro Deo, ubi est idem objectum beatificum cum ipso beato*. Non autem habetur perfectissimè, nisi conjungatur illi immediatè.

Prob. autem min. quia nec essentia animæ, nec potentia ejus conjungitur illi extrinseco perfectivo, nisi per operationem, quę est intrinseca ipsi animæ, &c.

Prob. 2. ex Scripturæ textibus citatis pro præcedenti; probant enim, Deum, qui est summum bonum,

[1] 4. *d.*49. *q.*2. *BB. n.* 27.

& beatitudo objectiva, possideri formaliter per visionem, & fruitionem, quæ sunt operationes intellectus, & voluntatis. Item ex iisdem Patribus, & Constitutionibus Ecclesiasticis, maximè Benedicti XII. in definitione beatitudinis animarum, ubi dicit, quod ex tali fruitione, & visione eorum animæ sunt beatę; quod colligitur etiam ex Concil. Florent. sess. ult. in Decreto unionis, ubi docet, animas in Cœlo videre Deum, sicuti est, & ita loquuntur etiam SS. Patres citati, & alii.

Prob. 3. quia non consistit in illapsu, & præsentia, vel unione intima essentiæ divinæ ad essentiam, vel potentias animæ, nec in ipsa visione, & fruitione divina eidem animæ communicata, ut patet ex præcedenti, nec potest assignari aliud, in quo rationabiliùs dicatur consistere, & nihil repugnat ita esse; ergo cùm id ita esse dicant communiter Patres, & Doctores, ita de facto est.

Dices, eam posse constitui in visione, & fruitione immediatè productis à Deo in anima merè passivè se habente, & sic dicendo, illa visio, & fruitio erunt perfectiores, quippe à nobiliori, & summo agente productæ; ergo potiùs consistit in talibus visione, & fruitione, quàm in similibus operationibus humanis. Antec. patet ex Doct. [1] Nam *fruitio est quoddam accidens absolutum possibile creari à primo causante sine actione voluntatis creatæ*, & sic esset perfectior fruitio, quàm si eliciatur à creatura. Prob. conseq. quia ex alio principio ejusdem Doctoris, *Beatum esse, est summè sibi bene esse, & nulla natura intellectualis ultimatè, & completè perficitur, nisi habendo supremum appetibile, & hoc perfectè secundum modum possibilem habendi illud*; sed haberetur supremum appetibile perfectiùs per summam fruitionem; & hæc à solo Deo est producibilis; ergo potiùs beatitudo formalis consistit in fruitione à Deo solo producta in anima.

Resp. dist. ant. quoad 2. p. Visio, & fruitio erunt perfectiores quoad entitatem absolutam, & in ordine ad actum primum, conc. ant. in ratione operationis, & quoad actum secundum, neg. ant. & similiter dist. conseq. fruitio quidem posset produci à solo Deo

[1] 3. d. 43. q. 4. O. n. 14. 3. d. cit. & n. 21

Deo quoad entitatem absolutam, & poni in anima merè passivè se habente, ut docuimus in tr. de anima: sed quoad relationem tendentiæ in objectum, per quam anima constituitur, & denominatur videns, & fruens Deo, non potest produci à solo Deo sine operatione animæ. Poneretur sicut species in speculo, quod repræsentat quidem objecta, sed non percipit; repræsentat modo quodam mortuo. Sic esset de intellectu, & voluntate in beatis, si à Deo solo produceretur visio, & fruitio beata.

Prob. 4. ex Phil. [1] Nam *felicitas est operatio optima*; & ipsa Dei beatitudo est speculatio; & operatio est terminus perfectissimus; & *Deus si non intelligit, quid in eo venerabile*? &c. Et alii Philosophi, qui circa objectum beatitudinis errarunt, non errarunt circa formalem, quam in operationibus posuerunt, ut Stoici, qui non in habitibus mortuis, sed operationibus virtutum eam ponunt, alioqui dormientes essent beati. Epicurei non in objectis delectabilibus, sed in fruitione, ac delectatione actuali; Platonici in substantiarum abstractarum, & præcipuè objecti excellentissimi contemplatione, & amore.

Prob. denique, quia beatitudo est ea res, quæ satiat appetitum: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*; sed non satiat, nisi per operationes intellectuales; ergo in eis consistit formaliter. Major patet ex dictis. Nam beatus ille est, *qui habet quidquid vult, & nihil mali vult*. Prob. min. dato quovis bono in quavis conjunctione, aut præsentia in homine, vel Angelo, non habet quidquid vult, nec illo gaudet, nisi videat, & fruatur; nam visio, & fruitio maximè appetuntur ab anima: *Ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus*; non satiabitur, nisi cùm apparuerit gloria, &c.

Objic. 1. Homo non vult solam operationem; ergo beatitudo in ea sola non consistit. Prob. antec. vult omnia objecta, quibus perficitur; sed non perficitur sola operatione; ergo, &c.

Resp. dist. ant. Non vult solam operationem objectivè, conc. formaliter, & *ut quo*, neg. ant. Idem dico ad min. prob. vult homo omnia bona, seu omne bonum, quod est Deus, qui est bonum infinitum, *in*

[1] 1. *Ethic.* 8. & 9. 9. *met. c.* 5. *l.* 13 & *l.* 12. *c.* 6.

quo omnia, & ex quo, et per quem omnia, vult illum videre, & frui; & hac visione,& fruitione ultimò perficitur, & satiatur.

Objic. 2. Beatitudo est in possessione boni permanentis; sed operatio non est bonum permanens, sed transiens; ergo in ea non est formalis beatitudo.

Resp.neg. min. Nam visio,& fruitio erunt æternæ.

Inst. Habitus est nobilior operatione; ergo Beatitudo potiùs est in fruitione habituali,quàm in operatione actuali. Prob. ant. bonum stabilius & diuturnius est nobilius, & melius transeunti; sed habitus est stabilior, & operatio transit; ergo, &c.

Resp. n. ant. & maj. prob. Nam præcellentia non venit præcisè à stabilitate, & maximè in habitu, sed in eo sita est, quòd immediatiùs attingat finem. Per operationem autem homo attingit immediatè finem, seu objectum beatitudinis, non autem per habitum, nisi mediatè, & dispositivè. Item rerum perfectio petitur primò à natura, non à duratione. Asinus plus durat, quàm equus, lapis, quàm homo, &c. Denique in proposito beatitudinis tam operationes durant, quàm habitus ad eas concurrentes.

Inst. 2. Causa, ut causa est nobilior effectu; sed habitus est causa operationis; ergo ille est perfectior, & est majus bonum.

Resp. dist.maj. Causa totalis, conc. maj. & n. min. causa partialis, neg. min. habitus autem non est nisi causa partialis operationis cum potentia.

Inst.3. Actio non perficit agens, sicut habitus; ergo operationes circa objectum beatitudinis non sunt ultima perfectio beati. Prob. ant. causa non perficitur per hoc, quòd producit.

Resp.d.ant. Actio transiens, conc.ant. actio immanens, n.ant. & sic d.ant. prob. per productionem effectus extra se, conc. si producat in se ipso, neg. ant. intellectus autem producit in se visionem, & voluntas fruitionem, seu amorem, & sic ab eis perficiuntur.

Objic. 3. Si beatitudo formalis esset in operatione, homo eam produceret, & sic seipsum bearet; sed hoc est inconveniens, & falsum; est enim donum Dei: [1] *gratiam, et gloriam dabit Dominus*; ergo consistit po-

[1] *Psal.*83.

potiùs in habitu, vel aliquo dono, quàm operatione hominis.

Resp.n.2.conf. Nam produceret eam operationem non se solo, sed concurrente Deo supernaturaliter per donum luminis gloriæ, & gratiarum præcedentium, & maximè charitatis, & Deus se se supernaturaliter ostendit, & concurrit per modum objecti beatifici.

Inst. Beatitudo dicitur *præmium*, *merces*, & *corona justitiæ*; ergo non est operatio beati. Prob. conf. homo est causa physica suæ operationis, & causa moralis suæ mercedis, at coronæ, physica verò est Deus, ut remunerator.

Resp.n. conf. & ad prob. dico, visionem, & fruitionem esse physicè ab homine, & ab auxiliis, ac donis divinis supernaturalibus, & concurrentibus ad illas operationes, & respectu donorum est causa moralis, seu meritoria: nec id mirum, vel inconveniens, quòd sit causa physica, & moralis sub diverso respectu.

CONCLUSIO III.

Beatitudo formalis consistit in operatione intellectus; & voluntatis, sed principaliùs in fruitione, quæ est operatio voluntatis. Ita Scotistæ contra Thomistas, cum aliis, qui eam totam ponunt quoad essentiam in visione, & alios, qui ponunt æqualiter in utraque operatione. Dico, principalius; nec enim negamus, quin consistat etiam in visione.

Prob. 1. pars ex Scoto, qui hanc sic proponit, & probat. [1] *Potest dici, quod non loquendo de beatitudine, ut dicit aggregationem omnium bonorum pertinentium ad beatificabile, sed ut dicit illud, quo mediante attingitur ultimate objectum beatificum, posset distingui de beatitudine naturæ intellectualis, ac de beatitudine potentiæ sic, quòd licèt natura non beatificetur, nisi secundum potentiam, tamen ut in natura est alia potētia beatificabilis, cujus beatitudo non est simpliciter beatitudo naturę, potest dici, quòd beatitudo naturæ intellectualis consistit in operatione unica tantū*, &c. Vides Scotū subtiliter distinguere beatitudinē naturę, ut natura est, & potentię, i. consistit in una operatione,

O 5 qua

[1] 4.*d*.49.*q*.3. *A.n*.5.

qua ultimatè, & perfectissimè, ac completè attingitur objectum beatitudinis; & in hoc sensu consistit tantùm in una operatione, sc. in fruitione, quæ est operatio voluntatis. 2. consistit in ea omni operatione, per quam attingi potest illud objectum; & quia potest attingi per actum intellectus æquè, ac voluntatis, ideò sub hoc respectu beatitudo formalis consistit in utraque operatione; quia per utramque, scilicet tam per visionem, quàm per amorem attingit Deum. Distinguit etiam de beatitudine *extensiva*, & *intensiva*. 1. dicit aggregationem ex omnibus, quę concurrunt ad illam sivè ut partes, sivè ut proprietates, & accidentia connaturalia. 2. dicit actum ultimum, & perfectissimum potentiæ, per quam attingitur objectiva beatitudo. Agitur autem de beatitudine naturæ, non autem potentiæ; quia certum est, hanc consistere in utraque operatione; nec agitur de extensiva, quæ dicit aggregationem omnium bonorum pertinentium ad beatificabile, quia in hoc sensu etiam certum est, quòd consistit in utriusque potentiæ operatione; quia est beatitudo duarum potentiarum, quarum utraque suo modo est beatificabilis: ista, inquam, consistit in pluribus operationibus, & hoc modo, si possent esse in natura intellectuali decem potentiæ, quarum quælibet per operationem suam attingeret immediatè Deum, Beatitudo totalis *extensiva* consisteret in decem operationibus; sed agitur de *intensiva*, & essentiali, quæ est simpliciter, & præcisè operatio, per quam attingitur objectum beatificum; & quoad hunc sensum Beatitudo totalis essentialiter consistit in utraque operatione, sed principaliùs in actu voluntatis.

Prob. 2. ex Scriptura, quæ ponit beatitudinem modò in una, modò in alia, v. g. illam ponit in operatione intellectus, seu visione, cùm dicit: [1] *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et, [2] *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Et, [3] *hęc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum*. In actibus autem voluntatis, cùm dicit: [4] *Exultabunt sancti in gloria; lætabuntur*, &c. Et [5] *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Et, *adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua*, &c. Et, [6] *Lętitia sempiter-*

[1] *Matt.* 5. [2] *et.* 28. [3] *et.* 17. [4] *Ps.* 49. [5] *et* 35. [6] *et* 25.

piterna super capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt. Et, *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Et *Euge serve bone, intra in gaudium.* Et, *Non est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto.* Gaudium autem, exultatio, lætitia, & pax sunt affectiones voluntatis; ergo ex Scriptura, beatitudo formalis *extensiva*, & totalis consistit in utraq; operatione.

Prob. 3 ex SS. Patribus, qui similiter eam ponunt modò in una, modo in altera, vel in utraque; v. g. de visione dicit August. [1] *Videre est summa felicitas, jucunditas, & vita æterna.* Et S. Cyrillus [2] *Hominum felicitas est habere summam contemplationem.* Et Ber. *Præmium est Deum videre.* Pro voluntate autem dicit August. [3] *Hæc est summa merces, quòd Deo perfruamur.* Fruitio autem est voluntatis. *Beatus est, qui eo, quod amat, fruitur.* Item [4], *Omnes ipsum gaudium vitam æternam vocant.* Item, [5] *Hæc est sola vita æterna gaudere ad te, de te, & propter te.* Item, [6] *Beata vita est gaudium de veritate.* Et S. Anselmus, creaturam rationalem à Deo factam esse justam, *ut eo fruendo beata sit, dubitari non debet.* Alii in utroque actu, ut S. Dionysius [7] *In his beatitudo consistit, cognoscere, & amare Deum.* Et S. Bernardus: [8] *Sicut initia in hac vita fides, & desiderium; sic etiam in alia consummat vita, & amor;* & utraque significatur hoc textu; *Torrente voluptatis tuæ potabis eos;* Et *In lumine tuo videbimus lumen;* nempè visio in intellectu, voluptas in voluntate. Et in Constitutione citata Benedicti XII. dicit, quòd *ex tali visione, & fruitione eorum animæ sunt verè beatæ;* & ibi semper utrumque actum memorat; ergo ex Scriptura, & Patribus beatitudo formalis est in utraque operatione essentialiter.

Confir. ex Catechismo Romano, in illud (*vitam æternam*) ubi dicit: *Solida Beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum videamus, ejusque pulchritudine perfruamur.*

Prob. 4. ratione: Homo per utramque potentiam, & operationem est verè beatificabilis, & verè, ac im-

[1] *l. de Spir. & lit. c. 22. et 27.* [2] *3. con. Jul.* [3] *de doctr. chr. 32.* [4] *8. de civ. 9.* [5] *1. Conf. 21. 22. & 23.* [6] *l. cur. D. Hom. c. 1.* [7] *Hierar. 7.* [8] *Ep. 28.*

mediatè attingit Deum; ergo beatitudo formalis in utraque consistit essentialiter. Prob. ant. per utramque inclinatur homo ad Deum, scilicet per intellectum ad videndum, & per voluntatem ad fruendum, & si alterutra privaretur, non esset satiatus, v. g. si frueretur non videndo, aut videret non amando, & fruendo; & tam immediate attingit Deum visione, quàm si non amaret, & amore, quàm si non videret; ergo utraque operatione attingit Deum, & beatificabilis est. Et certè Deus est utriusque potentiæ objectum immediatum.

Dices, hoc esse verum, ex Scoto, quoad beatitudinem *extensivam*, non verò pro *intensiva* in sensu explicato, & pro beatitudine potentiæ, non naturæ, ut natura est. Nam pro beatitudine formali *intensiva*, & naturæ sufficit, ut per eam attingatur, & habeatur summum bonum actu perfectissimo, quo possit haberi ad satietatem, quantùm ad essentiam beatitudinis præcisè; ad hoc autem non requiritur attingentia secundum omnes actus, & potentias, per quas potest attingi.

Contrà. Tunc perfectè, & quantùm sufficit ad essentiam beatitudinis, habetur summum bonum, quando habetur iis actibus, quibus illud natum est teneri, & quibus anima est de se nata illud tenere; sed Deus est natus teneri, & anima tenere illum utroque actu utriusque potentiæ; ergo ad essentiam beatitudinis formalis, & intensivæ requiritur attingentia, & possessio Dei per utramque operationem. Prob. min. Deus natus est teneri per intellectum, ut summum ens, verum, & per voluntatem ut ens summum, appetibile, seu bonum; ergo per utramque potentiam, & operationem Deus est de se attingibilis, & anima utroque modo nata est illum possidere.

Confir. Beatitudo formalis debet esse perfectè satiativa naturæ intellectualis secundum se, & quatenus est de se, & essentia sua beatificabilis; sed natura intellectualis est satiabilis, & beatificabilis de se secundum utramque potentiam, quia utramque de se, & ex natura sua includit, saltem ut proprietates ab essentia inseparabiles; ergo secundum utramque debet uniri Deo.

Prob.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto, qui hoc satis indicat, cùm dicit, quòd *beatitudo naturæ consistit in operatione unica tantùm, quia tantùm in unica est sibi simpliciter benè, ita quòd nihil sibi desit, non tanquam hæc contineat omnia pertinentia ad benè esse naturæ, sed dicat complementum omnium in bene essendo*; sed fruitio est complementum omnium eorum, quibus benè esse potest naturæ intellectuali; ergo in illa præcipuè consistit formalis beatitudo.

Dices, hinc plus probari, quàm consistentiam principalem; nam intendit hic Scotus totam essentiam beatitudinis *intensivam*, & *naturæ* in una sola operatione consistere; & ita tenent multi Scotistæ, scilicet quòd consistit in sola operatione voluntatis.

Fateor ita videri, tamen si benè perpendantur ea, quæ dicit in illis duabus quæstionibus, vel problematicus est, vel intelligendus juxta conclusionem. Nam 1. concedit beatitudinem *extensivam*, & *potentiæ* consistere in utraque, & 2. dubitat, num ita sit de essentiali. *Nullo ergo modo potest poni consistere in duabus operationibus, nisi ponendo, quòd ad operationem beatificam non sufficit operatio unica sine alia, quod tamen est dubium*. Non dicit, [1] *quod est falsum*, ut diceret, si absolutè crederet, unicam sufficere; *videtur enim admittere eam opinionem, quæ ponit beatitudinem in operatione duarum potentiarum esse probabilem; quod etiam plures tenent; & videtur satis fundata*, inquit P. Hiqueus. Et positivè id probat de actu voluntatis hoc argumento. Finis *extra est simpliciter optimum, & summè volendum; ergo inter ea, quæ sunt ad ipsum, illud, quod est sibi immediatius, est magis volendum, sed velle est sibi immediatius, quia immediatè tendit in ipsum, ut in finem ultimum, cùm finis ultimus, ut talis, sit proprium objectum ipsius velle; ergo* &c. Prob. maj. *Illud est magis volendum voluntate libera, quod appetitui naturali naturaliter est magis appetendum; sed hujusmodi est, quod est propinquius objecto, quod simpliciter maximè appetitur naturaliter; ergo* &c. Per finem ultimum intellige id, quod est optimũ in rebus, ut Deus per finem intra operationem illam per quam

Deus

[1] *In comment. n. 19. q. 4. B. n. 4.*

Deus ultimatè attingitur, & propter quam omnia fiunt ab agente ordinato, uno verbo; finis *intra* coincidit cum beatitudine formali. [1] Tùm incidenter resolvit, voluntatem esse nobiliorem intellectu, & inde etiam sequitur intentum hujus conclusionis, scilicet beatitudinem formalem esse in actu voluntatis magis principaliter, velut in actu perfectiori, ac nobiliori. Hoc autem resolvimus in tractatu de Anima. [2] Denique concludit assertivè, quòd *in solo actu, qui est fruitio consistit beatitudo simpliciter naturæ intellectualis, non quidem in omni actu voluntatis, quia non consistit in amore concupiscentiæ, sed amicitiæ*, & hoc principaliter. His suppositis de mente Doctoris.

Prob. 2. eadem pars rationibus ejusdem: Beatitudo formalis consistit in actu perfectissimo, & per quem immediatiùs attingitur ultimus finis, & ad eum omnia alia media ordinantur; sed talis est actus fruitionis; ergo in eo principaliùs consistit beatitudo formalis. Maj. est evidens; Prob. min. quidquid enim hìc facimus, eò tendit, ut Deo fruamur; & in cœlo omnia ordinantur ad amorem Dei propter se, etiam ipsa visio, & non è contra. Nam amor Dei non ordinatur ad visionem; nec enim amamus ut videamus, sed videmus, & videre volumus, ut amemus, & fruamur; alioqui perverteretur ordo actionum humanarum, inquit S. Anselmus, & experientia ipsa constat, nos summè optare possessionem boni summi, & optati, nec nos sistere in ejus cognitione.

Prob. 3. Quia finis *extra*, seu Deus perfectiùs possidetur per fruitionem voluntatis, quàm per visionem intellectivam; ergo beatitudo formalis principaliùs sita est in fruitione voluntatis, quàm in visione intellectus. Prob. ant. per fruitionem voluntas ita possidet bonum, ut suum faciat; unde *amicus fit alter ego*, per amorem amicitiæ, & fortiùs, ac intimiùs adhæret; ideo dicit sponsa, *inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*, amor est unitivus; est nexus quidam, quo ex duobus fit unum; non sic est de cognitione.

Confir. Per actum intellectus anima non sic conjungi-

[1] q. *Later*. 1. *n*. 10. [2] q. 5. *A*. *n*. 2.

jungitur fini, ut in illa conjunctione quiescat, donec eo fruatur per amorem; ergo amor est perfectior, & completior assecutio finis.

Prob. 4. In eo actu principalius consistit formalis beatitudo, quem magis optamus, & quem Deus magis exigit, & qui magis ei placet; sed rationabiliter amor Dei est optabilior, & Deo magis placet, quàm desiderium cognitionis, ut patet ex Scriptura, & Patribus, ac Theologis; *major horum est Charitas*, & Deus ipse *charitas est*, *& qui manet in charitate, in Deo manet*, &c. & qui *non diligit, manet in morte*; ergo vita beata maximè sita est in amore Dei.

Denique prob. ex dictis de præstantia voluntatis, & operationum ejus super intellectum, & intellectiones. Nam sine dubio formalis beatitudo consistit principaliùs in operatione principalioris, ac nobilioris potentiæ.

Objic. 1. contra 1. p. Beatitudo formalis est quid per se unum, & actus simplex, sicut gratia; ergo non consistit essentialiter in duobus actibus.

Resp. dist. ant. Est per se unum quoad principale, conc. ant. secundum se totam, neg. ant. quoad principale, quod importat, est fruitio, seu unus per se actus simplex, sed adæquatè includit plures actus qui non sunt unum, nisi unitate ordinis, & aggregationis, sicut anima beatificabilis est in duabus potentiis.

Inst. Debet consistere in perfectissima, & ultima conjunctione hominis cum Deo; sed hæc conjunctio esse non potest, nisi in una perfectissima, & ultima operatione; ergo non potest esse in duabus. Prob. min. ultima operatio non potest esse plures, sed unica, alioqui esset, & non esset ultima; esset ultima, ut supponitur, non esset verò, quia esset alia æqualis ei.

Resp. neg. min. & dist. prob. Non potest esse plures in eodem ordine, & potentia, conc. in diverso ordine, & potentiis, neg. min. Visio Dei est ultima, & perfectissima in ordine cognitionum, & in intellectu; ita est de amore in voluntate, & ex his duabus operationibus perfectissimis coalescit una totalis, & ultima assecutio ultimi finis.

Objic.

Objic. 2. Beatitudo essentialiter est in operatione, quæ attingit immediatissimè objectum beatificum, sed illa non potest esse, nisi una; ergo non est duplex. Prob. min. si enim essent plures, una attingeret immediatiùs altera.

Resp. dist. min. Non potest esse nisi una saltem unitate ordinis, & aggregationis, in qua una sit principalior, conc. unitate simplicitatis, neg. min. Nam alia unitas, nec immediatior attingentia requiritur quàm quod objectum in se ipso immediatè immediatione rei attingatur, & id fit per utramque operationem in suo ordine. Deus prius natura videtur in se intuitivè per intellectum, deinde in se amatur, & possidetur per amorem voluntatis; quo ultimatè completur possessio, quia talis est ordo illarum facultatum animæ.

Inst. Est unus finis ultimus, una beatitudo objectiva; ergo & unica formalis.

Resp. dist. conseq. Una totalis, & adæquata, & unitate ordinis, & totalitatis, conc. unitate simplicitatis, neg. conseq. ob eandem rationem.

Objic. 3. Scotum dicentem positivè illam consistere in unica operatione, ut patet ex 1. textu allegato, & ex aliis, quibus eam ponit in fruitione.

Resp. 1. Scotum loqui de beatitudine hominis secundum naturam; sed de beatitudine potentiarum apertè dicit; eam consistere in actibus singularum, etiam si essent decem, aut plures. 2. id dicit etiam de natura probabiliter, nec negat pluralitatem operationum esse probabilem, ut patet ex ipso textu.

Inst. Licèt concurrat intellectus per visionem, hæc se habet tantùm, ut dispositio, seu conditio, sine qua non; nempe ut applicatio objecti ad potentiam, scilicet voluntatem; ergo Scotus non intendit, quòd visio sit pars beatitudinis formalis, sed sola fruitio saltem essentialiter.

Resp. dist. ant. est dispositio, seu conditio respectu operationis principalioris, conc. ant. respectu beatitudinis totalis, & completæ, neg. ant. Nam cùm, ex ipso Doctore, tam intellectus sit beatificabilis, quàm voluntas, tam visio est pars beatitudinis formalis pro intellectu, quàm fruitio ratione voluntatis, & sicut utraque facultas pertinet ad substantiam ani-

animæ, ita & utraque operatio ad ejus beatitudinem; sed sicut voluntas est principalior facultas, ita & fruitio est principalior actus, & ad istum visio se habet, ut conditio, & dispositio.

Objicies 1. contra 2. p. Scriptura non loquitur nisi de sola visione intellectiva; ergo in ea sola est beatitudo formalis. Prob. ant. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Angeli eorum vident faciem Patris. Videbimus eum sicuti est. Videbimus facie ad faciem*, &c. & confir. ex SS. Patribus, v. g. August. [1] dicit, quòd *visio est tota merces*, ergo in sola visione consistit.

Resp. dist. ant. de sola visione, velut prima objecti beatifici adeptione, & quidem primitate ordinis, & originis, conc. ant, velut de totali, aut principaliori, neg. ant. & conf. Nam talis est sensus Scripturæ, quæ alibi facit mentionem de fruitione, ut probatum est. Idem dicendum ad auctoritates SS. Patrum. August. [2] loquitur ibi de tota mercede potentiæ intellectivæ, non de totalitate absoluta totius animæ. Nam alibi dicit, quòd *summa merces est, ut eo* (Deo) *perfruamur*.

Inst. Scriptura dicit sufficere visionem; [3] *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*; ergo in sola visione consistit.

Respondeo neg. ant. Ille locus non est ad propositum de beatitudine, sed de Mysterio Trinitatis, quia Apostoli cupiebant videre Patrem Christi cœlestem, quem illis sæpius prædicabat. Certè visio solius Patris non sufficeret præcisè ad beatitudinem, quæ principaliùs est in visione essentiæ, & Trinitatis personarum. Res, quibus fruendum est, sunt *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, inquit August. [4]

Objic. 3. Ille actus est finis ultimus *intra*, seu *formalis* beatitudo, per quam primò, & immediatè, & ultimate unimur Deo; sed talis est visio intellectiva; ergo &c. Prob. min. per visionem Deus fit realiter, & intimè præsens animæ, & immediatè, & per se: visio enim intuitiva est de re præsenti, ut præsenti & absque medio; fruitio verò supponit Deum jam præsentem, & possessum per intuitionem.

Resp.

[1] 1. *De Trin.* [2] 1. *De Doctr. Chr. c.* 32. [3] *Job.* 14. [4] *Ibid. c.* 1.

Resp. dist. min. immediatè quidem, & ultimatè, ac quietativè, & primitate ordinis quoad intellectum, conc. ant. quoad totam animam, primitate perfectionis, & simpliciter, neg. ant. Primò quidem primitate originis, & ultimatè quoad intellectum Deus attingitur, & possidetur per intuitionem, sed in ea non quietatur plenè anima, sed per fruitionem voluntatis, quæ est prima primitate, & immediatione perfectionis, ac consummationis, & in ea plenè quietatur anima, & ideò est finis ultimus *intra*.

Inst. Præsente objecto concupito natura delectatur, & quietatur; sed Deus fit præsens per visionem; ergo visio est quietativa. Ant. patet ex materialibus. Nam præsente pecunia quietatur appetitus avari; viso pulchro quietatur oculus, & appetitus ejus. Ita est de sono in auditu; de cibo in gustu; sensatio est finis *intra* in appetitu sensitivo; ergo ita est de præsentia, & intuitione Dei respectu appetitus beatitudinis.

Resp. neg. ant. de præsentia purè objectiva ad oculos, vel intellectum, & de satietate adæquata. Vel dist. ut priùs, præsente objecto quoad visionem quietatur oculus, & intellectus, conc. ant. quietatur totaliter anima, neg. ant. & ad probationem potiùs retorqueo argumentum; viso cibo, & sono, & pecunia, non quietatur appetitus sensitivus, aut naturalis; ergo nec quietatur appetitus supernaturalis animæ per visionem Dei, sed debet magis possideri per voluntatis fruitionem. In materialibus datur cognitio, & appetitio, & utrique debet uniri objectum, ut totaliter quiescat animal; ita in homine voluntas, quæ est facultas appetitiva, debet satiari, & non sufficit cognitio boni, sed principaliter requiritur fruitio.

Inst. Per visionem perfectè possidetur objectum; ergo illa sufficit.

Resp. dist. ant. Possidetur in ratione cognoscibilis, conc. in ratione boni fruibilis, seu amabilis, neg. ant. Utrumque habet Deus, & amabilitas est præcipua ratio, sub qua beatificat.

Objic. 4. Beatitudo formalis est vitalis, & recreativa consecutio, & possessio summi boni; sed id

fit

fit per solam visionem intellectivam, non per actum voluntatis; ergo in visione sola consistit, non in fruitione. Prob. min. amor fruitionis non attingit objectum assequendo, & possidendo ipsum; ergo actus voluntatis non est adeptio, nec possessio vitalis summi boni. Prob. ant. si attingeret assequendo, & possidendo, id faceret vel ex ratione generica, & modo agendi voluntatis, vel ex ratione specifica talis amoris; sed neutrum dici potest; ergo &c. prob. min. 1. non ex ratione generica actuum voluntatis, & modo agendi ejus; nam voluntas est potentia appetitiva, quæ attingendo objectum producit in se impulsum, quo se in objectum movet, & non trahit ad se objectum, sed ab objecto quasi trahitur extra se, & sic possidetur ab objecto potiùs, quàm ipsum possideat: contra est de intellectu, qui objectum apprehendit, & ad se trahit; ideò attingentia ejus est acquisitiva, & possessiva; voluntas verò potiùs prodit, & tradit se objecto, quàm acquirat illud, 2. non ex ratione specifica talis actus; v. g. amoris amicitiæ, vel fruitionis, quia omnis amor præscindit à præsentia objecti, & tam est de absente, quàm præsente; ergo amor non est actus vitalis adeptionis, & possessionis. Hoc est præcipuum fundamentum Thomistarum, & per hoc dicunt Scotum urgeri ad docendum, amorem patriæ, & viæ differre specie.

Resp. neg. min. 1. argum. & ant. 2. & min. 3. Nam utroque modo acquiritur objectum beatificum per voluntatem, non quidem 1. quia jam supponitur acquisitum, & præsens intentionaliter per visionem intellectivam, sed affectivè, completè, & ultimatè. Nam *quidquid mente habetur, noscendo habetur*, inquit S. August. [1] *& velle Deum idem est, quod Deum habere*. Unde beatus non aliter Deum habet, quàm quia videt, & amat in se. Ad prob. 1. partis hujus 3. minoris nego, attingentiam voluntatis per affectum amoris non esse veram possessionem ejus æquè, ac per cognitionem. Utraque est acquisitio realis intentionalis, attractio intellectus, sicut exitus, seu latio voluntatis est pariter intentionalis, & metaphorica, cum ea differentia, quòd voluntas per suum impulsum, & affectum intimiùs, & nobiliori modo uni-

[1] *Madern. de beat. q. 1. a. 5. n. 9 de lib. ar. 13.*

unitur amato Deo, & fit quasi unum cum illo per divinam transformationem. Tam dilectus fit amantis, quàm amans dilecti, juxta illud, [1] *dilectus meus mihi, & ego illi*. Ad prob. 2. p. neg. ant. Nam amor patriæ est Dei, ut visi, & per consequens ut præsentis; & ideò illum distinguit Scotus ab amore viæ; quippè ad distinctionem specificam actuum sufficit differentia principiorum, mediorum, ac dispositionum, qualis est sine dubio in principiis, mediis, & dispositionibus istorum; Nam amor viæ est ex lumine, ac cognitione fidei; amor patriæ ex lumine gloriæ, & visione intuitiva, & aliis circumstantiis; nihil ergo rationabilius, quàm differentiam illorum agnoscere.

Quando ergo dicitur, quod intellectus attrahit ad se objecta, & illud apprehendit, tenet, & possidet, sicut corporalia tenemur manu, id dicitur metaphoricè, & intentionaliter, sicut & cùm dicitur, quòd *intelligendo fit omnia*; id enim falsum est in rigore physico, ac reali. Idem est de voluntate, cùm dicitur transire in amatum, quia respicit illud per modum inclinationis, & appetitus: & quidem physicè loquendo, falsius est, & magis metaphoricum, quàm attractio intellectus; nam cùm voluntas sæpè appetat, & amet res non existentes, sed futuras, aut possibiles, absurdum est dicere, quòd transeat in illas; imò dat illis aliquod esse in se ipsa, scilicet esse cupitum, esse amatum, & volitum, sicut intellectus dat esse cognitum. Potentia igitur utraque perficitur objecto beatifico, & illud possidet terminativè, & ab extrinseco. Nec *mirum* (inquit Doctor) [2] *quòd aliquid perficiatur in extrinseco, quia attingendo extrinsecum, & maximè si est perfectius se, habet ulteriorem perfectionem, quam posset habere in se, & ad se; isto enim modo ignobiliora perficiuntur in nobilioribus, non essendo illa realiter, nec habendo illa formaliter illa inhærentia*; intellectus enim, sicut nec voluntas beatorum non habet sibi Deum inhærentem formaliter, *sed attingendo illum, & sic habendo modo sibi possibili habere illum*. Id patet ex D. Thoma, [3] qui comprehensionem, prout spectat ad beatitudinem dicit, nihil esse aliud, *quàm tentionem alicujus rei, quæ*

jam

[1] *Cant.* [2] *4. d. 49. q. 1. V. n. 22.*
[3] *1. 2. q. 4. a. 3. ad. 1. & 2.*

jam præsentialiter habetur, sicut aliquis consequens aliquem dicitur etiam comprehendere, quando tenet eum, & hoc modo comprehensio requiritur ad beatitudinem, & ita etiam ad voluntatem pertinet comprehensio, & delectatio, quia ejusdem est habere aliquid, & quiescere in illo; ergo ex D. Thoma *tentio, comprehensio, & possessio* tam spectant ad voluntatem, quàm ad intellectum, & in utroque sunt res intentionales; *est enim visio*, non physica unio rei tenendæ, sed *velut unio rei tenendæ cum eo, quod tenebit*; ergo tam Deus tenetur, & possidetur per amorem, & fruitionem voluntatis, & quidem perfectiùs, & cumulatiùs, quàm per visionem intellectus.

Objic. denique. Beatitudo consistit in summa delectatione, seu operatione summè delectabili; sed hæc est in sola visione intellectiva Dei; ergo beatitudo est in sola visione intellectiva. Prob. min. Deus ut objectum pulcherrimum, suavissimum, & continens omnem bonitatem non causat homini voluptatem, nisi formaliter media visione ipsius, quatenus intellectus eminentiori modo percipit objecta delectabilia, quàm sensus corporei; sed hæc perceptio bonitatis, suavitatis, & pulchritudinis est in sola visione intellectiva; ergo, &c. Prob. min. Nam pulchrum non ideò delectat hominem, quia amatur, sed potiùs ideò amatur, quia delectat per visionem; sicut dulce delectat per gustum, & odor per odoratum; ergo delectatio ex objecto beatifico est in visione, & ex visione intellectiva sola.

Resp.1. neg.maj. vel dist. in operatione summè delectabili totaliter, aut saltem principaliter, con.maj. partialiter, & inadæquatè, neg. maj. & min. Nam illa operatio principalis oblectabilissima, & virtuosissima, & nobilissima est charitas consummata, qua unimur Deo.

Resp.2.neg. min.1. & 2. argum. & dist. ant.3. pulchrum delectat per visionem, & dulce per gustum, ita ut delectatio sit in sensu, ut est appetitivus, & ut pulchritudo, aut dulcedo convenit appetitui, conc. ant. ut est cognoscitivus præcisè, neg. ant. & id valdè notandum est ex dictis de anima. Nam delectatio, vel dolor, gaudium, vel tristitia in sensibus supponit quidem perceptionem convenientis, aut disconvenien-

nientis, sed non est formaliter in cognitione, nec in sensu ut cognoscitivo, sicut nec convenientia, vel disconvenientia, bonitas, vel malitia non respiciunt animam ut cognoscentem, sed ut appetitivam: sic gaudium ex delectatione beatifica est in anima beata per voluntatem, supposita quidem cognitione divinæ pulchritudinis, dulcedinis, & bonitatis infinitæ, sed non est formaliter in cognitione, quæ indifferens est ad repræsentandum malum, aut bonum, delectabile, aut dolorosum, gaudium, inquam, beatificum sequitur quidem ad visionem beatificam, sed est in voluntate per adhæsionem, & amorem, sine quo beatitudo cum sola visione esset imperfecta.

QUÆSTIO VI.

De beatitudine naturali hujus vitæ, an sit possibilis, & in quo consistat.

Beatitudo, quam huc usque descripsimus, & asseruimus, præscindit à statu, in quo habenda sit, & à naturalitate, & supernaturalitate, licèt satis supposuerimus, visionem, & fruitionem Dei in se non haberi naturaliter, neque in hac vita. Antiquiores Philosophi de altera vita nihil, aut pauca, aut multum confusè agnoverunt; non videntur aliam beatitudinem scivisse, quàm naturalem, & præsentis vitæ, ut Judæi plurimi ex ignorantia; in hoc errore dicuntur fuisse mater, & filii Zebedæi, cùm petebant à Christo, *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo*; sed atrocius errabant Epicurei dicentes, *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*, & à fortiori Athei, qui ut nullam divinitatem agnoscunt, sic nec animæ immortalitatem, nec aliam beatitudinem, quàm quæ haberi potest in hac vita, quamque sibi quisque acquirere potest. Imò plures Philosophi, & hæretici, qui nec Deum, nec immortalitatem animæ ignorarunt, nec benè de hac re senserunt. Sed his omissis, cum Christianis loquimur, & quærimus, an possibilis sit beatitudo naturalis, & in hac vita, & in quo illa consistat?

CON-

CONCLUSIO I.

N*On datur vera beatitudo, nequidem naturalis in homine puro, & mortali; non repugnat tamen etiam supernaturalis, saltem de potentia Dei absoluta, inchoata verò, & imperfecta potest alicui contingere.* Est communis quoad 1. p. & ferè quoad 2. Dico, *in homine puro*, propter Christum Deum, qui fuit beatus etiam in hac vita mortali.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui putat, quòd Philosophus tenuisset, hominem *in actibus, quos modò experimur in nobis, posse in vita ista beatificari, & dixisset, quòd alia notitia clara, & immediata non fuisset possibilis homini per rationem naturalem investigando, sed hoc fuit superius reprobatum*, ergo Scotus non putat possibilem beatitudinem pro homine in hac vita, nequidem naturalem, quia Arist. quem impugnat non noverat aliam, quàm naturalem.

Quoad 2. p. verò apertè illam aperit, & probat hoc modo: [2] *Impossibilitas aliquid recipiendi in subjecto præexistente potest esse ex duobus, vel ex parte agentis, vel ex parte passi*; sed neutro ex capite repugnat beatitudo in hac vita; ergo nequidem repugnat supernaturalis. Prob. min. 1. non ex parte agentis, quia si ad beatitudinem non requiritur prævia dispositio, ut lumen gloriæ, *tunc agenti, ut agens est, non repugnat plus modò dare beatitudinem; quàm in alia vita, si requiratur dispositio, potest illam dispositionem primò dare, et illa data beatitudinem conferre, sicut post mortem*, ergo non est impossibilitas ex parte agentis. 2. non ex parte passi, neque ex natura sua; *Tunc enim nunquam posset recipere beatitudinem*; neque ratione alicujus impedientis, quod sit in passo, v. g. propter mortalitatem. Nam *hæc repugnantia mortalitatis ad beatitudinem non est formalis*; tunc enim in Christo non potuissent esse simul, quod non est verum; ergo non repugnat ex parte passi.

Dices, eam repugnare repugnantia virtuali, quia effectus beatitudinis, nempe immortalitas repugnat statui hujus vitæ ob mortalitatem. Nam beatitudo est causa immortalitatis, quia removet omnem miseriam.

Con-

[1] 4. *d*. 49. *q*. 12. *A*. *n*. 3. [2] *Ibid.*

Contra, quia Deus poteſt ſuſpendere illos effectus beatitudinis per novum miraculum impediendo, ne beatitudo animæ redundet in corpus, & amovendo paſſibilitatem, ex qua ſequeretur mortalitas, ut contigit Chriſto D.

Prob. 2. quoad 1. partem. 1. ex Scriptura, in qua tot vitæ hujus miſeriæ leguntur. [1] *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis*; longe ergo abeſt à plenitudine bonorum, cùm ſit plena miſeriis: Nulla etiam tranquillitas, ſed bellum continuum; *militia eſt vita hominis ſuper terram*, ait idem S. Patriarcha; [2] *caro concupiſcit adverſus Spiritum, & ſpiritus adverſus carnem: hæc enim invicem adverſantur, ut non ea, quæ vultis, faciatis*. Quæ major miſeria, quàm bellum inteſtinum perpetuum, & inextinguibile? propterea mortem invocat idem Apoſtolus. [3] *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus!* [4] *Laudavi mortuos magis, quàm viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſunt ſub ſole*.

Prob. 3. ex Patribus, qui toti in miſeriis hujus vitæ meditandis, & enarrandis ſunt. Unus ſit pro omnibus Auguſt. [5] *Omnium mortalium progeniem fuiſſe damnatam hæc ipſa vita, ſi vita dicenda eſt, tot, & tantis plena malis teſtatur.* Quid enim *indicat aliud horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adam quodam tenebroſo ſinu ſuſcepit, ut homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore non poſſit? Quid amor ipſe tot vanarum rerum, atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, ſuperbia, perfidia, ambitio, invidia, homicidia, parricidia, crudelitas, ſævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, fornicationes, adulteria, inceſta, & contra naturam utriuſque ſexus, tot ſtupra, atque immunditiæ, quas turpe eſt etiam dicere, ſacrilegia, &c.* Hæc mala ſunt animi, & ſpiritualia: audi temporales miſerias, quot, & quantis *pœnis agitetur*

[1] *Job.* 14. [2] *Gal.* 5. [3] *Rom.* 1. [4] *Eccle.* 4.
[5] 22. *De civit. c.* 2.

tetur genus humanum, quæ non ad malitiam, nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent, miseriamque communem. Quis ullo sermone digerit? Quis ulla cogitatione comprehendit? &c. Hæc fusè, ac eleganter expendit, tum ad corporalia transiens addit: *Jam verò de ipso corpore tot existunt morborum mala, ut nec libris medicorum cuncta sint comprehensa, in quorum pluribus, ac penè omnibus etiam ipsa adjumenta, & medicamenta tormenta sunt, ut homines à pœnarum exitio pœnali eruantur auxilio*, &c. ergo in hac vita nulla felicitas, sed potius miseriarum cumulus.

Prob. 4. ratione. Nam beatitudo *est status omnium bonorum aggregatione perfectus*, ut diximus, & omnes conveniunt; sed talis status non datur in hac vita; ergo nec beatitudo. Prob. min. experientia ipsa, qua constat, statum hujus mortalis vitæ esse potius omnium malorum aggregatione infestatum. Id patet per omnes ætates, per ærumnas infantiæ, per infelicitates adolescentiæ, per agitationes, & curas virilitatis, & per labores, & dolores, & infirmitates senectutis, de quibus singulis legendus liber de consolatione, cujuscumque sit auctoris, qui communiter sub Tullii nomine circumfertur. Legendus Seneca: [1] *Omnes mortales circumspice, larga ubique flendi, & assidua materia. Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat; Alium ambitio nunquam quieta sollicitat: alius divitias, quas optaverat, metuit, & voto laborat sua: alium sollicitudo, alium labor torquet; alium semper vestibulum obsidens turba; hic habere se dolet liberos; hic perdidisse lacrymæ nobis deerunt antequam causæ dolendi*, &c. Et Greg. Mag. *Ipsa vicissitudo, & instabilitas bonorum vitæ, si quæ sunt, summa miseria est, & ad mortem tota vita properat, dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem; in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur, & inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit; fixum enim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus; atque hoc ipsum nostrum vivere quotidie à vita transire est. Præterea omnis nostra cognitio de* Deo

[1] *In consol. ad polyb. c. 23.*

Objic. 2. Beatitudo essentialiter est in operatione, quæ attingit immediatissimè objectum beatificum, sed illa non potest esse, nisi una; ergo non est duplex. Prob. min. si enim essent plures, una attingeret immediatiùs altera.

Resp. dist. min. Non potest esse nisi una saltem unitate ordinis, & aggregationis, in qua una sit principalior, conc. unitate simplicitatis, neg. min. Nam alia unitas, nec immediatior attingentia requiritur quàm quod objectum in se ipso immediatè immediatione rei attingatur, & id fit per utramque operationem in suo ordine. Deus prius natura videtur in se intuitivè per intellectum, deinde in se amatur, & possidetur per amorem voluntatis, quo ultimatè completur possessio, quia talis est ordo illarum facultatum animæ.

Inst. Est unus finis ultimus, una beatitudo objectiva; ergo & unica formalis.

Resp. dist. conseq. Una totalis, & adæquata, & unitate ordinis, & totalitatis, conc. unitate simplicitatis, neg. conseq. ob eandem rationem.

Objic. 3. Scotum dicentem positivè illam consistere in unica operatione, ut patet ex 1. textu allegato, & ex aliis, quibus eam ponit in fruitione.

Resp. 1. Scotum loqui de beatitudine hominis secundum naturam; sed de beatitudine potentiarum apertè dicit; eam consistere in actibus singularum, etiam si essent decem, aut plures. 2. id dicit etiam de natura probabiliter, nec negat pluralitatem operationum esse probabilem, ut patet ex ipso textu.

Inst. Licèt concurrat intellectus per visionem, hæc se habet tantùm, ut dispositio, seu conditio, sine qua non; nempe ut applicatio objecti ad potentiam, scilicet voluntatem; ergo Scotus non intendit, quòd visio sit pars beatitudinis formalis, sed sola fruitio saltem essentialiter.

Resp. dist. ant. est dispositio, seu conditio respectu operationis principalioris, conc. ant. respectu beatitudinis totalis, & completæ, neg. ant. Nam cùm, ex ipso Doctore, tam intellectus sit beatificabilis, quàm voluntas, tam visio est pars beatitudinis formalis pro intellectu, quàm fruitio ratione voluntatis, & sicut utraque facultas pertinet ad substantiam ani-

animæ, ita & utraque operatio ad ejus beatitudinem; sed sicut voluntas est principalior facultas, ita & fruitio est principalior actus, & ad istum visio se habet, ut conditio, & dispositio.

Objicies 1. contra 2. p. Scriptura non loquitur nisi de sola visione intellectiva; ergo in ea sola est beatitudo formalis. Prob. ant. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Angeli eorum vident faciem Patris. Videbimus eum sicuti est. Videbimus facie ad faciem*, &c. & confir. ex SS. Patribus, v. g. August. [1] dicit, quòd *visio est tota merces*, ergo in sola visione consistit.

Resp. dist. ant. de sola visione, velut prima objecti beatifici adeptione, & quidem primitate ordinis, & originis, conc. ant. velut de totali, aut principaliori, neg. ant. & conſ. Nam talis est sensus Scripturæ, quæ alibi facit mentionem de fruitione, ut probatum est. Idem dicendum ad auctoritates SS. Patrum. August. [2] loquitur ibi de tota mercede potentiæ intellectivæ, non de totalitate absoluta totius animæ. Nam alibi dicit, quòd *summa merces est, ut eo* (Deo) *perfruamur*.

Inst. Scriptura dicit sufficere visionem; [3] *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*; ergo in sola visione consistit.

Respondeo neg. ant. Ille locus non est ad propositum de beatitudine, sed de Mysterio Trinitatis, quia Apostoli cupiebant videre Patrem Christi cœlestem, quem illis sæpius prædicabat. Certè visio solius Patris non sufficeret præcisè ad beatitudinem, quæ principaliùs est in visione essentiæ, & Trinitatis personarum. Res, quibus fruendum est, sunt *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, inquit August. [4]

Objic. 3. Ille actus est finis ultimus *intra*, seu *formalis* beatitudo, per quam primò, & immediatè, & ultimate unimur Deo; sed talis est visio intellectiva; ergo &c. Prob. min. per visionem Deus fit realiter, & intimè præsens animæ, & immediatè, & per se: visio enim intuitiva est de re præsenti, ut præsenti & absque medio; fruitio verò supponit Deum jam præsentem, & possessium per intuitionem.

Resp.

[1] 1. *De Trin.* [2] 1. *De Doctr. Chr. c.* 32.
[3] *Joh.* 14. [4] *Ibid. c.* 1.

Resp. dist. min. immediatè quidem, & ultimatè, ac quietativè, & primitate ordinis quoad intellectum, conc. ant. quoad totam animam, primitate perfectionis, & simpliciter, neg. ant. Primò quidem primitate originis, & ultimatè quoad intellectum Deus attingitur, & possidetur per intuitionem, sed in ea non quietatur plenè anima, sed per fruitionem voluntatis, quæ est prima primitate, & immediatione perfectionis, ac consummationis, & in ea plenè quietatur anima, & ideò est finis ultimus *intra*.

Inst. Præsente objecto concupito natura delectatur, & quietatur; sed Deus fit præsens per visionem; ergo visio est quietativa. Ant. patet ex materialibus. Nam præsente pecunia quietatur appetitus avari; viso pulchro quietatur oculus, & appetitus ejus. Ita est de sono in auditu; de cibo in gustu; sensatio est finis *intra* in appetitu sensitivo; ergo ita est de præsentia, & intuitione Dei respectu appetitus beatitudinis.

Resp. neg. ant. de præsentia purè objectiva ad oculos, vel intellectum, & de satietate adæquata. Vel dist. ut priùs, præsente objecto quoad visionem quietatur oculus, & intellectus, conc. ant. quietatur totaliter anima, neg. ant. & ad probationem potiùs retorqueo argumentum; viso cibo, & sono, & pecunia, non quietatur appetitus sensitivus, aut naturalis; ergo nec quietatur appetitus supernaturalis animæ per visionem Dei, sed debet magis possideri per voluntatis fruitionem. In materialibus datur cognitio, & appetitio, & utrique debet uniri objectum, ut totaliter quiescat animal; ita in homine voluntas, quæ est facultas appetitiva, debet satiari, & non sufficit cognitio boni, sed principaliter requiritur fruitio.

Inst. Per visionem perfectè possidetur objectum; ergo illa sufficit.

Resp. dist. ant. Possidetur in ratione cognoscibilis, conc. in ratione boni fruibilis, seu amabilis, neg. ant. Utrumque habet Deus, & amabilitas est præcipua ratio, sub qua beatificat.

Objic. 4. Beatitudo formalis est vitalis, & recreativa consecutio, & possessio summi boni; sed id

fit

fit per solam visionem intellectivam, non per actum voluntatis; ergo in visione sola consistit, non in fruitione. Prob. min. amor fruitionis non attingit objectum assequendo, & possidendo ipsum; ergo actus voluntatis non est adeptio, nec possessio vitalis summi boni. Prob. ant. si attingeret assequendo, & possidendo, id faceret vel ex ratione generica, & modo agendi voluntatis, vel ex ratione specifica talis amoris; sed neutrum dici potest; ergo &c. prob. min.1. non ex ratione generica actuum voluntatis, & modo agendi ejus; nam voluntas est potentia appetitiva, quæ attingendo objectum producit in se impulsum, quo se in objectum movet, & non trahit ad se objectum, sed ab objecto quasi trahitur extra se, & sic possidetur ab objecto potiùs, quàm ipsum possideat: contra est de intellectu, qui objectum apprehendit, & ad se trahit, ideò attingentia ejus est acquisitiva, & possessiva; voluntas verò potiùs prodit, & tradit se objecto, quàm acquirat illud, 2. non ex ratione specifica talis actus, v. g. amoris amicitiæ, vel fruitionis, quia omnis amor præscindit à præsentia objecti, & tam est de absente, quàm præsente; ergo amor non est actus vitalis adeptionis, & possessionis. Hoc est præcipuum fundamentum Thomistarum, & per hoc dicunt Scotum urgeri ad docendum, amorem patriæ, & viæ differre specie.

Resp. neg. min. 1. argum. & ant. 2. & min. 3. Nam utroque modo acquiritur objectum beatificum per voluntatem, non quidem 1. quia jam supponitur acquisitum, & præsens intentionaliter per visionem intellectivam, sed affectivè, completè, & ultimatè. Nam *quidquid mente habetur, noscendo habetur*, inquit S. August. [1] *& velle Deum idem est, quod Deum habere*. Unde beatus non aliter Deum habet, quàm quia videt, & amat in se. Ad prob. 1. partis hujus 3. minoris nego, attingentiam voluntatis per affectum amoris non esse veram possessionem ejus æquè, ac per cognitionem. Utraque est acquisitio realis intentionalis, attractio intellectus, sicut exitus, seu latio voluntatis est pariter intentionalis, & metaphorica, cum ea differentia, quòd voluntas per suum impulsum, & affectum intimiùs, & nobiliori modo uni-

[1] *Madern. de beat.* q. 1. a. 5. n. 9 *de lib.* ar. 13.

unitur amato Deo, & fit quasi unum cum illo per divinam transformationem. Tam dilectus fit amantis, quàm amans dilecti, juxta illud, [1] *dilectus meus mihi, & ego illi*. Ad prob. 2. p. neg. ant. Nam amor patriæ est Dei, ut visi, & per consequens ut præsentis; & ideò illum distinguit Scotus ab amore viæ; quippè ad distinctionem specificam actuum sufficit differentia principiorum, mediorum, ac dispositionum, qualis est sine dubio in principiis, mediis, & dispositionibus istorum; Nam amor viæ est ex lumine, ac cognitione fidei; amor patriæ ex lumine gloriæ, & visione intuitiva, & aliis circumstantiis; nihil ergo rationabilius, quàm differentiam illorum agnoscere.

Quando ergo dicitur, quod intellectus attrahit ad se objecta, & illud apprehendit, tenet, & possidet, sicut corporalia tenemur manu, id dicitur metaphoricè, & intentionaliter, sicut & cùm dicitur, quòd *intelligendo fit omnia*; id enim falsum est in rigore physico, ac reali. Idem est de voluntate, cùm dicitur transire in amatum, quia respicit illud per modum inclinationis, & appetitus: & quidem physicè loquendo, falsius est, & magis metaphoricum, quàm attractio intellectus; nam cùm voluntas sæpè appetat, & amet res non existentes, sed futuras, aut possibiles, absurdum est dicere, quòd transeat in illas; imò dat illis aliquod esse in se ipsa, scilicet esse cupitum, esse amatum, & volitum, sicut intellectus dat esse cognitum. Potentia igitur utraque perficitur objecto beatifico, & illud possidet terminativè, & ab extrinseco. Nec *mirum* (inquit Doctor) [2] *quòd aliquid perficiatur in extrinseco, quia attingendo extrinsecum, & maximè si est perfectius se, habet ulteriorem perfectionem, quam posset habere in se, & ad se; isto enim modo ignobiliora perficiuntur in nobilioribus, non essendo illa realiter, nec habendo illa formaliter illa inhærentia*; intellectus enim, sicut nec voluntas beatorum non habet sibi Deum inhærentem formaliter, *sed attingendo illum, & sic habendo modo sibi possibili habere illum.* Id patet ex D. Thoma, [3] qui comprehensionem, prout spectat ad beatitudinem dicit, nihil esse aliud, *quàm tentionem alicujus rei, quæ*

jam

[1] *Cant.* [2] 4. *d.* 49. *q.* 1. *V. n.* 22.
[3] 1. 2. *q.* 4. *a.* 3. *ad.* 1. & 2.

jam præsentialiter habetur, sicut aliquis consequens aliquem dicitur etiam comprehendere, quando tenet eum, & hoc modo comprehensio requiritur ad beatitudinem, & ita etiam ad voluntatem pertinet comprehensio, & delectatio, quia ejusdem est habere aliquid, & quiescere in illo; ergo ex D. Thoma *tentio*, *comprehensio*, & *possessio* tam spectant ad voluntatem, quàm ad intellectum, & in utroque sunt res intentionales; *est enim visio*, non physica unio rei tenendæ, sed *velut unio rei tenendæ cum eo, quod tenebit*; ergo tam Deus tenetur, & possidetur per amorem, & fruitionem voluntatis, & quidem perfectiùs, & cumulatiùs, quàm per visionem intellectus.

Objic. denique. Beatitudo consistit in summa delectatione, seu operatione summè delectabili; sed hæc est in sola visione intellectiva Dei; ergo beatitudo est in sola visione intellectiva. Prob. min. Deus ut objectum pulcherrimum, suavissimum, & continens omnem bonitatem non causat homini voluptatem, nisi formaliter media visione ipsius, quatenus intellectus eminentiori modo percipit objecta delectabilia, quàm sensus corporei; sed hæc perceptio bonitatis, suavitatis, & pulchritudinis est in sola visione intellectiva; ergo, &c. Prob. min. Nam pulchrum non ideò delectat hominem, quia amatur, sed potiùs ideò amatur, quia delectat per visionem; sicut dulce delectat per gustum, & odor per odoratum; ergo delectatio ex objecto beatifico est in visione, & ex visione intellectiva sola.

Resp. 1. neg. maj. vel dist. in operatione summè delectabili totaliter, aut saltem principaliter, con. maj. partialiter, & inadæquatè, neg. maj. & min. Nam illa operatio principalis oblectabilissima, & virtuosissima, & nobilissima est charitas consummata, qua unimur Deo.

Resp. 2. neg. min. 1. & 2. argum. & dist. ant. 3. pulchrum delectat per visionem, & dulce per gustum, ita ut delectatio sit in sensu, ut est appetitivus, & ut pulchritudo, aut dulcedo convenit appetitui, conc. ant. ut est cognoscitivus præcisè, neg. ant. & id valdè notandum est ex dictis de anima. Nam delectatio, vel dolor, gaudium, vel tristitia in sensibus supponit quidem perceptionem convenientis, aut disconvenien-

nientis, sed non est formaliter in cognitione, nec in sensu ut cognoscitivo, sicut nec convenientia, vel disconvenientia, bonitas, vel malitia non respiciunt animam ut cognoscentem, sed ut appetitivam: sic gaudium ex delectatione beatifica est in anima beata per voluntatem, supposita quidem cognitione divinæ pulchritudinis, dulcedinis, & bonitatis infinitæ, sed non est formaliter in cognitione, quæ indifferens est ad repræsentandum malum, aut bonum, delectabile, aut dolorosum, gaudium, inquam, beatificum sequitur quidem ad visionem beatificam, sed est in voluntate per adhæsionem, & amorem, sine quo beatitudo cum sola visione esset imperfecta.

QUÆSTIO VI.

De beatitudine naturali hujus vitæ, an sit possibilis, & in quo consistat.

Beatitudo, quam huc usque descripsimus, & asseruimus, præscindit à statu, in quo habenda sit, & à naturalitate, & supernaturalitate, licèt satis supposuerimus, visionem, & fruitionem Dei in se non haberi naturaliter, neque in hac vita. Antiquiores Philosophi de altera vita nihil, aut pauca, aut multum confusè agnoverunt; non videntur aliam beatitudinem scivisse, quàm naturalem, & præsentis vitæ, ut Judæi plurimi ex ignorantia; in hoc errore dicuntur fuisse mater, & filii Zebedæi, cùm petebant à Christo, *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo*; sed atrocius errabant Epicurei dicentes, *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*, & à fortiori Athei, qui ut nullam divinitatem agnoscunt, sic nec animæ immortalitatem, nec aliam beatitudinem, quàm quæ haberi potest in hac vita, quamque sibi quisque acquirere potest. Imò plures Philosophi, & hæretici, qui nec Deum, nec immortalitatem animæ ignorarunt, nec benè de hac re senserunt. Sed his omissis, cum Christianis loquimur, & quærimus, an possibilis sit beatitudo naturalis, & in hac vita, & in quo illa consistat?

CON-

CONCLUSIO I.

Non datur vera beatitudo, nequidem naturalis in homine puro, & mortali; non repugnat tamen etiam supernaturalis, saltem de potentia Dei absoluta, inchoata verò, & imperfecta potest alicui contingere. Est communis quoad 1. p. & ferè quoad 2. Dico, *in homine puro*, propter Christum Deum, qui fuit beatus etiam in hac vita mortali.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui putat, quòd Philosophus tenuisset, hominem *in actibus, quos modò experimur in nobis, posse in vita ista beatificari, & dixisset, quòd alia notitia clara, & immediata non fuisset possibilis homini per rationem naturalem investigando, sed hoc fuit superius reprobatum*, ergo Scotus non putat possibilem beatitudinem pro homine in hac vita, nequidem naturalem, quia Arist. quem impugnat non noverat aliam, quàm naturalem.

Quoad 2. p. verò apertè illam aperit, & probat hoc modo: [2] *Impossibilitas aliquid recipiendi in subjecto præexistente potest esse ex duobus, vel ex parte agentis, vel ex parte passi*; sed neutro ex capite repugnat beatitudo in hac vita; ergo nequidem repugnat supernaturalis. Prob. min. 1. non ex parte agentis, quia si ad beatitudinem non requiritur prævia dispositio, ut lumen gloriæ, *tunc agenti, ut agens est, non repugnat plus modò dare beatitudinem; quàm in alia vita, si requiratur dispositio, potest illam dispositionem primò dare, et illa data beatitudinem conferre, sicut post mortem*, ergo non est impossibilitas ex parte agentis. 2. non ex parte passi, neque ex natura sua; *Tunc enim nunquam posset recipere beatitudinem*; neque ratione alicujus impedientis, quod sit in passo, v. g. propter mortalitatem. Nam *hæc repugnantia mortalitatis ad beatitudinem non est formalis*; tunc enim in Christo non potuissent esse simul, quod non est verum; ergo non repugnat ex parte passi.

Dices, eam repugnare repugnantia virtuali, quia effectus beatitudinis, nempe immortalitas repugnat statui hujus vitæ ob mortalitatem. Nam beatitudo est causa immortalitatis, quia removet omnem miseriam.

Con-

[1] 4. d. 49. q. 12. A. n. 3. [2] *Ibid.*

tetur genus humanum, quæ non ad malitiam, nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent, miseriamque communem. Quis ullo sermone digerit? Quis ulla cogitatione comprehendit? &c. Hæc fusè, ac eleganter expendit, tum ad corporalia transiens addit: *Jam verò de ipso corpore tot existunt morborum mala, ut nec libris medicorum cuncta sint comprehensa, in quorum pluribus, ac penè omnibus etiam ipsa adjumenta, & medicamenta tormenta sunt, ut homines à pœnarum exitio pœnali eruantur auxilio*, &c. ergo in hac vita nulla felicitas, sed potius miseriarum cumulus.

Prob.4. ratione. Nam beatitudo *est status omnium bonorum aggregatione perfectus*, ut diximus, & omnes conveniunt; sed talis status non datur in hac vita; ergo nec beatitudo. Prob. min. experientia ipsa, qua constat, statum hujus mortalis vitæ esse potius omnium malorum aggregatione infestatum. Id patet per omnes ætates, per ærumnas infantiæ, per infelicitates adolescentiæ, per agitationes, & curas virilitatis, & per labores, & dolores, & infirmitates senectutis, de quibus singulis legendus liber de consolatione, cujuscumque sit auctoris, qui communiter sub Tullii nomine circumfertur. Legendus Seneca: [1] *Omnes mortales circumspice, larga ubique flendi, & assidua materia. Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat; Alium ambitio nunquam quieta sollicitat: alius divitias, quas optaverat, metuit, & voto laborat suo: alium sollicitudo, alium labor torquet; alium semper vestibulum obsidens turba; hic habere se dolet liberos; hic perdidisse lacrymæ nobis deerunt antequam causæ dolendi*, &c. Et Greg. Mag. *Ipsa vicissitudo, & instabilitas bonorum vitæ, si quæ sunt, summa miseria est, & ad mortem tota vita properat, dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem; in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur, & inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit; fixum enim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus; atque hoc ipsum nostrum vivere quotidie à vita transire est. Præterea omnis nostra cognitio de*

[1] *In consol. ad polyb. c.23.*

Deo obscura, & imperfecta, videmus per speculum; & in Ænigmate, *nunc cognosco, ex parte nostra charitas frigida, & titubans: qui enim stat, videat, ne cadat*, & in ipsa gratia timendum; *cum timore, & tremore salutem vestram operamini, Deus enim est, qui operatur in vobis velle, & perficere*.

Hæc igitur probant, quòd ab hac vita non solum supernaturalis beatitudo, sed etiam naturalis longè abest, nec naturaliter possibilis est, quia naturaliter non potest tolli à nobis mortalitas, quæ cum felicitate vera, etiam naturali; est incompatibilis; nec enim solùm bona omnia cum vita perimit; sed bona omnia vitæ inficit, tollens ab eis securitatem, ac perpetuitatem, quæ sunt appendices, & conditiones, ac proprietates veræ felicitatis.

Prob. 2. p. de possibilitate; quia, ut dicebamus ex Scoto, non potest afferri ulla repugnantia, cur Deus non possit in hac vita homini conferre non solum naturalem, in quocumque bono posita sit, sed etiam supernaturalem; & de facto Christus ab instanti conceptionis supremam felicitatem cum exquisitissima passibilitate, laboribus, & morte ipsa conjunxit, etiam secundum humanitatem.

Prob. denique 3. p. quia beatitudo imperfecta in iis bonis consistit, in quorum possessione rationabiliter homo potest pro hoc statu quiescere, seu contentus esse, & maximè concurrentibus habitibus virtutum, & auxiliis gratiæ divinæ. Hoc sensu [1] *beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis*. Hoc enim dicitur de homine mortali per conformitatem ad voluntatem divinam. Summa pace gaudent Sancti, etiam in extremis miseriis; *gloriamur in tribulationibus*, aiebat Apostolus.

Prob. 2. ex Patribus, qui plures sic de facto, & maximè justos vocant. *Quis enim primos illos homines in paradiso (*terrestri*) negaré audeat beatos fuisse ante peccatum, quamvis de sua beatitudine, quàm diuturna, vel utrum æterna esset, incertos? esset autem æterna, nisi peccassent, cùm hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus justè, ac pie cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine vastante conscientiam*.

Objic.

[1] *Ps*. 111.

Objic. 1. Habetur hic vera, & certa Dei cognitio per fidem, & amor charitatis, qui est amicitiæ, ac fruitionis; sed beatitudo vera in his consistit; ergo in hac vita habetur, aut saltem haberi potest beatitudo vera. Maj. non potest negari, prob. min. Nam *beatus est, qui Deum habet* inquit August. [1] *beatus est, qui Deum scit, etiam si alia nesciat, & beatus est, qui eo fruitur, quod amat*; & id patet ex quæst. præcedenti; [2] *Deus enim possidetur per cognitionem, & amorem*, ergo, &c.

Resp. dist. maj. Habetur vera Dei cognitio, sed imperfecta, & abstracta, & obscura, conc. maj. & min. perfecta, intuitiva, & clara, neg. maj. & min. Nam vera, & perfecta beatitudo consistit in cognitione clara, & intuitiva Dei, & in amore constanti, perpetuo, & fruitione secura Dei cum exclusione omnis defectus. Ideò per fidem, & charitatem viæ homo fit beatus in spe, non de præsenti.

Objic. 2. Si quid impediret beatitudinem in hac vita, maximè corpus, quod non est beatificabile, & mortalitas, quæ est incompatibilis; sed neutra ratio valet; ergo potest dari beatitudo in hac vita etiam naturaliter. prob. min. 1. quia Christus D. fuit beatus in corpore, & mortalitate, ita & D. Paulus, & quidam alii, &c.

Resp. neg. min. & conseq. prob. nam quòd Christus fuerit beatus in corpore mortali, id fuit per miraculum, & quidem extraordinarium. Idem est de aliis, v. g. de S. Paulo in raptu, de B. Virgine, &c.

Inst. Si corpus, & mortalitas hoc impedirent, homo posset naturaliter appetere mortem, & odisse hanc vitam; sed hoc est falsum; ergo non impediunt. Prob. maj. eodem appetitu, quo volumus finem, debemus velle media, & per consequens remotionem impedimentorum; sed talis esset vita præsens in hypothesi, ergo sicut naturaliter appetimus beatitudinem, ita & mortem appetere deberemus.

Resp. ex Scoto neg. maj. & min. prob. Nam vita præsens, ut vita, non est impedimentum, sed ut mortalis; unde potest appeti remotio mortalitatis, sed non vitæ; nullus appetit dissolvi, *sed supervestiri*, ut scilicet *mortale hoc induat immortalitatem*.

[1] 5. *confess.* 4. [2] 8. *civit.* 7.

CONCLUSIO II.

Beatitudo naturalis hujus vitæ, si qua est, consistit positivè, & adæquatè in perfectissima cognitione, et fruitione Dei, quæ haberi possit cum affluentia bonorum animæ, et corporis, quæ vitam hanc honestam, et jucundam reddere possunt, ac in carentia gravium malorum omnium tam pœnæ, quàm culpæ, quæ illam infestare possunt, principaliùs verò in Dei fruitione.

Prob.1. ex Scoto, qui refert, & non improbat descriptiones beatitudinis ex Philosopho, & Boetio, à quibus dicitur consistere in aggregatione bonorum omnium, & exclusione malorum: Apud Philosophos [1] *est bonum sufficiens excludens defectum, et indigentiam*; est *bonum completum, vel perfectum excludens imperfectionem*, seu *diminutionem*; est *bonum, quo habito bené est agenti*; & ipse eam describit, quòd ea sit simpliciter beatitudo, quæ est *perfectio secunda immediatè conjungens objecto, sive perfectivo nobilissimo*, scilicet Deo; sed cognitio, & amor Dei conjungunt hominem quoad animam objecto nobilissimo, scilicet Deo per virtutes, & excludunt mala culpæ, & per alia illa bona excluduntur mala pœnæ; ergo in his omnibus adæquatè consistit naturalis beatitudo hujus vitæ.

Prob.2. per partes, & 1. de cognitione, & amore patet ex quæstione præcedenti. Nam de beatitudine inchoata, & viæ philosophandum est cum proportione ad perfectam, & patriæ; ergo sicut ista consistit in consecutione perfecta, & ultimata per visionem intuitivam, & fruitionem consummatam; ita & beatitudo viæ suo modo consistit in attingentia ejusdem finis per cognitionem abstractivam, & fruitionem tam perfectam, quàm potest haberi. Et sicut perfecta est principalior operatio, per quam possidetur Deus in patria; ita & imperfecta, seu charitas viæ est principalior operatio, per quam homo fit beatus in hac vita.

Prob.2. p. de inclusione bonorum omnium animi, & corporis, & exclusione malorum tam culpæ, quàm pœnæ, 1. ex allatis definitionibus, quibus patet, beati-

[1] 4. *de* 49. *q.*2.*Y.n.*24.*Ibid.A.A.n.*26.

raculum non contingit in cognitione, & charitate naturali.

Objic.2. Bona alia temporalia, v. g. divitiæ, honores, sanitas, & voluptates potius officiunt contemplationi, & charitati, quàm juvent; ideò Sancti omnes castigant *corpus suum, et in servitutem redigunt*, & *gloriantur in infirmitatibus*; ergo Beatitudo naturalis hujus vitæ non exigit illa bona, nec excludit mala opposita.

Resp. neg. conf. Nam hæc sunt per accidens impedimenta, quæ tolluntur per charitatem, & alias virtutes, & animi bona.

Dixi in conclusione, *si detur talis beatitudo*, nec enim puto, hominem in hac vita posse consequi aliquem statum adeò felicem, & quietum, ut mereatur nomen beatitudinis, & maximè ob peccata, in quæ *septies in die cadit justus*. Levissimum enim peccatum majus malum est, quàm temporalia omnia.

Dixi 2. *quod excludit mala*, *saltem graviora*; neque enim leviores aliqui dolores videntur attendi, ut turbent hominis probi quietem, ac felicitatem aliundè tot bonis abundantem.

Tota igitur *beatitudo naturalis*, quam homo possit appetere in hac vita, aut sperare, & acquirere, consistit in ea bonorum possessione tam spiritualium, quàm temporalium, qua fiat, ut secundum rectam rationem sit contentus statu suo, nec turbetur malis occurrentibus, sed ea vel placidè, & per media virtutis repellat, aut patientem sustineat, juxta illud Poetæ, *non conturbabit justum quidquid acciderit ei*. Supernaturalis verò, & Christiana beatitudo ejusdem vitæ mortalis consistit in assistentia gratiæ divinæ, in fidei, spei, & charitatis, aliarumque virtutum exercitatione, per quas mereamur æternam.

QUÆSTIO VII.

De aliis, quæ beatitudinem integrant, aut sequuntur, et 1. de perpetuitate, et securitate.

AGimus de beatitudine, ut est finis ultimus, ad quem respiciens homo recipit regulas, quibus ad eam dirigatur, & eligit media, quibus ad eam per-

veniat. Ideò remittimus aliò plures quæstiones circa statum illum felicem, sicut etiam circa statum oppositum damnationis, contenti explicuisse, quantum sufficiat, quæ spectant ad essentiam ejus. Nunc addimus aliquot ejus effectus, proprietates, & appendices, ut sunt, *perpetuitas*, *securitas*, *gaudium*, *delectatio*, *rectitudo*, seu *impeccabilitas*.

CONCLUSIO I.

B*Eatitudo est cum perpetuitate, et securitate illi annexa; neutra tamen est illi essentialis.* Est communis quoad 1. & 2. p. quoad 3. verò videtur contra Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, *securitatem opponi timori de malo infligendo, vel de inflicto continuando, qui timor est in appetitu, et ideò securitas ponitur in voluntate, et eam præcedit certitudo intellectus de bono conferendo, aut continuando; et talem certitudinem habent beati .... ex revelatione sibi facta à Deo.*

Prob. 2. ex Script. *Ibunt in vitam æternam*. Et, *Beati in sæcula sæculorum laudabunt te*. Et, *justi in perpetuum vivent*, & in Symbolo, *credimus vitam æternam*. Et, *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam*; ergo beatitudo est perpetua.

Prob. 3. ex SS. Patribus cum Scoto, [2] & ratione. *Beata vita* (inquit August.) *esse non potest, nisi sit immortalis, quia si amitti potest, aut beatus eam amittit nolens, et tunc non est beatus, quia non habet quidquid vult, aut volens, aut neque volens, neque nolens, et ad utrumque illorum membrorum sequitur, quòd non est beatus, quia non amat beatitudinem; imò si volens amittit eam; ergo non amat beatitudinem, sed odit eam.* Et in Concilio Lateran. sub Innocentio III. *omnes mortales resurgent, ut recipiant secundum merita sua vel cum diabolo pœnam perpetuam, vel cum Christo gloriam sempiternam*, &c.

Prob. 4. quia si esset aliquid temporaneum, & transiens, non esset perfecta beatitudo, sed immixta timori, & ansietatibus animi de fine illius aliquando venturo. Unde concludit August. [3] *Non enim erit beata*

[1] 4. *d*.49.*q*.6.*P*.*n*.22. [2] *Ibid*.*n*.2.
[3] 10. *civit*.7.

beata anima, nisi sit secura; et non est secura, nisi cognoscatur æterna.

Confir. ex eodem. Nam si beatitudo non esset perpetua, anima esset ibi miserior, quàm hìc; hìc enim beatitudinem sperat, & pro ea laborat; ibi autem expectaret amissionem beatitudinis, & successuras illi miserias; ergo inquieta, & anxia foret; sicque in præsenti miseria essemus felices per spem, & in illa felicitate miseri per timorem miseriæ imminentis.

Prob.2. p. Nam securitas venit ex cognitione certa perpetuitatis; sed de ista beati erunt certi, quia id nobis, & illis revelatum est à Deo; ergo beatitudo est cum securitate. Prob. min. 1. ex Script. jam cit. de æternitate ejus. Item quia dicitur de illa, quòd [1] *anathema non erit amplius, sed sedebit Jerusalem secura, in qua non erit maledictio, nec separatio*, ut dicit Glossa ex Hieron. Item, [2] *erit opus justitiæ, pax, et cultus silentium, et securitas usque in sempiternum*, Et Apostolus, [3] *ex Deo habemus habitationem non manufactam, æternam in Cælis.*

Prob.2. ex Patribus. Nam, inquit August. [4] *meritò in sedibus cælestibus constituti immortales, et beati, æternitate firmi, et veritate certi sunt.* Nam *vita illa beatissima esse non potest, nisi fuerit de sua æternitate certissima.* Et S. Prosper: [5] *Vita illa creditur beatè sempiterna, et sempiternè beata, ubi est certa securitas, et secura tranquillitas; ubi nullus timor, dies æternus*, &c. ergo Beatitudo est cum cognitione certa de suâ æternitate, seu *de bono non amittendo, et de malo non incurrendo*; & illa cognitio est ex Dei revelatione, quæ superat omnem certitudinem.

Prob.3. p.1. ex Scoto. [6] *Nihil enim præter Deum habet esse formaliter necessarium... Tamen aliquod creatum potest esse incorruptibile, pro quanto non habet contrarium; vel non potest corrumpi ab aliquo creato, sed tantum potest annihilari à Deo creante, et conservante, et sic habet perpetuitatem. Dico ergo, quòd causa hujus perpetuitatis non est forma* (seu pars essentialis) *beatitudinis.... sed ex voluntate Dei, quæ sicut perficit naturam intensivè, ita conservat eam perpetuò in sua perfectione.* Posset tamen dici, necessariam esse illam per-

[1] *Zach.*14. [2] *Isa.*32. [3] 2. *cor.*3. [4] 19.*civ.*7.*et* 30. [5] 1. *vit. contempl.* [6] *ibid.*

perpetuitatem ex suppositione decreti divini de illa perpetuo conservanda, quæ est necessitas secundum quid, non autem simpliciter, & absoluta.

Prob. 2. Duratio cujuslibet entis tam pendet à Dei voluntate, quàm ejus prima existentia; sed existentia omnis entis creati, qualis est beatitudo, & omne ens præter Deum, est absolutè contingens, & pendet à Dei voluntate; ergo & duratio beatitudinis; ergo perpetuitas, & securitas non possunt esse illi essentiales.

Prob. specialiter de securitate, ex Scoto, [1] *Patet, quòd securitas non est de essentia beatitudinis, tum quia securitas præsupponit certitudinem de continuitate beatitudinis, illa autem apprehensio certa sequitur ordine naturæ totam beatitudinem, cùm sit actus non tendens in objectum beatificum, sed reflexus super actum;* (beatificum) *ergo beatitudo poterit esse tota quoad essentiam posita sine certitudine; ergo à fortiori sine securitate.*

Fatetur tamen Doctor, quòd utraque potest dici de ratione intrinseca beatitudinis extensivè spectatæ, sc. pro aggregatione bonorum omnium expetibilium. Illa tamen ratio non concludit accipiendo beatitudinem 2. modo, (sc. extensivè) *quia sic includit perfectionem non tantùm intensivam* (seu essentialem) *sed etiam extensivam, sive indeficientiam.*

Objic. 1. contra hanc 3. p. Beatitudo essentialiter, seu ex conceptu suo formali, & intrinseco est perfecta Dei possessio, sed non esset sic perfecta, nisi esset perpetua cum securitate; ergo includit utramque essentialiter. Maj. patet ex definitione beatitudinis: quod enim est definitio, vel pars ejus est essentiale definito, & de conceptu ejus formali. Prob. min. perfecta Dei possessio excludit omnem defectum, & importat omnem perfectionem; sed corruptibilitas est defectus, & indefectibilitas est perfectio; ergo nisi beatitudo excludat essentialiter corruptibilitatem, & dicat perpetuitatem, & securitatem, non est perfecta Dei possessio.

Resp. dist. maj. est perfecta intensivè, & essentialiter, con. maj. & neg. min. extensivè, & quoad extrinseca, & accidentalia, neg. maj. & conf. duratio siquidem est de perfectione extensiva, & extrinseca, seu con-

[1] *Ibid. Q. n. 25.*

contingenti beatitudinis, non verò de intensiva, & intrinseca. Certè si perfectio extensiva esset essentialis beatitudini, omnes animæ, & Angeli essent perfectè æquales in illa, quod est falsum, & contrarium fidei.

Inst. Beatitudo dicit essentialiter aggregationem omnium bonorum possibilium, & exclusionem omnis mali, & imperfectionis; sed defectibilitas est magna imperfectio; ergo beatitudo hanc excludit essentialiter.

Resp. Eodem modo dist. maj. beatitudo extensiva, con. intensiva, neg. maj. & cons. ob eandem rationem.

Objic. 2. Concursus Dei perpetuò conservativus est naturalis beatitudini, ac visioni, & fruitioni beatæ; ergo perpetuitas est illi intrinseca. Nam convenit illi ex principiis suis intrinsecis, & naturalibus.

Resp. neg. ant. Nulla enim creatura de se potest positivè exigere conservationem infinitam, alioqui esset infinita. Non exigit quidem positivè sui destructionem, nec cessationem conservationis, sed est in pura, ac simplici obedientia, cùm hoc sit de ratione entis creati.

Inst. Si hoc esset, beatus fieri posset miser, & sic esset, & non esset miser; sed hoc implicat; ergo, &c. Prob. maj. 1. non esset miser, quia esset beatus, ut supponitur 2. esset autem: quia posset desinere esse beatus, & subjaceret miseriæ, nec haberet, quod vult.

Resp. neg. maj. & prob. ejus quoad 2. p. Beati enim cupiunt perpetuitatem rationabiliter, & prout exigit natura beatitudinis, quam non possunt habere, nisi ex libera voluntate Dei, & de lege posita, qua decrevit hanc illis conservare in perpetuum; & hoc sciunt, indeque securi sunt, & contenti.

Objic. 3. Res non dicitur ex se defectibilis, quia Deus potest cessare ab ejus conservatione, nisi in se habeat principium aliquod corruptionis; sed beatitudo nullum tale principium corruptionis habet in se; ergo ex se, & ab intrinseco non est defectibilis. Maj. patet: nam ideo cœlum, anima rationalis, & Angelus dicuntur immortales, licèt Deus possit eos annihilare desinendo conservare. Prob. min. principia beatitudinis sunt principia visionis, & fruitionis Dei, sc. intellectus, & voluntas, concursus Dei, & lumen gloriæ; sed ex nullo horum venire potest corru-

ptibilitas; ergo, &c. Prob. min. non enim ex concursu Dei, neque ex lumine, neque ex intellectu, aut voluntate, quæ sunt incorruptibilia, & necessariò agunt supposita præsentia Dei; ergo ex nullo horum venit defectibilitas visionis, seu beatitudinis.

Resp. neg. min. 1. & 2. argum. & ant. 3. Nam quia intellectus applicatur objecto beatifico per voluntatem, quæ libera est essentialiter, & ab extrinseco, ita & ab intrinseco, & quantum est de se, posset non applicare intellectum ad intentionem objecti beatifici, aut etiam illum ab eo distrahere. Item posset etiam peccare, physicè loquendo, & ex innata libertate, & peccando amittere beatitudinem, ut patet ex dictis.

Posset etiam dici, eam esse defectibilem ex parte divinæ libertatis, quæ in sensu diviso, & secluso decreto conservandi felicitatem in æternum, liberè eam conservat, ita ut possit eam non conservare, & non conservaret, si ita decrevisset, ut poterat decernere.

QUÆSTIO VIII.

De gaudio beatitudinis, & impeccabilitate Beatorum.

GAudium, & delectatio in agente intellectuali idem sunt, & describi solet, affectio animi in appetitu concupiscibili causata ex unione voluntatis cum objecto amato. Impeccabilitas alia *proxima*, quæ excludit potentiam peccandi, positis aliquot circumstantiis, cum quibus peccatum non est compatibile; alia *remota*, quæ attenditur ex parte principii, seu voluntatis secundum se consideratæ, præcisis circumstantiis, cum quibus peccatum est incompatibile. Quærimus ergo hìc, an gaudium, seu delectatio sit annexa beatitudini, velut quid illi essentiale, vel in ratione proprietatis ejus. Et idem quæritur de impeccabilitate. Ideo sit

CONCLUSIO I.

BEatitudo habet necessariò annexam delectationem, gaudium, seu lætitiam, non ut partem essentialem, sed ut proprietatem consequentem. Est de fide quoad 1. p.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto, [1] maximè quoad 1. p. Nam supponit 1. ut certum de fide. *Dico, quòd strictè accipiendo beatitudinem, delectatio non est de essentia ejus, quia est passio; beatitudo autem consistit in operatione: voluntas autem potest dupliciter considerari. 1. ut potentia operativa, 2. ut receptiva. 1. modo perficitur simpliciter operatione conjungente simpliciter ultimatè optimo,* (seu summo bono simpliciter) *& in hoc consistit essentialiter beatitudo. 2. modo est perfectibilis non operatione, sed passionibus supernaturalibus, quia talium est ultimatè receptiva; & sic perficitur delectatione, & gaudio, &c.*

Prob. 1. p. ex Script. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* [2] Et, *justi epulentur, & exultent, & delectentur in lætitia.* Et, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo;* ut sc. *nihil desiderent, cùm facie ad faciem te viderint*, inquit interlinearis Glossa. Et, *lætitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt*, &c. Et Christus dicit servo fideli, [3] *intra in gaudium Domini tui.* Et, [4] *gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et idem docent consequenter PP. & DD. omnes.

Prob. 2. p. rationibus Scoti. 1. quia, ut diximus, formalis beatitudo consistit essentialiter in operatione, per quam anima unitur, & possidet objectum beatificum, seu summum bonum; sed anima non unitur, nec possidet Deum summum bonum per gaudium, quia illud non est operatio, sed passio sequens ad operationem, seu possessionem Dei; ergo formalis beatitudo non est in gaudio. 2. quia voluntas ad gaudium passivè se habet, & per modum receptivi, non autem activè; ergo per illud non fit primò, & essentialiter beata .... 3. quia gaudium strictè, & propriè non respicit objectum beatificum in ratione objecti; ergo non unit immediatè, & per se animam Deo ut beatificanti; ergo nec formaliter, & primò beatificat. Prob. ant. quia gaudium respicit bonum, ut principium effectivum, non verò ut objectivum; ergo, &c. Prob. ant. quia omnia opera nostra ordinantur ad essentialem beatitudinem, seu ad finem ultimum; sed omnia opera nostra non ordinantur ad gau-

[1] *Ibid. q.7. A. & E. n.2. &* 4. [2] *Ps.*15.
[3] *Matth.*25. [4] *Jo.*16.

gaudium, ut ad finem ultimum; ergo, &c. Probat. min. Nam licèt non cogitaremus de gaudio veniente ex visione, & fruitione Dei, adhuc operaremur ad illas obtinendas; certè enim, si quis ita esset dispositus, ut non optaret videre, & frui Deo; nisi propter delectationem, non videretur multum laudabilis; ergo, &c.

Dicendum ergo, quòd gaudium est quid necessariò consequens ad visionem, & fruitionem, sive intimam possessionem Dei, in quibus sita est formalis beatitudo.

Objic. 1. con. 2. p. ex Augustino, beatitudo est gaudium de veritate; ergo gaudium est de essentia beatitudinis, est enim pars definitionis.

Resp. dist. ant. est gaudium efficienter, seu causaliter, con. formaliter, neg. ant. & conf. beatitudo causat gaudium, sed priùs est rem esse, quàm agere, & causare.

Inst. 1. Beatitudo est perfecta quies; ergo & gaudium. Nam in illo anima perfectè, & ultimatè quiescit.

Resp. similiter dist. ant. Est quies causaliter, conc. formaliter, neg. ant. Nam potentia, prout est operativa, quiescit formaliter in sua operatione.

Inst. 2. Beatitudo formalis est ultimum bonum; sed quies, & gaudium est ultimum bonum animæ; ergo & formalis ejus beatitudo.

Resp. dist. maj. Est ultimum bonum dignitate, id. optimum, conc. maj. & neg. min. ultimum in ordine, & purè, neg. maj. & conf. gaudium est ultimum complementum, fructus, & sequela beatitudinis, & ita ultimum in ordine, non dignitate.

Inst. 3. Quod est ultimum in executione, habet rationem optimi, & est primum in intentione, juxta illud, *quæ sunt ultima generatione, sunt prima in perfectione*, sed gaudium per nos est ultimum in executione, seu generatione; ergo & optimum, seu primum dignitate.

Resp. ex Scoto dist. maj. Si sint in eodem genere, conc. si sint in diverso genere, neg. maj. & ita dist. min. gaudium est ultimum in ordine, & in diverso genere, con. in eodem ordine, neg. min. & conf. Nam si plures formæ substantiales producerentur successivè, ultima quidem generatione, & in executione diceretur

per-

perfectior, & prima intentione, quia omnes sunt in eodem genere; sed si priores productæ sunt in genere substantiæ, & posteriores in genere accidentium, istæ non dicentur primæ, nec præcipuæ in intentione. Ita est de visione, & fruitione, quæ sunt de genere operationum; gaudium verò est de genere passionum; ideò illæ sunt potiores, & priores in intentione, & dignitate.

Objic.2. Gaudium est inseparabile à beatitudine; ergo est illi essentiale.

Resp. dist. ant. inseparabile de facto, con. de possibili, neg. ant. Deus de facto voluit, quòd summa delectatio sequatur fruitionem, sed potuisset aliter velle; nec enim gaudium est de essentia visionis, aut amoris. Ideò Sanctus Thomas docet, illud posse separari à visione Dei; ergo & à beatitudine, in qua ponit beatitudinis essentiam.

Objic.3. Ut se habet tristitia ad pœnam, ita gaudium ad præmium; sed illa est de essentia pœnæ; ergo & istud meriti, seu beatitudinis. Prob. min. Nam si pœna placeret, non esset pœna; quia tristitia est passio veniens ex iis, quæ nobis nolentibus accidunt.

Resp. neg. maj. Nam ad pœnam voluntas se habet merè passivè, ad præmium autem se habet etiam activè appetens, & quærens illud; visio autem beata est merces. Præterea præmium, & pœna in aliquibus conveniunt quidem, sed in multis differunt.

Porrò notanda est significatio præcisa, & differentia vocum *fruitionis*, *gaudii*, *delectationis*, *& lætitiæ*. Nam, ex Scoto, [1] *fruitio* significat quandoque actum voluntatis, quo amat rem propter se, aliquandò delectationem, quæ ex illo amore sequitur, aliquandò verò utrumque; sed propriè significat amorem rei propter se. *Gaudium* propriè non est operatio formaliter, sed accidens, & passio sequens operationem illam, in qua consistit beatitudo, & sic non est de ejus essentia, sed proprietas. *Delectatio*, & *gaudium* idem sunt, sc. passio quædam, seu affectio animi in appetitu concupiscibili sequens ex conjunctione voluntatis cum re amata, seu ex præsentis boni apprehensione concepta. Dico, *animi*, quia loquor de gaudio animæ separatæ, seu Angeli, qui nihil participat de sensibili.

CON-

[1] *ibid.*

CONCLUSIO II.

Beatitudo habet annexam impeccabilitatem proximam, & in sensu composito, non verò remotam, nec intrinsecam, & in sensu diviso. Patet ex dictis suprà.

Prob. 1. ex Scoto [1] tota conclusio. *Patet, quòd beatus est impeccabilis in sensu compositionis, hoc est, non potest esse simul beatus, & peccator, sed in sensu divisionis, quòd autem manens beatus habeat possibilitatem ad peccandum, potest intelligi dupliciter, vel primò per aliquid intrinsecum, quod excludat talem potentiam, vel secundò per causam extrinsecam, quæ excludit potentiam proximam;* v. g. si esset paries perpetuus inter meum oculum, & Cœlum, oculus non haberet potentiam proximam ad videndum Cœlum, & hoc ab extrinseco, seu ob causam extrinsecam, & quoad actum 2. licèt haberet potentiam intrinsecam remotam, sc. visivam, & in actu 1. *Sic dico, quòd nulla est causa intrinseca in voluntate Michaelis nunc beati, per quam excludatur potentia ad peccandum pro aliàs, & in sensu divisionis,* sc. cessante impedimento visionis, & fruitionis beatæ, quæ est causa extrinseca voluntati prohibens, ne peccet; nam voluntas semper retinet suam libertatem sibi essentialem.

Prob. 1. p. ex Scriptura citata pro perpetuitate beatitudinis; nulla enim miseria est magis incompatibilis cum beatitudine, quàm peccatum; ergo quæ probant perpetuitatem illam, inferunt rectitudinem indefectibilem voluntatis, & impeccabilitatem ejus.

Confir. quia ex eadem Script. *nihil coinquinatum intrabit in regnum Cœlorum;* sed nulla inquinatio est fœdior peccato; ergo, &c.

Prob. 3. quia beatitudo formalis essentialiter consistit in fruitione, seu amore Dei propter se; sed peccatum repugnat cum illo amore; ergo & beatitudo; ergo quandiu anima est beata, est impeccabilis proximè. Prob. min. Nam peccatum includit essentialiter aversionem à Deo; ergo, &c.

Prob. 2. p. 1. Nam in sensu diviso, & præscindendo à bea-

[1] *ibid. q. 6. C. n. 11.*

à beatitudine, voluntas Petri est tam libera in Cœlo, quàm in hac vita; sed illa libertas est principium intrinsecum peccabilitatis, & in hac vita potest peccare, ergo etiam in Cęlo præcisa fruitione habet principium intrinsecum peccabilitatis.

Prob.2. ex dictis de libertate voluntatis. Nam ipsemet actus fruitionis circa Deum est liber in beatis, nec potest voluntas necessitari ad actus elicitos. *Nulla re fruitur anima cum libertate, nisi quando fruitur cum securitate*, inquit August. cit.

Impeccabilitas ergo *est proxima*, *& ab extrinseco, sc. à voluntate Dei conservante fruitionem in voluntate*, ad quod concurrit etiam claritas visionis, & lumen gloriæ in intellectu, & habitus charitatis consummatæ in eadem voluntate.

Objic.1. Nisi voluntas beati esset peccabilis proximè, & in sensu composito beatitudinis, fruitio non esset libera; sed conf. est contra Scotum; ergo & ant. Prob. maj. non posset cessare à fruitione; ergo non esset libera, nequidem libertate exercitii.

Resp.dist. maj. Non esset libera libertate ab extrinseco, con. ab intrinseco, neg. maj. & min.

Inst. Non sufficit libertas ab intrinseco; ergo nulla solutio. Prob. ant. nisi sit libera etiam ab extrinseco, illa fruitio erit violenta, & coacta; sed hoc est absurdum; ergo & illud. Prob. maj. determinaretur enim ab extrinseco ad illum amorem, sc. à Deo præveniente voluntatem, & conservante amorem in illa, quæ de se esset indifferens ad illum actum; ergo esset coacta.

Resp. neg. ant. & maj. prob. & conf. Nam determinaretur juxta propriam inclinationem, & ipsa spontè cooperante illi divinæ præventioni, non autem contra ejus inclinationem; nam voluntas ex se inclinatur ad illum amorem, & ad illum libentissimè cooperatur.

Objic. con.2. p. Si beatus non esset impeccabilis ab intrinseco, esset absolutè peccabilis, & posset cessare à fruitione, & amittere beatitudinem; & sic beatitudo non esset perpetua, nec secura; sed utrumque est falsum, & contra nos; ergo beatus est etiam impeccabilis ab intrinseco. Prob. maj. Nam voluntas, cùm esset libera intrinsecè, tam posset peccare, quàm frui; ergo, &c.

Resp.

Resp. dist. maj. Esset peccabilis remotè, & ab intrinseco, con. proximè, & ab extrinseco, neg. maj. haberet quidem principium radicale peccabilitatis, sc. libertatem ex se defectibilem, sed proximè, & cum fruitione non posset peccare, quia fruitio formaliter opponitur peccato, & Deus conservat voluntatem cum illo actu fruitionis.

Præter has dotes beatitudinis supernaturalis, solent aliæ plures assignari tam ex parte animæ, quàm corporis, & disputari plura de visione, & fruitione, quæ vidimus in tr. 1. item de *dotibus*, & *aureolis*, & *fructibus*, quæ spectant ad animam; item de *claritate*, *subtilitate*, *agilitate*, *impassibilitate*, *immortalitate* corporum post resurrectionem, & similibus, & per oppositionem. Posset hìc tractari de inferno, & pœnis damnationis, sed hæc remittimus ad tractatum vitæ futuræ.

Nobis sufficiat hæc prælibasse de *fine ultimo*, seu *summo bono*, seu *beatitudine* alterius vitæ, ut videant Tyrones scopum, in quem debeant omnes actus vitæ hujus mortalis suæ, & appetitus eorum tendere, nec pigeat eos illuc omnia dirigere, & totis viribus currere, attenta boni illius summa excellentia, & necessitate. Deinceps de mediis differemus. Hæc igitur dicta de beatitudine sufficiant pro nunc.

SUM-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS VI.

De Peccatis.

IN præcedentibus sæpè occurrit sermo de peccatis, v. g. de peccatis Angelorum, & hominum, & de peccato originali, item de malitia actuum humanorum, quam ex regulis eorum internis, & externis descernendam proposuimus. Nunc propiùs ad peccati essentiam, & species investigandas progredimur. Certè non tam actus humani peccata dicenda sunt, quàm actus bestiales, quippè qui à recta hominis ratione aberrant, & in irrationalitatem, quæ bestias ab hominibus discernit, turpiter degenerant. Ideo de homine peccatore scriptum est, quòd [1] *cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Utinam monstrum illud sic describamus, ut ejus odium, & horrorem auditoribus, ac lectoribus inspiremus salutarem.

DIS-

[1] Psl. 48.

DISPUTATIO I.

De peccatis in genere.

PEccati nomen generatim sumptum significat quemcumque defectum sive in physicis, sive in moralibus, ea sc. omnia, quæ deviant à recto fine, aut à natura, ut monstra; vel à regulis artium, ut opera imperfecta; vel à legibus morum, ut vitia; sed de peccatis in ea generalitate non agimus, imò neque hìc comprehendimus peccatum *originale*, quod à parentibus sine propria culpa nostra contraximus, sed de solo *personali*, quod singuli propria voluntate committimus (heu!) singulis vitæ hujus momentis. Hujus, inquam, peccati naturam examinamus.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit peccatum.

JAm diximus, nos peccati nomine hìc nihil aliud intelligere, quàm actus humanos, seu ab hominibus liberè agentibus elicitos, vel omissos contra regulas morum honestorum. Horum existentiam non est, qui possit ignorare; sed horribilem naturam pauci recogitant, cùm illud parùm adeo timeant.

Igitur, ut dicebamus, peccatum largissimè, & impropriè significat quemcumque defectum in his, quæ fiunt ab homine tam in rebus physicis, & sine libertate, quàm in moralibus, & cùm libertate. 2. minùs propriè dicitur etiam in moralibus de causis; vel effectibus peccati. Hoc sensu Apostolus concupiscentiam vocat peccatum: id est, inquit August. concupiscentia orta ex peccato; & Moyses de vitulo Israelitarum idolo: *Peccatum vestrum, quod feceratis, arripiens igne combussi*. Sic de Christo D. dicitur, *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum* (sc. victimam pro peccatis nostris) *fecit Deus Pater*. Sic de Sacerdotibus dicitur, quòd *peccata populi comedunt*, id est oblata pro peccatis; sed 3. propriè, & pro ut de illo hìc agimus, sumitur pro actu libero creaturæ

ratio-

rationalis inhonesto, seu deviante à recta ratione.

Peccatum igitur in hoc sensu variè definitur à Patribus, & Theologis secundum diversos respectus, quos habet, vel ad Deum, quem offendit, vel ad finem, à quo aberrat, vel ad subjectum, quod inficit, & turpiter notat, vel ad objectum, quod inordinatè respicit, vel ad legem, quam transgreditur, vel ad rationem, à qua declinat, vel ad pœnam, quam meretur, ut videre est apud Auctores; nec nobis exscribere, vel examinare licet. Tempore Seraphici Bonaventuræ legebantur viginti; nobis una sufficiat, quæ sit legitima.

CONCLUSIO.

Peccatum actuale sufficienter describitur dictum, factum, aut concupitum, vel omissum liberè contra legem æternam. Est communis, saltem quoad rem.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui approbat eam ex Augustino. *Dico, quòd dictum, factum, concupitum accipitur tanquam materiale, sed dictum, & factum, ut materiale remotum; sed concupitum dicit materiale proximum, contra legem Dei*, seu æternam, *dicitur formale peccati*. Sic etiam illam explicat S. Thomas. [2]

Igitur 1. *Dictum, factum, & concupitum* ponuntur loco generis. Nam per hæc peccatum convenit omnibus actibus humanis tam bonis, quàm malis; & quidem hæc conveniunt explicitè peccatis, quæ dicuntur *commissionis*; & *dictum, ac factum* dicitur de peccatis externis, seu *operis, & oris*; *concupitum* verò de *internis*, seu de peccatis mentis, seu cordis. 2. addidi, *vel omissum*; quia licèt peccata omissionis possent subintelligi sub concupitis; tamen claritatis gratia id apponendum videtur. 3. ob eandem rationem, sc. ob claritatem, addidi, *liberè*; quia, ut diximus de actibus humanis, de ratione peccati est, ut fiat cum libertate contingentiæ. Hæc igitur tria se tenent ex parte formalitatis genericæ peccati; quia per hæc convenit cum actibus non malis; 4. *contra legem æternam*, seu Dei, quod ponitur loco differentiæ; nam per hoc distinguitur peccatum ab actibus bonis, & indifferentibus; nam illi sunt juxta legem Dei; isti verò

[1] 2. d. 37. q. 1. F. n. 11. [1] 1. d. q. 71. a. 6.

rò non sunt nec contra, neque juxta, sed *præter legem*, ut diximus aliàs; 5. Denique, *legem Dei*, vel *æternam*; ut videas hic definiri peccatum Theologicum. Certè cùm Deus sit ipsa lex æterna, & prima, & indefectibilis regula omnis rectitudinis, omne peccatum deficit ab illa lege; ergo hæc descriptio est bona, & explicat verum genus, & differentiam, & veram peccati naturam.

Confir. ex Patribus. Nam, inquit Ambros. [1] *Non consisteret peccatum, si interdictio non fuisset; quid enim est peccatum, nisi divinæ legis prævaricatio, & cœlestium inobedientia mandatorum*? Et August. [2] *Omne peccatum vel faciendo, quod prohibitum est, vel omittendo, quod est præceptum*. Et quoad voluntarietatem dicit, [3] *illud propriè vocatur peccatum, quod libera voluntate, & à sciente committitur*, &c. ergo peccatum est dictum aliquid, aut factum, aut concupitum liberè contra legem Dei.

Confir.2. ex aliis definitionibus peccati, quæ facilè in istam recidunt, ut discurrenti facilè patebit. Legem autem æternam definit Augustinus, [4] *rationem, vel voluntatem Dei, quæ jubet ordinem naturalem conservari, & vetat turbari*. Ideò peccatum dicitur transgressio, prævaricatio, iniquitas, inobedientia, aversio à Deo, & conversio ad creaturam, offensa, injuria Dei, impietas, contemptus, odium ejus, saltem virtuale, inimicitia, &c.

Prob. denique, quia sic explicatur sufficienter natura omnis peccati, ita ut omne, quod dicitur peccatum, sit tale, & nihil dicatur verè peccatum, cui hæc descriptio non conveniat.

Objic.1. Bona definitio non datur per disjunctiones, ut patet ex Logica; sed ista sic datur; nam dicimus, *dictum*, *vel factum*, &c. ergo non est bona.

Resp. neg. min. Nam per illas dictiones idem significatur, ac si diceretur; peccatum est, quidquid committitur contra legem, &c. Unde sic loquimur ad majorem claritatem. Præterea, sicut peccatum non servat leges morum, ita nec ejus definitio adstringit nos legibus rigorosæ Dialecticæ.

QUÆ-

[1] 1. *parad.*8. [2] *De perfect. Just.*5.
[3] 3. *lib.ar.*19. [4] 22. *con. Faust.*27.

QUÆSTIO II.

In quo consistat ratio formalis peccati, an in positivo, vel negativo, & in quo subjectetur.

IN peccato, sicut & in omni ente, distinguimus materiale, & formale, seu genus, & differentiam, seu rationem, per quam formaliter constituitur in esse peccati; & distinguitur ab actu morali bono; & quærimus, an illa formalitas sit quid positivum, aut negativum, seu privativum, de quo magna est controversia inter Morales Philosophos, & Theologos; quidam enim volunt, eam esse quid positivum; alii purè privativum; alii partim positivum, & partim privativum.

CONCLUSIO I.

R*Atio formalis peccati non est quid positivum, sed mera privatio rectitudinis debitæ inesse*. Est communior Scotistarum, paucis exceptis; idem sentiunt etiam aliqui Thomistæ.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Concedo igitur, quòd peccatum est corruptio rectitudinis in actu 2. non quidem, quæ inest, sed quæ deberet inesse*. Et paulò superiùs dixerat, quòd *peccatum est privatio boni, ostenditur per auctoritates adductas in oppositum, & per rationem talem; quia agens inferius tenetur conformare se agenti superiori .... Ideò loquendo de peccato sive contra legem divinam, sive contra legem humanam, aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordari legi superioris, & non concordavit*; ergo ex Scoto, peccatum formaliter non est quid positivum; sed privatio rectitudinis debitæ, seu conformitatis ad legem.

Prob. 2. ex scriptura, & Patribus quoad 1. p. qui peccatum semper explicant per negationes, ut cùm vocant illud *recessum à Deo, vanitatem, mendacium, aversionem, nihil*, &c. Nam illæ, & similes voces significant negationes accessus, entis, veritatis, amicitiæ, seu conversionis, rei, &c. *Peccatum nihil est* (ait August.) [2] *& nihil fiunt homines, cùm peccant*. Et,

[1] *2. d. 37. q. 1. B. n. 6.* [2] *Tr. 1. Jo.*

Et, *Nemo efficientem causam malæ voluntatis quærat, nec enim est efficientis, sed deficientis*. Et addit, quod [1] *quærere causas defectionum istarum, est velle videre tenebras, & audire silentium*; ergo sicut tenebra est privatio lucis, & silentium privatio vocis, ita peccatum est privatio rectitudinis. Et alibi dicit, [2] *Mali nulla natura est, sed amissio boni mali nomen accepit*. Et alibi, *A nihilo nequitia dicta est; & ideò tales homines, id est peccatores, etiam perditos dicimus*, &c. Et Dionys. [3] *malum, infirmitas, imbecillitas privatio est aut fidei, aut scientiæ, aut appetitus, aut actionis bonæ.... Si malas fieri animas dicimus, in quo fiunt malæ, nisi in bonarum qualitatum, operationumque defectu*, atque proveniente ex infirmitate propria privatione, &c. & Basil. [4] *vitium nihil est aliud, quàm virtutis desertio....* Et Hom. 6. *Malum boni privatio est*. Et Nazianz. & Elias Cretensis, [5] *Vitium virtutis est privatio, ut caligo lucis recessus*. Et Ansel. [6] *Nihil est apertius, quàm nullam rem esse malam, nec aliud esse malum, quàm absentiam justitiæ derelictam in voluntate*. Et Ambros. *quid est malitia, nisi boni indigentia?* Et Greg. Nis. [7] *Vitium omne est improbitas in boni privatione suam habens formam*; ergo ex Patribus ratio formalis peccati est privatio.

Dices, per hæc significari quidem, quod peccatum importat privationem, non primariò, sed secundariò, quia debet fundari in positivo: & loquuntur de privatione, velut de proprietate notiori, non ut de formali constitutivo.

Contra. Si censerent, hanc privationem esse tantùm proprietatem, non verò essentialem rationem peccati, aliquando saltem loquerentur de illo positivo, quod priùs constitueret peccatum, alioqui semper loquerentur impropriè; sed cons. est absurdum; ergo, &c. Prob. maj. ille nunquam propriè loquitur de re aliqua, qui semper illam definit per rationem accidentalem, & nunquam per essentialem, ut patet ex regulis bonæ definitionis. Probat. min. tum per solutionem objectionum, & quia non potest probari per ullum textum Scripturæ, aut Patrum, quòd

[1] 12. *civ.* 5. [2] 11. *civ.* 9. [3] *Div. nom.* 4.
[4] *vita B. d.* 1. [5] *Ora.* 3. [6] *de ca. Diab.* 19.
[7] *De Isaac Ora Catech.* 5. 6. & 7.

quòd consistat in positivo, & quia potiùs excludunt illud in locis adductis, in quibus excludunt omne aliud à ratione cõstitutiva peccati præter privationem.

Prob. 3. Si malitia peccati esset quid positivum formaliter, Deus esset positivè, & directè causa peccati; sed conf. est impium; ergo &c. Prob. maj. omne ens positivum creatum est effectivè, directè, & immediatè à Deo immediatione suppositi, & virtutis; ergo &c.

Prob. 4. Nam posita in actu peccaminoso quacumque formalitate positiva, & præcisa illa privatione, non est peccatum, & posita illa privatione, & præcisio omni alio positivo præter actum liberum, est verè peccatum; ergo peccatum non includit quid positivum pro formali constitutivo. Nam res non potest existere, nec intelligi sine suo formali constitutivo.

Confir. Nam peccatum omissionis, & commissionis conveniunt univocè in ratione peccati; sed in peccato omissionis nihil est positivum reale; ergo nec in peccato commissionis.

Porrò debitum illud fundatur in ipsa natura rationali; quæ in his, quæ agit liberè, debet conformare se regulis morum, quæ ipsi proponuntur ab intellectu, & si non ita se gerat, ut potest pro sua libertate indifferentiæ, sed amplectatur vetitum, aut non faciat imperatum, peccat, quia deviat ab illa debita regula, & actus ille, vel omissio caret debita illa rectitudine, sc. vel eliciendo actum vetitum, vel non eliciendo actum debitum. Vides, quo sensu dicamus peccatum esse formaliter privationem rectitudinis debitæ inesse actui.

Prob. 2. p. Illa privatio non potest meliùs explicari, quàm per illam formam, cujus defectu actio, vel omissio ejus est formaliter mala; sed per defectum rectitudinis, seu conformitatis ad legem actus, vel omissio ejus est formaliter mala; ergo privatio rectitudinis, seu conformitatis ad legem est illa ratio formalis constitutiva peccati.

Dixi, *debitæ inesse*. Nam si rectitudo, seu conformitas illa non deberet inesse, actus non esset peccatum, sed ad summum indifferens, nec bonus, nec malus.

Prob. 2. Nam si consisteret peccatum in alia privatione, maximè in privatione alicujus perfectionis in subjecto, seu voluntate, vel in privatione gratiæ sanctificantis, vel habitus virtuosi; sed nullum horum dici potest; ergo in illa sola primariò consistit. Prob. min. 1. non in privatione perfectionis in voluntate; nam hæc est incorruptibilis in sua substantia, & per frequentia peccata posset tandem integrè destrui, quod nemo dixerit. Præterea priùs est esse peccatum, quàm illud nocere voluntati, seu subjecto suo. 2. non in privatione gratiæ. 1. quia priùs est existere peccatum, quàm illud expellere gratiam; privatio gratiæ est effectus, non causa peccati. 2. quia secundum peccatum mortale non privat gratia illa, quia jam tota deperdita est per primum. 3. quia sic omnia peccata essent primò ejusdem speciei; & sicut gratia sanctificans, qua peccatum privat, est ejusdem speciei in omnibus, ita & privatio ejus. 3. non denique in privatione habitus virtuosi, tum quia, cùm primùm quis peccat, ante omnem actum virtutis oppositæ, nondum habet habitum illius: nam habitus non acquiruntur nisi per actus iteratos: tum quia, sicut habitus non acquiritur per unum, aut duos actus virtutis; ita non deperditur per unum, aut duo peccata contraria: tum quia, licèt habitus acquisiti virtutum repugnarent, adhuc essent peccata, quæ essent sine tali privatione habituum. Denique quia deperditio habitus virtuosi est potiùs effectus, quàm causa peccati constitutiva; & habitus deperdi possunt, aut non acquiri sine peccato, sc. per non frequentiam actuum.

Confir. Nam licet homo non haberet gratiam, nec habitum ullum virtuosum, adhuc posset peccare; sed tunc peccatum non privaret eum gratia, nec habitu ullo; ergò peccatum non consistit in alia privatione, quàm rectitudinis, &c.

Objic. 1. con. 1. p. Scriptura, & Patres explicant peccatum nominibus positivis; ergo peccatum consistit formaliter in positivo. Prob. ant. Nam vocatur transgressio; *qui potuit transgredi, & non est transgressus*. 2. Prævaricatio, & resistentia Deo; *quis restitit Deo, & pacem habuit?* Et definivimus illud cum Augustino, & aliis, *Dictum, factum, concupi-*

cupitum, &c. sed transgressio, prævaricatio, resistentia, dictum, &c. sunt quid positivum formaliter; ergo & peccatum.

Resp. ex Scoto, & D. Thoma cit. neg. ant. & dist. min. sunt quid positivum pro materiali, con. pro formali, neg. min. & conf. totum positivum, quod importat prævaricatio, &c. est in ipsis actibus, in quos cadit illa privatio.

Inst. Scriptura, & Patres definiunt peccatum aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam; sed tam aversio, quàm conversio sunt formaliter quid positivum; ergo & peccatum, etiam formaliter. Prob. min. Nam utraque dicit motum voluntatis à Deo, qui est, ad id, quod minus est, ex Augustino; sed motus voluntatis est quid positivum; ergo & peccatum.

Resp. dist. maj. Per conversionem, ut materiale peccati, con. ut formale, neg. maj. & conf. Nam in tantum illa conversio, & ille motus voluntatis est peccatum, in quantum caret rectitudine, & conformitate ad legem.

Objic. 2. Multa peccata non habent illam privationem; ergo illa non est formale constitutivum peccati; nam eadem est ratio de omnibus. Prob. ant. ut actus aliquis dicatur privatus rectitudine, debet esse capax illius; nam privatio est carentia formæ in subjecto, quod illius est capax, aut illam exigit; sed multa peccata non sunt capacia rectitudinis moralis; ergo nec habent ejus privationem. Prob. min. multa peccata habent malitiam ex objecto, & natura sua, ita ut actus illi non sint capaces rectitudinis moralis, v. g. odium Dei, mendacium; &c. ergo

Resp. neg. ant. & dist. maj. Debet esse capax formæ secundum aliquam sui formalitatem, sc. genericam, aut specificam, in se, vel in causa, & in suo esse, vel non esse, con. maj. & neg. min. secundum omnem formalitatem, quæ in eo est, tam specificam, quàm genericam, &c. neg. maj. & conf. odium Dei, mendacium, & similia peccata, quæ intrinsecè, & ex objecto sunt mala, id habent ex ratione sua specifica, & individuali, sed secundum materiale suum, seu rationem genericam, sc. ut sunt actus humani liberi, & ex natura objecti ipsorum, sunt capacia

rectitudinis, & hoc 1. ex parte voluntatis, quæ cùm sit libera, posset, & deberet non habere illos actus; & 2. ex parte ipsorum actuum, qui cùm sint etiam liberi, possent, & deberent non esse, seu non elici. Undè privatio non est in actu malo, qui elicitur, sed est in illo, prout deberet non elici circa illud objectum; v. g. actus odii privatur per sui existentiam rectitudine, quam haberet logicè, si non eliceretur. Deus, qui est objectum illius odii, de se exigit amorem, & voluntas humana debet illi talem amorem; & cùm respicit illum per odium, privat se debita rectitudine, & peccat, & actus odii inficitur illa privatione per sui existentiam.

Inst. Actui humano secundum rationem genericam actus humani non debetur rectitudo; ergo sub illa ratione generica non subest illi privationi. Prob. ant. vel deberetur illi rectitudo hæc, aut illa determinatè, & in particulari, vel aliqua indeterminatè, & confusè; sed neutrum dici potest; ergo nulla debetur. Prob min. 1. non aliqua determinatè, quia nulla est ratio de una potiùs, quàm de alia; v. g. de rectitudine spei potiùs, quàm fidei, &c. Imò pro illo instanti, quo habet odium, tam posset otiari, vel agere indifferenter, quàm amare, aut agere honestè, saltem per se loquendo, & secluso præcepto. 2. non indeterminatè, & confusè; alioqui tot essent in illo actu privationes, & malitiæ, quot sunt possibiles honestates, seu bonitates; ergo vera est illa minor.

Resp. neg. ant. 1. argumenti, & min. 2. & cons. 3. Nam actui, quo voluntas tendit in Deum, & supposita tendentia in tale objectum, debetur rectitudo amoris, quæ est specifica, & determinativa omnis actus humani erga Deum, qui exigit talem amorem. Nam tenetur homo in suis actibus conformari exigentiæ, ac dignitati objectorum supposito, quòd in illa tendat. Si tendit in mendacium, debet illud odisse, si in Deum, debet illud amare, & sic de cæteris; sin minùs illæ tendentiæ, illi actus privantur debita rectitudine, & sunt peccata.

Objic. 3. Odium Dei, & alia peccata contra legem prohibitivam non aliter sunt mala, nec peccata, quàm per ipsam entitatem odii, & similium actuum; sed

sed illi actus sunt entia positiva; ergo & peccata formaliter. Prob. maj. lex prohibens odium nihil aliud intendit, quàm negationem talis odii; ergo, cessante illo odio, cessat peccatum; ergo illud peccatum non est aliud, quàm actus positivus odii Dei.

Resp. neg. maj. & ant. prob. Nam nisi lex prohiberet tale odium, & nisi illud importaret privationem conformitatis ad illam, non esset peccatum mortale, sed consideraretur in sua entitate purè physica, ut alii actus naturales, & perindè ac si esset in dormiente, vel amente, in quo defectu libertatis non habet moralem bonitatem, aut malitiam.

Objic. 4. Hoc ipso, quod voluntas tendit liberè in objectum prohibitum, præcisa omni privatione, ille actus est peccatum commissionis, & si non tendit in objectum præceptum, est peccatum omissionis; sed illa tendentia est quid formaliter positivum; ergo & peccatum est formaliter positivum.

Resp. neg. min. Nam illa tendentia ideò est peccatum formaliter, quia caret conformitate ad legem prohibentem, qua sublata, non esset peccatum. Ita est de omissione actus præcepti cum proportione.

Inst. Quod est prius in re, prius constituit rem; sed tendentia illa positiva est prior in furto, quàm privatio rectitudinis; ergo furtum prius est peccatum, quàm dicat ullam privationem. Prob. min. causa est prior effectu; sed illa tendentia libera in furtum est causa privationis rectitudinis, & fundamentum difformitatis; ergo est prior in peccato.

Resp. dist. min. utramque, est prior materialiter, seu fundamentaliter, con. formaliter, & in ratione peccati, neg. utramque min. & conf. Tendentia illa est materiale, & fundamentum privationis, per quam illa est formaliter peccatum. Nam illa præcisa, non esset peccatum formaliter.

Objic. 5. Si malitia peccati nihil diceret formaliter nisi puram privationem, bonum, & malum morale non opponerentur contrariè; sed conf. est falsum; ergo &c. Prob. min. ex Arist. [1] dicente, bonum, & malum opponi contrariè; & idem docet Scotus; sed oppositio contraria est inter positiva; si verò u-

[1] *De oppos. Quod. 8. 3. n. 9.*

num sit positivum, & aliud privativum, aut negativum, dicitur contradictoria; ergo bonum, & malum morale opponuntur contrariè; ergo utrumque consistit formaliter in positivo.

Resp. neg. min. & dist. maj. prob. Bonum, & malum concretivè, seu materialiter sumptum, con. formaliter, & præcisè sub ratione bonitatis, & malitiæ, neg. maj. & conf. contrarietas boni, & mali de mente Philosophi, & Scoti attenditur penes entitatem positivam actuum, vel objectorum, vel habituum. Scotus verò sic loquitur: *Videndum est, unde actus habeat malitiam moralem. Uno modo potest opponi malitia privativè bonitati in actu; alio modo contrariè, quando habet habitum vitiosum, qui est habitus quidem positivus, licèt cum privatione perfectionis debitæ: alio modo dicitur malus privativè tantùm, sc. quia caret bonitate, quam deberet habere, licèt non habeat habitum vitiosum positivum contrarium bonitati, seu virtuti*; bonitas, & malitia opponuntur etiam contrariè, quando actus non tantum caret debita circumstantia, sed etiam habet malam, aut habitum vitiosum bonitati virtutis contrarium.

Inst. Inter opposita privativè non datur medium; sed inter peccatum, & actum bonum datur medium per nos, sc. actus indifferens; ergo peccatum, & actus bonus, seu bonitas, & malitia non opponuntur privativè, sed contrariè. Probatur maj. Nam quæ opponuntur privativè, opponuntur contradictoriè; sed inter ista non datur medium; ergo nec inter illa.

Resp. neg. 1. maj. & dist. 2. Opponuntur contradictoriè consequenter, & indirectè, con. directè, & immediatè, neg. maj. & conf. Ratio privationis attenditur penes subjectum, quod si est capax formæ absentis, illa absentia dicitur privatio, & si non est capax formæ absentis, dicitur pura negatio, & sic malitia peccati dicitur opponi bonitati privativè, ratione actus humani, qui cùm sit capax bonitatis, & hæc illi debeatur, actus malus opponitur privativè actui bono, & negativè, seu contradictoriè actui indifferenti, qui dicit puram negationem bonitatis, & malitiæ.

Objicies 6. Malitia habitus vitiosi est quid positivum;

vum; nam illa est qualitas, & inclinat positivè in malum, & ab actibus malis generatur; ergo & actus ipse malus, seu malitia ejus erit quid positivum; nam hæc est ejusdem rationis in habitu, & in actibus ejus.

Resp. neg. conf. & rationem ejus; & disparitas est, quia malitia habitus petitur directè ab actibus malis, à quibus gignitur, aut ad quos inclinat; malitia verò actuum directè respicit legem, cui non conformatur, sed cui aversatur; & hæc aversio, seu difformitas est privatio habitus; ergo respicit materiale peccati, quod est positivum; actus verò formale.

Objic. 7. Si omnia peccata essent puræ privationes, essent ejusdem speciei, aut saltem plures eorum species diversæ confunderentur; sed conf. est falsum, & absurdum; ergo &c. Prob. maj. privationes specificantur à forma, seu rectitudine virtutis, quam tollunt; sed diversa peccata tollunt eandem, seu ejusdem virtutis rectitudinem; ergo diversa peccata confunderentur. Prob. min. prodigalitas, & avaritia privant eadem rectitudine liberalitatis; sed illa peccata sunt diversæ speciei; ergo &c.

Resp. neg. maj. 1. argum. & dist. min. 2. & 3. Eandem rectitudinem materialiter, con. formaliter, & sub eodem respectu virtualiter, neg. min. Rectitudo, seu bonitas virtutis moralis, v. g. liberalitatis, est mediocritas inter duo extrema vitia, quæ dictat vitanda, sc. inter excessum; qui fundat malitiam prodigalitatis, & defectum, qui fundat malitiam avaritiæ: & sic malitiæ duorum peccatorum illorum specie differunt, quia privantur rectitudine virtutis liberalitatis, quæ materialiter quidem una est, sed virtualiter duplex propter duo illa extrema diversa, quæ dictat vitanda. Idem est de aliis virtutibus, & vitiis oppositis.

Objic. 8. Malum naturale includit formaliter positivum; ergo & morale, est enim par ratio de utrisque. Prob. ant. error, qui est malum naturale in intellectu, præter nescientiam dicit aliquid positivum oppositum veritati (Idem est de dolore in sensu) ergo malum naturale dicit formaliter aliquid positivum.

Resp. neg. 1. ant. & dist. 2. Dicit actum positivum,

Q 4 in

in quo fundatur privatio formalis ad veritatem, con. positivum, quod sit formalis error, & formale malum, neg. ant. & conf. Idem est de dolore, qui pro materiali dicit qualitatem læsivam, quæ inducit privationem sanitatis, aut voluntatis.

CONCLUSIO II.

M*Alitia, seu privatio rectitudinis, qua constituitur peccatum, subjectatur immediatè in ipso actu peccaminoso.* Est Scotistarum, & aliorum, sed non conveniunt omnes in modo explicandi, in quo, vel quomodo subjectari possit in actibus intrinsecè malis, ob rationem allatam in objectione 2.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] Nam dicit, *quòd peccatum est corruptio rectitudinis in actu 2. quæ deberet inesse*, non dicit, *in voluntate*, ut volunt aliqui, nec, *in actu, qui deberet elici*, v. g. in actu amoris, qui deberet elici circa Deum loco odii, quod elicitur, & quod est peccatum. Nam ille amor non est in actu 2. ipso peccati, qui caret debita rectitudine, quod alibi sæpè repetit.

Prob. 2. Forma, seu ratio constitutiva debet esse immediatè in subjecto, quod denominat, & constituit; sed, ex dictis, malitia, seu privatio denominat, & constituit actum peccati in ratione peccati; ergo immediatum subjectum malitiæ peccati, seu privationis rectitudinis est ipse actus peccaminosus. Maj. videtur certa. Nam actus non denominatur, nec constituitur peccatum, nec malus per denominationem extrinsecam; ergo malitia debet esse in ipso. Voluntas quidem peccans dicitur mala, & peccatrix, sed efficienter, & causaliter, quatenus elicit actum malum, imò etiam formaliter, quatenùs in se habet peccatum, quod producit immanenter; sed ita dicitur ratione ipsius peccati, quod est ipsa formalis malitia.

Confir. Nam si posset dici subjectari alibi, maximè in voluntate; sed hoc dici non potest; saltem pro subjecto immediato; ergo non potest assignari aliud subjectum immediatum malitiæ peccati, quàm actus ipse malus. Prob. min. Nam voluntas est indifferens ad

[1] *ibid.*

ad bonum, & malum; nec dicitur bona, aut mala, nisi ratione actus boni, aut mali; non debet dici privata bonitate per actum malum magis, quàm privata malitia per actum bonum; nec per se immediatè dici debet bona, aut mala, sed tantum mediante actu bono, aut malo. Uno verbo, sicut non conformatur legi, nisi per actum bonum, ita nec discordat à lege, nisi per actum commissum, vel omissum; ergo bonitas, & malitia subjectantur immediatè in actu.

Objic. 1. Scotus [1] docet, quòd voluntas libera debitrix est, ut omnem actum eliciat conformiter legi superiori, sc. secundum divinum præceptum. Ideo quando agit discorditer ab illa regula, caret justitia actuali debita; ergo ex Scoto, privatio justitiæ, seu rectitudinis, seu malitia peccati subjectatur immediatè in voluntate.

Resp. dist. conf. privatio rectitudinis activæ, con. passivæ, neg. conf. nam Scotus ibi loquitur de rectitudine activa; & hæc quidem se tenet ex parte voluntatis, quatenus libera est ad eliciendum, vel non eliciendum actum conformem legi; & hoc sensu malitia activa est in voluntate; sed loquimur hìc de malitia passiva, & hæc residet in actu, quatenùs in ipso instanti, quo elicitur contra regulam, & legem, posset, & deberet non elici, & pro instanti, quo in actu 2. elicitur, privatur debita rectitudine, quæ exigebat, ne eliceretur.

Inst. 1. Malitia est in actu odii Dei à parte rei, & subjectivè; sed non potest ita esse sub eo respectu, quatenus potest, & debet non elici; ergo non rectè sic explicatur, nec salvatur in illo subjectatio privationis, seu malitiæ. Maj. patet; nam ut imputetur, & puniatur malitia, non sufficit, ut existat objectivè, & ut possibilis, sed debet existere realiter. Prob. min. Nam illa non elicitio odii, seu indifferentia ad elici, & non elici non existit in odio; ergo non potest esse ratio subjectandi malitiam; sic enim non est, nisi objectivè in intellectu.

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam cùm illa malitia, seu privatio rectitudinis non sit nisi moralis, sufficit, quòd actus, in quo est, potuerit, & de-

[1] 2.d.37.B.q.1.B.n.6.

buerit non elici, & quòd possit, & debeat non conservari, licèt in sensu composito elicitionis, & conservationis non sit ampliùs indifferens, nec capax rectitudinis.

Inst. Si odium Dei non esset sub privatione rectitudinis, nec sub malitia, nisi quia potuit non existere, seu per respectum ad libertatem, & indifferentiam, quam habuit ad esse, vel non esse pro instanti naturæ priori ad sui existentiam, non diceretur peccatum, nisi per denominationem extrinsecam petitam ab illa libertate, & rectitudine possibili, & debita, sed consf. est falsum; nam est verè, & intrinsecè peccatum; ergo sic malè salvatur hæc ratio. Prob. maj. Nam illa indifferentia, & libertas non est in ipso actu odii, sed in voluntate; ergo &c.

Resp. neg. maj. & dist. ant. prob. Indifferentia, & libertas activa est in voluntate, con. passiva, neg. ant. Hæc enim est in ipso actu odii, qui actus potuit non elici, & posset non conservari, & per ipsum sui esse est malus, & privatus rectitudine, quæ inesset, si non eliceretur.

QUÆSTIO III.

Unde sit debitum rectitudinis in actu peccaminoso. An semper veniat ab aliqua lege, seu an omne peccatum sit contra legem.

Quia diximus, peccatum constitui formaliter privatione rectitudinis, quæ debet inesse actui peccaminoso, quærimus hìc, unde veniat illud debitum, & malitia moralis actuum, qui privantur illa rectitudine debita? an ex ipsa natura rerum, & actuum antecedenter ad omnem legem, ut volunt plurimi? an vero ab aliqua lege præcipiente, aut prohibente tales actus? ita ut nullum sit peccatum, quod non sit contra legem.

Porro constat ex dictis 1. legem dividi in *æternam*, seu *naturalem*; & *positivam*; lex æterna definitur ab August. *Ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, & perturbare vetans*; ex quo patet, hanc legem non esse purè indicantem, seu ostendentem, quid faciendum sit, sed etiam obli-

ligantem, seu jubentem, & prohibentem; & hæc, quatenus nobis per lumen rationis inseritur, dicitur *lex naturalis*. Undè patet, quòd *lex naturæ* originatur à lege æterna Dei, quæ est prima, & essentialis regula omnis rectitudinis. *Positiva* autem est ex libera voluntate superioris cum intentione obligandi subditos ad observantiam ejus. Et hæc rursus dividitur in *divinam*, quæ est à Deo, & *humanam*, quæ est ab homine potestatem habente in subditos.

Constat 2. quædam esse, quæ de se objectivè, & intrinsecè talia sunt, ut non tam videantur mala, quia prohibentur, nec bona, quia præcipiuntur, quàm prohiberi, quia mala sunt, & præcipi, quia sunt bona antecedenter ad legem, saltem positivam, v. g. odium, & amor Dei: illud sic intrinsecè est malum, & iste bonus, ut antecedenter ad legem Decalogi non possit odiri sine peccato, & debeat amari, alia verò non ita se habent; sed bonitatem suam habent à lege præcipiente, & malitiam à lege prohibente. Sic lignum scientiæ malum fuit Adamo ex prohibitione Dei, qua non existente, esus illius fuisset indifferens, sicut esus aliorum fructuum. His suppositis ex tract. de legibus,

CONCLUSIO.

Omne peccatum est contra legem, seu, Omnis malitia moralis includit privationem conformitatis ad legem æternam, aut positivam, divinam, vel humanam*. Est Scotistarum, & Thomistarum magis communiter.

Prob. 1. ex Scoto [1] citato, qui definit peccatum cum Augustino, & docet, quòd formale ejus consistit in hoc, quòd *est contra legem Dei*. Et suprà dixerat, quòd *voluntas libera debitrix est, ut omnem actum suum eliciat conformiter regulæ superiori, sc. secundum divinum præceptum*. Quod probat ex Ambrosio definiente, quòd *peccatum est transgressio cælestium mandatorum*. Et alibi dicit, [2] *quodcumque peccatum est peccatum, quia est contra præceptum divinum*.

[1] *Ibid. F. n. 11. n. 6.* [2] *4. d. 50. q. 2. C. n. 9.*

Prob. 2. ex Scriptura, dicente Propheta, [1] *Tibi soli peccavi*, Et, *Peccavi Domino*. Et Apostolus dicit, [2] *Per legem cognitio peccati*. Et, *ubi non est lex, nec prævaricatio*. Et, *Peccatum non cognovi, nisi per legem*. Nam ibi loquitur generaliter non tantùm de lege Mosaica, per quam innotuit malitia plurium rerum, quæ antea non agnoscebantur malæ, sed etiam de omni peccato, quatenus nullum existeret peccatum, si nulla existeret lex. Ideò etiam omne peccatum dicitur iniquitas, id est *declinatio à lege*, ut legitur in Græco. Et, [3] *Virtus peccati lex*; ergo, nulla existente lege, nulla esset iniquitas, nulla vis esset in peccato.

Prob. 3. ex Patribus. [4] Nam, ut diximus ex Augustino: *Peccatum est dictum, factum, aut concupitum contra legem*. Et alibi, *Neque peccatum erit, si quid erit, si nō divinitus jubeatur*. Et alibi, *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod lex vetat*. Idem docet Ambros. cit. à Scoto. Et sic de aliis communiter definientibus peccatum per disconvenientiam à lege divina.

Prob. 4. Ratione. Nam peccatum est formaliter privatio debitæ rectitudinis; sed hoc debitum non potest venire, nisi à lege; ergo de ratione peccati est esse contra legem. Maj. patet ex dictis; prob. min. debitum supponit obligationem; sed hæc venire non potest nisi ex lege, seu jussione superioris; ergo debitum non venit nisi ex lege.

Confir. Nam sicut malum naturæ, ut monstrum, ideò est malum, quia opponitur legibus naturæ, & malum artificiale, quia deviat à regulis artis; ergo & malum morale est illud, quod opponitur regulis morum; sed leges sunt regulæ morum; ergo &c.

Prob. 5. Objectum non dat bonitatem, aut malitiam actui, nisi quia proponitur à recta ratione voluntati ut præceptum, aut vetitum; sed non potest sic proponi præceptum, aut vetitum, nisi ab aliqua lege; ergo malitia in peccato petitur à lege, cui opponitur. Prob. min. omnis actus humanus bonus, aut

[1] *Ps.* 50. [2] *Rom.* 3. & 4.
[4] 1. *Joan.* 3.
[4] 2. *de pecca. mer.*

aut malus moraliter pendet ab hoc principio, & regula prima legis æternæ, & naturalis: *Omne bonum est amandum*, & *omne malum est fugiendum*: Et ideò recta ratio dictat voluntati; Deum esse amandum, & non esse odiendum, seu amorem Dei esse rationabilem, & honestum, & odium ejus esse irrationabile, & inhonestum, & malum; & nisi agens hæc cognosceret, illi actus non haberent bonitatem, vel malitiam moralem defectu libertatis, sed purè naturalem, & physicam; ergo &c.

Prob. denique. Nam si objecta quædam ex natura sua physica darent malitiam moralem actui; Deus esset causa talis malitiæ; sed conf. est impium, & falsum; ergo & ant. prob. maj. Nam Deus est causa de se totius entitatis physicæ omnis entis; ergo si esset aliquid in aliquo objecto, vel ente, quod daret ex se talem malitiam, Deus esset causa ejus, sicut est causa lucis in sole, sicut & ipsius solis; ergo ante legem nullum est peccatum, seu malum morale.

Objic. 1. ex Script. & Patribus. [1] *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; ergo &c. Ideò Augustinus [2] fatetur adulterium non esse malum, quia prohibitum, sed contra esse prohibitum, quia malum. Et Scotus [3] docet, præcepta 1. tabulæ esse omninò indispensabilia, & aliqua esse prohibita, quia mala; ergo datur peccatum sine lege.

Resp. neg. conf. Quia D. Paulus loquitur non de omni prorsus lege, sed de lege Mosaica, quæ gentes non obligabat, sed isti viventes juxta legem naturalem non peccabant. Ita sentit August. qui in loco citato loquitur de lege positiva, quando prohibet, quæ jam prohibebantur lege naturali, & æterna. Eodem sensu loquitur Scotus, ut legenti patebit, & in definitione, quam uterque Doctor approbat. Nam definiunt peccatum per contrarietatem ad legem æternam, ut vidimus.

Inst. Peccatum veniale est propriè peccatum; sed istud non est contra legem; ergo de ratione peccati non est, quòd sit contra legem. Minor tribuitur Scoto, & aliis.

Resp.

[1] *Rom. 2.* [2] *Lib. ar. 3.*
[3] *D. 37. cit.*

Resp. neg. min. de quo infrà specialiter dicemus, ubi de peccato veniali.

Inst. 2. Sequeretur, omnia peccata includere malitiam inobedientiæ, & omnia bona opera meritum obedientiæ; sed cons. est falsum; ergo &c. Prob. maj. Nam omnis lex est obligatoria, & exigit obedientiam.

Resp. dist. Malitiam inobedientiæ quasi transcendentaliter, & in genere, con. formaliter, & in specie tantùm, neg. maj. Nam omnis deviatio à lege habet rationem specialem sumptam à speciali rectitudine, & bono virtutis, cui opponitur.

Objic. 8. ex Patribus, & communi sententia Theologorum, etiam Scoti, quædam sunt mala ex objecto, quæ non ideò sunt mala, quia prohibentur, sed potiùs ideò prohibentur, quia mala sunt sc. intrinsecè, & antecedenter ad omnem legem; ita sentit August. ergo non omne peccatum est contra legem. Nam quæ disconveniunt talibus objectis, verè sunt peccata, ut odium Dei, mendacium, &c.

Resp. dist. ant. Sunt mala moralia fundamentaliter antecedenter ad legem positivam, vel æternam, aut naturalem, con. formaliter, neg. ant. & cons. Nam illa malitia moralis est formaliter oppositio ad unam ex illis legibus, quas omnis peccans liberè, & sciens transgreditur.

Inst. Antecedenter ad omnem actum voluntatis prohibentis odium Dei, illud est malum moraliter, & cognoscitur ut tale; ergo & independenter ab omni lege. Nam æterna est prima omnium legum, ergo si tale peccatum illam præcedit, à fortiori naturalem, & positivam.

Resp. neg. ant. Est enim malum, quia est contra legem divinam, quæ est prima regula morum; nam, ut dicebamus ex Augustino, nihil est justum, aut legitimum, quod non sit ex lege æterna derivatum. Odium ergo Dei, mendacium, & similia sunt intrinsecè mala moraliter, quia prohibentur de facto per legem æternam, naturalem, aut positivam; & ideò sic prohibentur, quia in genere naturæ sunt mala de se.

Inst. Antecedenter ad omnem legem, etiam naturalem, odium Dei est dissentaneum naturæ rationali;

nali; sed hoc est esse formaliter malum etiam moraliter; ergo illud odium est malum etiam moraliter independenter ab omni lege.

Resp. dist. min. Esse dissentaneum naturæ rationali in actu 2. est esse moraliter malum, con. naturæ rationali in actu 1. neg. min. & cons. Natura rationalis in actu 2. est rectum dictamen rationis; & in eo consistit lex naturalis; in actu autem 1. sumitur pro ipsa creatura rationali, quæ est quidem radix omnis actus rationis, & ipsius legis formalis, & actualis, sed non est ipsa lex; & ab ista, non ab illa petitur malitia moralis odii Dei, & similium peccatorum; ab ista verò sumitur tantùm malitia in genere naturæ, quæ malitia est fundamentalis, & radicalis in ordine ad malitiam moralem, quæ est ex oppositione actuali ad legem.

Inst. 3. Objecta legis positivæ, quæ non sunt de se mala, sed tantùm ob prohibitionem, dici possent fundamentaliter mala, quia etiam habent capacitatem fundandi malitiam formalem accedente prohibitione; ergo solutio illa non salvat differentiam eorum, quæ dicuntur intrinsecè mala, & prohiberi, quia mala sunt, & non ècontra. Prob. ant. Nam pomum scientiæ potuit graviter prohiberi; ergo erat fundamentaliter malum, quamvis non dicatur malum, nisi quia prohibitum.

Resp. neg. ant. absolutè, vel sic dist. Habent malitiam fundamentalem remotam, & negativam, quatenus non repugnat eis prohiberi, sicut nec permitti, con. fundamentalem proximam, & quasi positivam, neg. ant. & rationem ejus. Esus pomi scientiæ habebat de se non repugnantiam ad prohiberi, & in hoc consistere potest malitia ejus fundamentalis, quæ est valdè remota; sed odium Dei habet de se quandam indignitatem, quasi positivam, & proximam ad prohiberi, quæ est sua malitia in genere naturæ, & fundamentalis, præcisa lege, qua existente fit malitia formalis.

Objic. 3. Si malitia odii Dei penderet à lege, esset illi extrinseca, & accidentalis, & posset ab eo separari, & illud posset haberi licitè, aut saltem sine peccato; sed cons. est falsum, & absurdissimum; ergo &c. Prob. maj. Deus posset non prohibere illud odium,

dium, quia est liber ad extra; sed præcisa prohibitione, illud odium non esset peccatum; ergo posset haberi licitè, & sine peccato.

Resp. neg. 1. maj. & dist. 2. Non prohibere positivè, & ad extra, con. ad intra per legem æternam, & naturalem, neg. maj. & sic dist. min. præcisa lege tam æterna, & naturali, quàm externa, & positiva, con. præcisa sola externa, & positiva, neg. min. & cons. cùm nec error, nec deviatio à rectitudine cadat in Deum, necessariò videt, & improbat odium sui; quia se cognoscit necessariò ut summum bonum, & purè amabilem, & eadem necessitate sibi complacet in amore sui, & displicet in odio; & in hoc consistit lex æterna, & ad intra, quæ manet in nobis cum lumine rationis: posset autem non dare de hoc legem positivam ad extra, qualem dedit in lege scripta.

Inst. In his, quæ Deus improbat, & quæ illi necessariò displicent per legem æternam, debet esse aliqua malitia, quæ non est in iis, quæ liberè prohibet per legem positivam; sed hæc malitia non potest esse alia, quàm moralis; quia Deus nihil odit necessariò præter peccatum, quod est malum morale; ergo est intrinseca illis objectis, non verò istis.

Resp. neg. min. & rationem ejus. Nam odit etiam necessariò inhonestatem naturalem, seu in genere naturæ, qualis est malitia odii Dei, mendacii, blasphemiæ, & aliorum actuum, qui opponuntur præceptis 1. tabulæ, & primis principiis moralibus, ut diximus tr. de legibus.

CONCLUSIO II.

Licèt peccatum accipiat suam malitiam formalem, & moralem ex difformitate ad legem divinam, non sequitur, quòd Deus possit permittere actus intrinsecè malos, ut odium Dei, blasphemiam, & similes actus.

Prob. 1. ex Scoto citato ubi de dispensatione legis naturæ. Nam, inquit, *aliqua possunt dici esse de lege naturæ dupliciter; uno modo, tanquam prima principia practica nota ex terminis*, (ut bonum est amandum) *vel conclusiones necessariò sequentes ex eis*, (ut

Deus

Deus est amandus) *Et hæc dicuntur esse strictissimè de lege naturæ, & rationes contra primam opinionem probant, quòd in talibus non potest esse dispensatio, quas concedo* &c. sed hæ conclusiones, *Deus est amandus, non est odiendus, est adorandus, & non est blasphemandus*, sequuntur necessariò ex primis principiis practicis, v. g. bonum est amandum; ergo Deus non potest permittere sui odium, vel contemptum, aut blasphemiam.

Prob. 2. ex præcedenti. Nam præcisa omni lege, odium Dei, blasphemia, mendacium sunt ex natura sua prohibenda, & mala in ge nere naturæ, & essentialiter deviant ab ultimo fine; sed Deus non potest mutare essentias rerum, non potest non videre, quòd deviant ab ultimo fine; ergo non potest illos actus non improbare, nec illos nolle, tantùm abest, ut possit approbare, aut permittere. Prob. min. Deus non potest videre, aut velle, quòd homo non sit animal rationale: (Et sic de aliis essentiis rerum naturalium) non potest non videre, se esse purè, & summè bonum, & finem ultimum rerum omnium; ergo nec potest non videre, & improbare odium sui, quod supponit in eo aliquid fugiendum, & malum, & quod avertit essentialiter ab illo ut fine.

Objic. 1. Quidquid est bonum extra Deum, dicitur tale, quia est volitum à Deo, & quidquid est malum, ideò est tale, quia est nolitum, seu prohibitum à Deo; ergo odium Dei est malum præcisè ob prohibitionem divinam; sed omnis volitio, & nolitio Dei ad extra est libera, & contingens; ergo potest non esse; ergo nolitio odii Dei in creaturis posset non prohiberi; ergo & posset non esse malum.

Resp. dist. ant. Quidquid est bonum, & malum in genere moris, & formaliter, con. bonum, & malum in genere naturæ, neg. ant. & cons. Nam, ut dicebamus, intellectus Dei videt necessariò essentias rerum per scientiam simplicis intelligentiæ, & in eis voluntas ejus sibi placet, aut displicet, prout ei repræsentantur in illa scientia, per simplicem pariter complacentiam, aut displicentiam; ergo quando intellectus Dei repræsentat voluntati suæ suam bonitatem ut purè amabilem, non potest ejus voluntas non sibi complacere in ejus amore, & displicere in ejus

odio,

odio, quia necessariò se conformat suo intellectui, & scientiæ suæ; & sicut in speculabilibus illa non potest facere, quin prima principia sint vera, ita nec in moralibus, quòd non sint recta.

Inst. 1. Si voluntas Dei non esset libera circa illa objecta, sed necessariò vellet ea, cùm proponuntur recta, aut nollet, cùm proponuntur non recta in genere naturæ, sequeretur, eam determinari ab extra, & à creaturis in suis actibus; sed conf. est falsum; nam sic dependeret ab eis in suo operari; ergo &c. Prob. maj. necessitas opponitur contingentiæ; sed vellet illa objecta necessariò, & determinaretur ab eisdem ad ea sic volenda, aut nolenda; ergo &c.

Resp. neg. utramque maj. Nam sic determinaretur ab intrinseco, sc. à sua propria rectitudine essentiali, qua Deus est, non verò ab ullo objecto creato, nisi terminativè.

Inst. 2. Sequeretur, Dei voluntatem non esse primum principium efficiens omnis entis, nec omnia pendere ab ipsa; sed conf. est falsum; ergo &c. Prob. maj. rectitudines illæ essent à se ipsis, & antecedenter ad volitionem, aut nolitionem ejus; ergo non dependerent à Dei voluntate, nec ipsa esset principium efficiens earum.

Resp. dist. maj. & ant. prob. non esse primum principium formale quoad essentiam, con. primum efficiens quoad existentiam earum, neg. maj. & ant. Nam sicut essentiæ rerum non pendent à Dei voluntate formaliter; nam in hoc sunt necessariæ, & æternæ veritatis, benè verò quoad existentiam, & contingentiam, ita actus illi, qui sunt essentialiter recti, aut mali, quoad formalem, seu essentialem bonitatem, aut malitiam habent eam à se in genere naturę; quoad existentiam verò, & in genere moris eam habent ab intellectu divino, & voluntate.

Inst. 3. Intellectus divinus cognoscit hanc propositionem, *ignis est calidus*, non quia ipsa est in se vera, sed quia ipse facit eam veram; ergo & voluntas ejus vult aliquid, non quia ipsum est de se bonum, sed quia ipsa facit illud bonum, & odit blasphemiam, non quia est de se mala, sed quia prohibet eam ut malam, & hæc fit mala formaliter per eam prohibitionem, & quidem liberè, cùm sit volitio ad extra.

Prob.

Prob. maj. Nam scientia Dei simul cum voluntate est causa rerum ad extra.

Resp. ut suprà, dist. ant. quoad existentiam, & in genere causæ efficientis, con. formaliter, seu in genere causæ formalis, neg. ant. Nam licèt veritas illius propositionis efficienter pendeat ab intellectu divino; formaliter tamen eam habet ex suis terminis; & sic scientia Dei cum voluntate est causa rerum omnium quoad existentiam, non verò formaliter, & quoad essentiam.

Objic. 2. Deus est liber in actibus suis ad extra; sed lex prohibens blasphemiam, aut mendacium est actus ad extra; ergo est libera; ergo Deus posset non prohibere illa, aut etiam permittere.

Resp. dist. min. Lex prohibens in tempore per imperium positivum, & revelatum, con. per actum internum intellectus, & voluntatis, quo improbat mendacium, & sibi in eo displicet, neg. min. & utramque cons.

Inst. 1. Si non essent præcepta 1. Tabulæ, non teneremur diligere Deum, nec peccaremus per odium ejus; sed potuit Deus non illa dare; ergo potuit non prohibere illud odium.

Resp. dist. maj. Non peccaremus ex eo capite, seu contra legem positivam, con. contra legem naturalem, & æternam, neg. maj. & cons. quia lex æterna, & naturalis semper obligarent in his, quorum bonitas, aut malitia est per se nota, ut malitia odii Dei.

Inst. 2. Nom implicat, odium Dei esse bonum; ergo nec implicat, Deum illud præcipere. Prob. ant. odium Dei, & bonitas non opponuntur contradictoriè; ergo &c. Prob. ant. Nam bonitas opponitur tantùm perfectioni, & appetibilitati; odium verò est nolitio existentiæ Dei; sed hæ oppositiones non sunt contradictionis, seu non important affirmationem, & negationem ejusdem formalitatis de eadem re; ergo, &c.

Resp. neg. 1. ant. & dist. 2. Non opponuntur contradictoriè, directè, & explicitè, con. indirectè, & implicitè, neg. ant, & cons. Nam cùm Deus sit omne bonum & fons totius boni, extra quem nihil bonum, actus odii, seu nolitio existentiæ Dei est nolitio, & negatio boni; ergo opponitur bono contradictoriè.

Colligis ergo, difformitatem ad legem esse de essentia peccati, ita ut, si impossibile, nulla esset lex prohibens, nullum esset peccatum formaliter, & in genere moris, sed tantùm in genere naturæ, & fundamentaliter, seu initiativè, non formaliter.

QUÆSTIO IV.

An de ratione peccati sit esse aversionem à Deo, & offensam ejus.

JAm diximus, peccatum describi à multis, quòd *sit aversio à Deo, & conversio ad creaturam, aut aversio à bono incommutabili*, ut ait August. [1] & quòd formaliter malitia ejus moralis consistat in eo, quòd sit contra legem Dei æternam: sed specialiùs id placet examinare, ut sciamus, quid sit illa aversio, & conversio; & an necessariò reperiatur in omni peccato? & indè licebit concludere, an omne peccatum sit formaliter offensa Dei, vel saltem virtualiter?

Scotus [2] notat, quòd duplex est aversio à Deo, *formalis, & virtualis*, illa respicit Deum directè, & in se immediatè; ista in aliqua re ad illum spectante: ut qui odit proximum virtualiter avertitur à Deo, ad quem non possumus tendere ut in finem, quamdiu odimus proximum, quem Deus jubet amari. Rursus *aversio formalis* est vel *positiva*, ut odium Dei per actum positivum, vel *negativa*, ut omissio actus amoris Dei, quando præcipitur, & deberet haberi actu. His suppositis, certum est, non omne peccatum esse formaliter, nec positivè, nec negativè aversionem à Deo, quia non semper includit formale, & explicitum odium Dei. Nam semper quoties peccamus, non urget præceptum amoris Dei expliciti, & formalis ad hoc, ut omne peccatum nostrum includat aversionem formalem illam negativam. Quæstio ergo principaliter agit de aversione virtuali, & implicita, an sc. contineatur essentialiter in omni peccato.

CON-

[1] *Lib. ar.* 16. [2] 2. *d.* 37. *C. n.* 8.

CONCLUSIO.

Omne peccatum mortale includit aliquam aversionem à Deo, & est offensa Dei. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto citato, [1] qui sic probat. *Prima aversio* (sc. formalis) *secundum se est ejusdem rationis, nec includitur formaliter in omni peccato; odium enim Dei est speciale peccatum*. At 2. modo *Aversio* (sc. virtualis) *est communis omni peccato mortali; quia in omni tali peccato voluntas inordinatè se habet respectu alicujus necessarii ad finem. Unde autem est illud necessarium? dico, quod à voluntate divina præcipiente illud observari, cùm dicit, si vis ad vitam ingredi, serva mandata, non ab alio syllogismo practico* ... (hominis) *a Deo est essentialis ratio omnis peccati*, & habes hic totam conclusionem.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus citatis in præcedenti quæstione. Nam ex illis constat, omne peccatum esse transgressionem legis æternæ. Et id etiam expressius dicitur apud Prophetam; [2] *Duo enim mala fecit populus meus me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*. (Ecce aversionem) *& foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam* (Ecce aversionem) &c.

Confir. ex Patribus, qui in peccato reperiunt multas malitias, & deordinationes, non solùm *aversionis*, à Deo, à quo peccando recedit, & *conversionis* ad creaturam, quam præponit Deo; sed etiam *ingratitudinis* erga Deum beneficum, *rebellionis* in dominum supremum, *inobedientiæ* in præceptorem, & legislatorem, *injustitiæ*, & *iniquitatis* in eum, cui debitum obsequium, & cultum negat, *superbiæ*, cùm illi se vult æquare, aut præferri. Nam, inquit Scotus [3] post S. Anselmum, *Omnis peccans vult rapere æqualitatem Dei. Imò vult esse major Deo in eo, quod vult voluntatem suam præferri voluntati Dei, non obediendo voluntati ejus*, &c. sc. interpretativè, non autem formaliter.

Prob. 3. ex dictis supra. Nam omne peccatum est formaliter contra legem æternam Dei; ergo est offensa

[1] *Ibid.* [2] *Jerem.* 2.
[3] 2.*d*.21.*q*.2.1.*n*.5.

fenfa Dei; non enim poteft violari lex Dei fine ejus injuria, & offenfa.

Prob. 4. Omne peccatum eft vel pura averfio à Deo, ut odium Dei; vel inordinata converfio ad creaturam; fed de primo non dubitatur, quin fit averfio à Deo, nec de fecundo; nam motus, & acceffus ad terminum *ad quem* eft receffus à termino *à quo*; ergo converfio ad creaturam, faltem indebita, & inordinata eft averfio à Deo; & in hac averfione confiftit formale peccati; materiale verò in converfione ad creaturam; hæc enim caret peccato, fi fit fine illa averfione, ut cùm diligitur proximus propter Deum.

Objic. Ut quis offendat Deum peccando, v. g. furando, vel adulterando, debet agnofcere Deum, & legem ejus prohibentem illos actus; fed poffunt committi tales actus cum ignorantia etiam invincibili Dei, & legis ejus; ergo omne peccatum non eft offenfa Dei. Prob. maj. nam ignorantia invincibilis legis excufat à peccato; quia tollit voluntarium. Prob. etiam min. quia multi de facto enutriti in fylvis, qui nunquam audierunt de Deo, ipfum penitus ignorant, & leges omnes ejus, & fortè ipfam legem naturæ.

Refp. neg. min. Nam, ut diximus in tr. de Deo, & de legibus, non datur in homine ratione utente ignorantia illa Dei, & legis naturæ, quæ pendet, & manat à lege Dei æterna, & ideò forte damnata fuit nuper hæc propofitio; [1] *Peccatum philofophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum ignorat, vel qui de Deo nihil cogitat, eft grave peccatum, fed non eft offenfa Dei, neque peccatum mortale diffolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum*. Etenim non videtur poffe peccari contra rectam rationem, & legem naturalem fine cognitione, & advertentia ad illam, ut regulam morum, & rectitudinis; nec ifta poteft agnofci fufficienter ad grave peccatum, quin agnofcatur Deus ut auctor naturæ, & omnis rectitudinis, & finis ejus ultimus; ergo nec peccari contra rectam rationem, feu legem naturalem, quin peccetur contra Deum, & quin offendatur Deus. Et certè non poteft violari lex naturalis, cujus eft prima regu-

[1] 24. *Augufti*. 1690.

regula, & auctor, quin & ipsemet auctor offendatur.

Objic. 2. ex Scriptura. *Si peccaveris, quid ei nocebis, & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum*; ergo peccatum non est injuria, vel offensa Dei.

Resp. neg. conf. Nam per hoc significabat ille amicus Job, [1] quòd peccata nostra non nocent Deo, licèt iis offendatur in ordine ad vindictam de peccantibus sumendam. Felicitas, & gloria ejus in se est inalterabilis, sed in affectu peccantis læditur ejus gloria, & dominium, & auctoritas, & bonitas, &c.

Objic. 3. Peccatum originale, & veniale sunt verè peccata; sed in h s non sunt illæ rationes offensæ Dei; ergo ratio offensæ Dei non est de essentia omnis peccati. Prob. min. Nam in infantibus est peccatum originale, qui non sunt capaces offendendi; & veniale non tollit gratiam, & amicitiam Dei; ergo &c.

Resp. dist. min. Originale non offendit in persona, seu offensa personali, & veniale non offendit graviter ad tollendam prorsus amicitiam, & gratiam, con. non offendit in capite, sc. in Adamo, nec veniale offendit leviter, & venialiter, neg. min. & conf. Nam peccatum, quod infantes contrahunt ab Adamo, in ipso offenderunt graviter; & veniale displicet Deo, licèt non usque ad dirimendam ejus amicitiam, ex ejus benignitate, ut dicemus.

Objic. 4. Qui odit proximum non convertitur ad creaturam, sed avertitur; ergo non omne peccatum est conversio ad creaturam.

Resp. 1. dist. ant. Non convertitur ad eam, quam odit, con. ad eam, cujus occasione istam odit, neg. ant. & conf. Nam semper ad aliquam convertitur, & maximè ad seipsum, ut satisfaciat suæ passioni, & appetitui; & hoc saltem implicitè, & interpretativè. 2. Prætera non prætendimus, semper inesse conversionem illam formaliter, & explicitè.

Quæres, *an malitia peccati sit infinita, saltem ratione offensæ Dei.*

Resp. breviter pro nunc, non esse infinitam aliter, quàm bonitas meriti, sc. extrinsecè. Sed de hoc dicemus alias.

QUÆ-

[1] *Job.* 35.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo peccatum opponatur naturæ, virtuti, & gratiæ sanctificanti.

QUia definitur peccatum per privationem bonitatis, videndum, qualem bonitatem tollat? Et certè jam patet ex dictis, illud esse privationem rectitudinis, seu conformitatis ad legem æternam Dei, aut etiam ad positivam; sed quia etiam dicitur contrarium naturæ rationali, & virtuti, & privare hominem gratia Dei, videndum, an, & quomodo hæc intelligenda sint? quæ breviter expediemus.

CONCLUSIO I.

P*Eccatum non est formaliter corruptio, seu privatio boni naturæ; dici tamen potest aliquo sensu contra naturam*. Est communis.

Prob. 1.p. ex Scoto. [1] *Cùm illud bonum, in quo est peccatum, sit finitum, per ablationem alicujus boni finiti ab eo aliquoties factam totaliter consumitur*, &c. sc. si per singula peccata aliquid de substantia animæ rationalis, aut voluntatis, aut totius naturæ hominis peccatoris destrueretur, tandem corrumperetur tota anima, vel totus homo; sed conseq. est falsum, & contra experientiam. ergo &c. Idem docet [2] in Repor. ibid. n.7. *Peccatum non corrumpit aliquid naturale, quod est intrinsecum naturæ*, quia secundum Dionysium naturalia in damnatis manent splendidissima.

Confir. Nam si per peccatum corrumpitur natura, hoc fit vel quoad corpus, vel quoad animam, vel quoad utrumque; sed nullum horum dici potest; ergo nullo modo corrumpitur. Prob. min. 1. non corpus, quia plura peccata possent prodesse corpori. 2. non anima; nam ipsa est indivisibilis, & incorruptibilis in sua substantia, & potentiis. 3. non utrum-

[1] 2.d.15.E.n.15.& d.37.n.1.
[2] Div.num.4.

utrumque, quia non destruitur compositum, nisi per partes, ergo cùm non corrumpantur partes, ita nec compositum, nec totus homo.

Prob. 2. ex eodem, quia res non corrumpuntur, nisi per contraria; sed malum culpæ non opponitur naturæ; ergo &c.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto [1] *Potest considerari voluntas in actu 2. & sic nata est habere modum, & speciem, & ordinem in actu 2. & ista tria possunt corrumpi manente voluntate in actu 1. integra quantum ad naturalia*; ergo peccatum, quatenùs excedit modum, turbat ordinem, & speciem, ad quam inclinatur voluntas naturaliter, dici potest contra naturam, & maximè contra naturam rationalem, morali oppositione, non physica. Item, *Duplex est inclinatio naturalis, una ad commodum, alia ad justum, seu honestum, quarum utraque est perfectio voluntatis liberæ, & quamvis prima sit immediatior, tamen potest esse inclinatio naturalis, & ad justum*; ergo licèt peccatum non semper sit contra inclinationem ad commodum; est tamen semper contra inclinationem naturalem hominis ad justum, & honestum.

Confirm. ex August. [2] *Omne vitium eo ipso, quo vitium est, contra naturam est*, sc. contra naturam rationalem, quæ dictat, bonum honestum esse amandum, & inhonestum fugiendum. Idem censent alii Patres.

Prob. 2. Nam omne peccatum repugnat rectæ rationi, ergo & naturæ hominis, quatenus est rationalis, eamque dehonestat, & privat debitis perfectionibus etiam naturalibus in ordine ad suum finem; sicut virtus perficit naturam nostram, ut rationalis est. Nam ut rationalis inclinatur ad bonum virtutis, quod est bonum honestum.

Quædam autem sunt peccata specialiter dicta *contra naturam*, sicut & quædam dicuntur naturalia. Ista sic dicuntur, quia sunt conformia inclinationi appetitus sensitivi, qui respicit bona delectabilia sensuum, & quoad hoc opponitur parti rationali, seu superiori, dicente Apostolo: *Caro concupiscit adversus spiritum*; sed inclinatio nobis est communis cum bestiis, nec propria est naturæ nostræ, ut rationalis est. Alia

[1] *ibid.* [2] 3. *lib. arb.* 13.

dium, quia est liber ad extra; sed præcisa prohibitione, illud odium non esset peccatum; ergo posset haberi licitè, & sine peccato.

Resp. neg. 1. maj. & dist. 2. Non prohibere positivè, & ad extra, con. ad intra per legem æternam, & naturalem, neg. maj. & sic dist. min. præcisa lege tam æterna, & naturali, quàm externa, & positiva, con. præcisa sola externa, & positiva, neg. min. & cons. cùm nec error, nec deviatio à rectitudine cadat in Deum, necessariò videt, & improbat odium sui; quia se cognoscit necessariò ut summum bonum, & purè amabilem, & eadem necessitate sibi complacet in amore sui, & displicet in odio; & in hoc consistit lex æterna, & ad intra, quæ manet in nobis cum lumine rationis: posset autem non dare de hoc legem positivam ad extra, qualem dedit in lege scripta.

Inst. In his, quæ Deus improbat, & quæ illi necessariò displicent per legem æternam, debet esse aliqua malitia, quæ non est in iis, quæ liberè prohibet per legem positivam; sed hæc malitia non potest esse alia, quàm moralis; quia Deus nihil odit necessariò præter peccatum, quod est malum morale; ergo est intrinseca illis objectis, non verò istis.

Resp. neg. min. & rationem ejus. Nam odit etiam necessariò inhonestatem naturalem, seu in genere naturæ, qualis est malitia odii Dei, mendacii, blasphemiæ, & aliorum actuum, qui opponuntur præceptis 1. tabulæ, & primis principiis moralibus, ut diximus tr. de legibus.

CONCLUSIO II.

Licèt peccatum accipiat suam malitiam formalem, & moralem ex difformitate ad legem divinam, non sequitur, quòd Deus possit permittere actus intrinsecè malos, ut odium Dei, blasphemiam, & similes actus.

Prob. 1. ex Scoto citato ubi de dispensatione legis naturæ. Nam, inquit, *aliqua possunt dici esse de lege naturæ dupliciter; uno modo, tanquam prima principia practica nota ex terminis,* (ut bonum est amandum) *vel conclusiones necessariò sequentes ex eis,* (ut

Deus

Deus est amandus) *Et hæc dicuntur esse strictissimè de lege naturæ, & rationes contra primam opinionem probant, quòd in talibus non potest esse dispensatio, quas concedo* &c. sed hæ conclusiones, *Deus est amandus, non est odiendus, est adorandus, & non est blasphemandus*, sequuntur necessariò ex primis principiis practicis, v. g. bonum est amandum; ergo Deus non potest permittere sui odium, vel contemptum, aut blasphemiam.

Prob. 2. ex præcedenti. Nam præcisa omni lege, odium Dei, blasphemia, mendacium sunt ex natura sua prohibenda, & mala in genere naturæ, & essentialiter deviant ab ultimo fine; sed Deus non potest mutare essentias rerum, non potest non videre, quòd deviant ab ultimo fine; ergo non potest illos actus non improbare, nec illos nolle, tantùm abest, ut possit approbare, aut permittere. Prob. min. Deus non potest videre, aut velle, quòd homo non sit animal rationale: (Et sic de aliis essentiis rerum naturalium) non potest non videre, se esse purè, & summè bonum, & finem ultimum rerum omnium; ergo nec potest non videre, & improbare odium sui, quod supponit in eo aliquid fugiendum, & malum, & quod avertit essentialiter ab illo ut fine.

Objic. 1. Quidquid est bonum extra Deum, dicitur tale, quia est volitum à Deo, & quidquid est malum, ideò est tale, quia est nolitum, seu prohibitum à Deo; ergo odium Dei est malum præcisè ob prohibitionem divinam; sed omnis volitio, & nolitio Dei ad extra est libera, & contingens; ergo potest non esse; ergo nolitio odii Dei in creaturis posset non prohiberi; ergo & posset non esse malum.

Resp. dist. ant. Quidquid est bonum, & malum in genere moris, & formaliter, con. bonum, & malum in genere naturæ, neg. ant. & cons. Nam, ut dicebamus, intellectus Dei videt necessariò essentias rerum per scientiam simplicis intelligentiæ, & in eis voluntas ejus sibi placet, aut displicet, prout ei repræsentantur in illa scientia, per simplicem pariter complacentiam, aut displicentiam; ergo quando intellectus Dei repræsentat voluntati suæ suam bonitatem ut purè amabilem, non potest ejus voluntas non sibi complacere in ejus amore, & displicere in ejus

odio,

odio, quia necessariò se conformat suo intellectui, & scientiæ suæ; & sicut in speculabilibus illa non potest facere, quin prima principia sint vera, ita nec in moralibus, quòd non sint recta.

Inst. 1. Si voluntas Dei non esset libera circa illa objecta, sed necessariò vellet ea, cùm proponuntur recta, aut nollet, cùm proponuntur non recta in genere naturæ, sequeretur, eam determinari ab extra, & à creaturis in suis actibus; sed conf. est falsum; nam sic dependeret ab eis in suo operari; ergo &c. Prob. maj. necessitas opponitur contingentiæ; sed vellet illa objecta necessariò, & determinaretur ab eisdem ad ea sic volenda, aut nolenda; ergo &c.

Resp. neg. utramque maj. Nam sic determinaretur ab intrinseco, sc. à sua propria rectitudine essentiali, qua Deus est, non verò ab ullo objecto creato, nisi terminativè.

Inst. 2. Sequeretur, Dei voluntatem non esse primum principium efficiens omnis entis, nec omnia pendere ab ipsa; sed conf. est falsum; ergo &c. Prob. maj. rectitudines illæ essent à se ipsis, & antecedenter ad volitionem, aut nolitionem ejus; ergo non dependerent à Dei voluntate, nec ipsa esset principium efficiens earum.

Resp. dist. maj. & ant. prob. non esse primum principium formale quoad essentiam, con. primum efficiens quoad existentiam earum, neg. maj. & ant. Nam sicut essentiæ rerum non pendent à Dei voluntate formaliter; nam in hoc sunt necessariæ, & æternæ veritatis, benè verò quoad existentiam, & contingentiam, ita actus illi, qui sunt essentialiter recti, aut mali, quoad formalem, seu essentialem bonitatem, aut malitiam habent eam à se in genere naturę; quoad existentiam verò, & in genere moris eam habent ab intellectu divino, & voluntate.

Inst. 3. Intellectus divinus cognoscit hanc propositionem, *ignis est calidus*, non quia ipsa est in se vera, sed quia ipse facit eam veram; ergo & voluntas ejus vult aliquid, non quia ipsum est de se bonum, sed quia ipsa facit illud bonum, & odit blasphemiam, non quia est de se mala, sed quia prohibet eam ut malam, & hæc fit mala formaliter per eam prohibitionem, & quidem liberè, cùm sit volitio ad extra.

Prob.

Prob. maj. Nam ſcientia Dei ſimul cum voluntate eſt cauſa rerum ad extra.

Reſp. ut ſuprà, diſt. ant. quoad exiſtentiam, & in genere cauſæ efficientis, con. formaliter, ſeu in genere cauſæ formalis, neg. ant. Nam licèt veritas illius propoſitionis efficienter pendeat ab intellectu divino; formaliter tamen eam habet ex ſuis terminis; & ſic ſcientia Dei cum voluntate eſt cauſa rerum omnium quoad exiſtentiam, non verò formaliter, & quoad eſſentiam.

Objic. 2. Deus eſt liber in actibus ſuis ad extra; ſed lex prohibens blaſphemiam, aut mendacium eſt actus ad extra; ergo eſt libera; ergo Deus poſſet non prohibere illa, aut etiam permittere.

Reſp. diſt. min. Lex prohibens in tempore per imperium poſitivum, & revelatum, con. per actum internum intellectus, & voluntatis, quo improbat mendacium, & ſibi in eo diſplicet, neg. min. & utramque conſ.

Inſt. 1. Si non eſſent præcepta 1. Tabulæ, non teneremur diligere Deum, nec peccaremus per odium ejus; ſed potuit Deus non illa dare; ergo potuit non prohibere illud odium.

Reſp. diſt. maj. Non peccaremus ex eo capite, ſeu contra legem poſitivam, con. contra legem naturalem, & æternam, neg. maj. & conſ. quia lex æterna, & naturalis ſemper obligarent in his, quorum bonitas, aut malitia eſt per ſe nota, ut malitia odii Dei.

Inſt. 2. Nom implicat, odium Dei eſſe bonum; ergo nec implicat, Deum illud præcipere. Prob. ant. odium Dei, & bonitas non opponuntur contradictoriè; ergo &c. Prob. ant. Nam bonitas opponitur tantùm perfectioni, & appetibilitati; odium verò eſt nolitio exiſtentiæ Dei; ſed hæ oppoſitiones non ſunt contradictionis, ſeu non important affirmationem, & negationem ejuſdem formalitatis de eadem re; ergo, &c.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. Non opponuntur contradictoriè, directè, & explicitè, con. indirectè, & implicitè, neg. ant, & conſ. Nam cùm Deus ſit omne bonum & fons totius boni, extra quem nihil bonum, actus odii, ſeu nolitio exiſtentiæ Dei eſt nolitio, & negatio boni; ergo opponitur bono contradictoriè.

con-

Colligis ergo, difformitatem ad legem esse de essentia peccati, ita ut, si impossibile, nulla esset lex prohibens, nullum esset peccatum formaliter, & in genere moris, sed tantùm in genere naturæ, & fundamentaliter, seu initiativè, non formaliter.

QUÆSTIO IV.

An de ratione peccati sit esse aversionem à Deo, & offensam ejus.

JAm diximus, peccatum describi à multis, quòd *sit aversio à Deo, & conversio ad creaturam, aut aversio à bono incommutabili*, ut ait August.[1] & quòd formaliter malitia ejus moralis consistat in eo, quòd sit contra legem Dei æternam: sed specialiùs id placet examinare, ut sciamus, quid sit illa aversio, & conversio; & an necessariò reperiatur in omni peccato? & indè licebit concludere, an omne peccatum sit formaliter offensa Dei, vel saltem virtualiter?

Scotus[2] notat, quòd duplex est aversio à Deo, *formalis, & virtualis*, illa respicit Deum directè, & in se immediatè; ista in aliqua re ad illum spectante: ut qui odit proximum virtualiter avertitur à Deo, ad quem non possumus tendere ut in finem, quamdiu odimus proximum, quem Deus jubet amari. Rursus *aversio formalis* est vel *positiva*, ut odium Dei per actum positivum, vel *negativa*, ut omissio actus amoris Dei, quando præcipitur, & deberet haberi actu. His suppositis, certum est, non omne peccatum esse formaliter, nec positivè, nec negativè aversionem à Deo, quia non semper includit formale, & explicitum odium Dei. Nam semper quoties peccamus, non urget præceptum amoris Dei expliciti, & formalis ad hoc, ut omne peccatum nostrum includat aversionem formalem illam negativam. Quæstio ergo principaliter agit de aversione virtuali, & implicita, an sc. contineatur essentialiter in omni peccato.

CON-

[1] *Lib. ar. 16.* [2] *2. d. 37. C. n. 8.*

CONCLUSIO.

O*Mne peccatum mortale includit aliquam aversionem à Deo, & est offensa Dei.* Est communior.

Prob. 1. ex Scoto citato, [1] qui sic probat. *Prima aversio* (sc. formalis) *secundum se est ejusdem rationis, nec includitur formaliter in omni peccato; odium enim Dei est speciale peccatum.* At 2. modo *Aversio* (sc. virtualis) *est communis omni peccato mortali; quia in omni tali peccato voluntas inordinatè se habet respectu alicujus necessarii ad finem. Unde autem est illud necessarium? dico, quod à voluntate divina præcipiente illud observari, cùm dicit, si vis ad vitam ingredi, serva mandata, non ab alio syllogismo practico...* (hominis) *à Deo est essentialis ratio omnis peccati*, & habes hic totam conclusionem.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus citatis in præcedenti quæstione. Nam ex illis constat, omne peccatum esse transgressionem legis æternæ. Et id etiam expressius dicitur apud Prophetam; [2] *Duo enim mala fecit populus meus me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* (Ecce aversionem) *& foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam* (Ecce aversionem) &c.

Confir. ex Patribus, qui in peccato reperiunt multas malitias, & deordinationes, non solùm *aversionis*, à Deo, à quo peccando recedit, & *conversionis* ad creaturam, quam præponit Deo; sed etiam *ingratitudinis* erga Deum beneficum, *rebellionis* in dominum supremum, *inobedientiæ* in præceptorem, & legislatorem, *injustitiæ*, & *iniquitatis* in eum, cui debitum obsequium, & cultum negat, *superbiæ*, cùm illi se vult æquare, aut præferri. Nam, inquit Scotus [3] post S. Anselmum, *Omnis peccans vult rapere æqualitatem Dei. Imò vult esse major Deo in eo, quod vult voluntatem suam præferri voluntati Dei, non obediendo voluntati ejus*, &c. sc. interpretativè, non autem formaliter.

Prob. 3. ex dictis supra. Nam omne peccatum est formaliter contra legem æternam Dei; ergo est offensa

[1] *Ibid.* [2] *Jerem.* 2.
[3] 2.*d.*21.*q.*2.1.*n.* 5.

fensa Dei; non enim potest violari lex Dei sine ejus injuria, & offensa.

Prob. 4. Omne peccatum est vel pura aversio à Deo, ut odium Dei; vel inordinata conversio ad creaturam; sed de primo non dubitatur, quin sit aversio à Deo, nec de secundò; nam motus, & accessus ad terminum *ad quem* est recessus à termino *à quo*; ergo conversio ad creaturam, saltem indebita, & inordinata est aversio à Deo; & in hac aversione consistit formale peccati; materiale verò in conversione ad creaturam; hæc enim caret peccato, si sit sine illa aversione, ut cùm diligitur proximus propter Deum.

Objic. Ut quis offendat Deum peccando, v. g. furando, vel adulterando, debet agnoscere Deum, & legem ejus prohibentem illos actus; sed possunt committi tales actus cum ignorantia etiam invincibili Dei, & legis ejus; ergo omne peccatum non est offensa Dei. Prob. maj. nam ignorantia invincibilis legis excusat à peccato; quia tollit voluntarium. Prob. etiam min. quia multi de facto enutriti in sylvis, qui nunquam audierunt de Deo, ipsum penitus ignorant, & leges omnes ejus, & fortè ipsam legem naturæ.

Resp. neg. min. Nam, ut diximus in tr. de Deo, & de legibus, non datur in homine ratione utente ignorantia illa Dei, & legis naturæ, quæ pendet, & manat à lege Dei æterna, & ideò forte damnata fuit nuper hæc propositio; [1] *Peccatum philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum ignorat, vel qui de Deo nihil cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum*. Etenim non videtur posse peccari contra rectam rationem, & legem naturalem sine cognitione, & advertentia ad illam, ut regulam morum, & rectitudinis; nec ista potest agnosci sufficienter ad grave peccatum, quin agnoscatur Deus ut auctor naturæ, & omnis rectitudinis, & finis ejus ultimus; ergo nec peccari contra rectam rationem, seu legem naturalem, quin peccetur contra Deum, & quin offendatur Deus. Et certè non potest violari lex naturalis, cujus est prima regu-

[1] 24. *Augusti*. 1690.

regula, & auctor, quin & ipsemet auctor offendatur.

Objic. 2. ex Scriptura. *Si peccaveris, quid ei nocebis, & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum*; ergo peccatum non est injuria, vel offensa Dei.

Resp. neg. cons. Nam per hoc significabat ille amicus Job, [1] quòd peccata nostra non nocent Deo, licèt iis offendatur in ordine ad vindictam de peccantibus sumendam. Felicitas, & gloria ejus in se est inalterabilis, sed in affectu peccantis læditur ejus gloria, & dominium, & auctoritas, & bonitas, &c.

Objic. 3. Peccatum originale, & veniale sunt verè peccata; sed in his non sunt illæ rationes offensæ Dei; ergo ratio offensæ Dei non est de essentia omnis peccati. Prob. min. Nam in infantibus est peccatum originale, qui non sunt capaces offendendi; & veniale non tollit gratiam, & amicitiam Dei; ergo &c.

Resp. dist. min. Originale non offendit in persona, seu offensa personali, & veniale non offendit graviter ad tollendam prorsus amicitiam, & gratiam, con. non offendit in capite, sc. in Adamo, nec veniale offendit leviter, & venialiter, neg. min. & cons. Nam peccatum, quod infantes contrahunt ab Adamo, in ipso offenderunt graviter; & veniale displicet Deo, licèt non usque ad dirimendam ejus amicitiam, ex ejus benignitate, ut dicemus.

Objic. 4. Qui odit proximum non convertitur ad creaturam, sed avertitur; ergo non omne peccatum est conversio ad creaturam.

Resp. 1. dist. ant. Non convertitur ad eam, quam odit, con. ad eam, cujus occasione istam odit, neg. ant. & cons. Nam semper ad aliquam convertitur, & maximè ad seipsum, ut satisfaciat suæ passioni, & appetitui; & hoc saltem implicitè, & interpretativè. 2. Prætera non prætendimus, semper inesse conversionem illam formaliter, & explicitè.

Quæres, *an malitia peccati sit infinita, saltem ratione offensæ Dei*.

Resp. breviter pro nunc, non esse infinitam aliter, quàm bonitas meriti, sc. extrinsecè. Sed de hoc dicemus aliàs.

QUÆ-

[1] *Job.* 35.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo peccatum opponatur naturæ, virtuti, & gratiæ sanctificanti.

QUia definitur peccatum per privationem bonitatis, videndum, qualem bonitatem tollat? Et certè jam patet ex dictis, illud esse privationem rectitudinis, seu conformitatis ad legem æternam Dei, aut etiam ad positivam; sed quia etiam dicitur contrarium naturæ rationali, & virtuti, & privare hominem gratia Dei, videndum, an, & quomodo hæc intelligenda sint? quæ breviter expediemus.

CONCLUSIO I.

P*Eccatum non est formaliter corruptio, seu privatio boni naturæ; dici tamen potest aliquo sensu contra naturam*. Est communis.

Prob. 1.p. ex Scoto. [1] *Cùm illud bonum, in quo est peccatum, sit finitum, per ablationem alicujus boni finiti ab eo aliquoties factam totaliter consumitur*, &c. sc. si per singula peccata aliquid de substantia animæ rationalis, aut voluntatis, aut totius naturæ hominis peccatoris destrueretur, tandem corrumperetur tota anima, vel totus homo; sed conseq. est falsum, & contra experientiam. ergo &c. Idem docet [2] in Repor. ibid.n.7. *Peccatum non corrumpit aliquid naturale, quod est intrinsecum naturæ*, quia secundum Dionysium naturalia in damnatis manent splendidissima.

Confir. Nam si per peccatum corrumpitur natura, hoc fit vel quoad corpus, vel quoad animam, vel quoad utrumque; sed nullum horum dici potest; ergo nullo modo corrumpitur. Prob. min. 1. non corpus, quia plura peccata possent prodesse corpori. 2. non anima; nam ipsa est indivisibilis, & incorruptibilis in sua substantia, & potentiis. 3. non utrum-

[1] *2.d.15.E.n.15.& d.37.n.1.*
[2] *Div.num.4.*

utrumque, quia non destruitur compositum, nisi per partes, ergo cùm non corrumpantur partes, ita nec compositum; nec totus homo.

Prob.2. ex eodem, quia res non corrumpuntur, nisi per contraria; sed malum culpæ non opponitur naturæ; ergo &c.

Prob. 2.p.1.ex Scoto [1] *Potest considerari voluntas in actu 2. & sic nata est habere modum, & speciem, & ordinem in actu 2. & ista tria possunt corrumpi manente voluntate in actu* 1. *integra quantum ad naturalia*; ergo peccatum, quatenùs excedit modum, turbat ordinem, & speciem, ad quam inclinatur voluntas naturaliter, dici potest contra naturam, & maximè contra naturam rationalem, morali oppositione, non physica. Item, *Duplex est inclinatio naturalis, una ad commodum, alia ad justum, seu honestum, quarum utraque est perfectio voluntatis liberæ, & quamvis prima sit immediatior, tamen potest esse inclinatio naturalis, & ad justum*; ergo licèt peccatum non semper sit contra inclinationem ad commodum; est tamen semper contra inclinationem naturalem hominis ad justum, & honestum.

Confirm. ex August. [2] *Omne vitium eo ipso, quo vitium est, contra naturam est*, sc. contra naturam rationalem, quæ dictat, bonum honestum esse amandum, & inhonestum fugiendum. Idem censent alii Patres.

Prob. 2. Nam omne peccatum repugnat rectæ rationi, ergo & naturæ hominis, quatenus est rationalis, eamque dehonestat, & privat debitis perfectionibus etiam naturalibus in ordine ad suum finem; sicut virtus perficit naturam nostram, ut rationalis est. Nam ut rationalis inclinatur ad bonum virtutis, quod est bonum honestum.

Quædam autem sunt peccata specialiter dicta *contra naturam*, sicut & quædam dicuntur naturalia. Ista sic dicuntur, quia sunt conformia inclinationi appetitus sensitivi, qui respicit bona delectabilia sensuum, & quoad hoc opponitur parti rationali, seu superiori, dicente Apostolo: *Caro concupiscit adversus spiritum*; sed inclinatio nobis est communis cum bestiis, nec propria est naturæ nostræ, ut rationalis est. Alia

[1] *ibid.* [2] 3. *lib. arb.*13.

verò dicuntur specialiter *contra naturam*, quia non tantùm repugnant rationi, sed etiam ordini, & fini intento à natura, ex lege sui auctoris volentis, ut per actum carnis, v.g. homo generet sibi similem: talia sunt sodomia, bestialitas, pollutio, de quibus dicit Apost. [1] *Fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam; similiter masculi*, &c.

Aliquando etiam vitia dicuntur *naturalia*, quæ ex longa consuetudine, & quasi ab ipsa nativitate contrahuntur, sic de Chananæis dicit Sapiens, quod [2] *nequam est ratio eorum, & naturalis malitia eorum*, quia peccatum à parentibus discebant, & velut cum lacte sugebant. 2. Idem dicitur etiam ob peccatum originale, quod à parentibus contraximus, & quod naturam depravat. 3. idem dicitur ob complexionem, & temperamenti constitutionem, per quam ad certa vitia inclinamur, ut biliosi ad iram, & 4. Idem dicitur de actibus indeliberatis, ut sunt actus, & peccata somniantium, & delirantium, & motus primo primi.

Objic. 1. con. 1. p. ex Scriptura peccator repræsentatur in Samaritano, [3] qui dicitur spoliatus, & vulneratus, semivivus relictus, sc. *vulneratus in naturalibus, & spoliatus in gratuitis*, inquit glossa, & S. Aug. [4] dicit, peccatum esse malum illius boni, in quo est, quia illi nocet, & in Concil. Arausicano II. can. 25. [5] definitur, quòd peccato liberum arbitrium infirmatum est, inclinatum, & attenuatum; ergo peccatum lædit naturam.

Resp. dist. cons. Lædit naturam moraliter, & indirectè, quatenùs per habitus vitiosos, quos actus mali generant, & amissionem gratiæ, quam meretur, redditur anima debilior ad bona opera, conc. læsionibus physicis, quibus aliquid de illius substantia corrumpatur, neg. cons. nec enim id volunt Script. nec Patres, nec Concilium. *Jam natura vulneratur, quando fit inhabilis ad usum rectum, quod fit per crebram carentiam rectitudinis actualis*, ait Dionysius; [6] & hoc sensu dicit, quòd in dæmonibus *naturalia sunt vulnerata*

Objic.

[1] *Rom.* 1. [2] *Sap.* 12. [3] *Luc.* 10. [4] 12. *Civ.* 6. [5] *Can.* 25. [6] *Div. nom.* 4.

Objic.2. Quod præstant vitia corporalia corporibus, id faciunt vitia spiritualia animabus; sed illa corrumpunt physicè corpora, ergo & ista animas.

Resp. neg. maj. Nam vitia corporum sunt positiva, & pravæ qualitates, & quidem physicæ; peccata verò sunt privationes, & quidem morales, quæ non habent causalitatem physicam.

CONCLUSIO II.

Peccatum actuale non est formaliter privatio habituum acquisitorum virtutis, actibus verò virtutis naturalis opponitur etiam physicè, & contrariè. Est *communis*.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hanc quæstionem 3. loco proposuit, & sic resolvit. *Eadem argumenta aliqua concludunt contra justitiam, sive virtutem acquisitam, quia licèt illud non remaneat semper incorruptibile sicut natura, neque per unicum peccatum mortale sicut gratia, tamen peccatum mortale non est semper privatio ejus per se, quia potest stare tam in isto peccante mortaliter, quàm in illo non peccante*, &c.

Prob. 2. quia privatio excludit formam oppositam; sed sæpiùs peccatum non excludit habitum virtutis acquisitæ, ergo peccatum non est formaliter privatio habitus virtutis acquisitæ. Prob. min. tum quia peccans non semper habet habitum acquisitum virtutis oppositæ, ut patet; v.g. cùm quis peccat per luxuriam, non semper habet habitum castitatis oppositæ; ergo peccatum non semper destruit illum: tum quia unus actus luxuriæ non potest destruere totum habitum castitatis per plurimos actus, & annos acquisitum, sed ad summum potest remittere aliquid de illo, sicut unus actus castitatis non destruit totum habitum luxuriæ. Hinc

Prob 3. Forma, & privatio ejus non se compatiuntur in eodem subjecto, sed peccatum luxuriæ, & habitus castitatis v.g. se compatiuntur in eodem subjecto; ergo illud peccatum non est formaliter, seu essentialiter privatio istius habitus. Prob. min. ex dictis. Habens habitum intensissimum castitatis per longissimum tempus, & plurimos actus acquisitum non perdit

[1] *ibid. A. n. 5.*

dit illum per unicum peccatum luxuriæ, ut constat ex ipso lumine naturæ, & per experientiam; alioqui iste non faciliùs resurgeret ab illo peccato, quàm quilibet alius nullum habens habitum talis virtutis; & omnia peccata luxuriæ essent æqualia; consisterent formaliter in eadem privatione per se, quia importarent eandem, & æqualem privationem, quantum est de se.

Dices, eundem habitum manere cum peccato, sed remissiorem, quàm ante peccatum: si habitus erat intensus, ut decem, non erit postea, nisi ut novem, vel octo graduum: & sic unum peccatum erit privatio unius gradus.

Contra. Si Petrus peccet cum decem gradibus, perdet per peccatum unum gradum, sc. decimum, & conservabit novem; ergo in hoc remanebit æquè castus quoad habitum, ac Paulus, qui non peccasset cum novem gradibus; nam Petrus remanebit cum æquali habitu castitatis cum Paulo innocente; Præterea si cum novem gradibus peccet Paulus, non privabitur ullo gradu, quia peccatum mortale luxuriæ non est incompatibile cum habitu novem graduum, ut patet de Petro, in quo post simile peccatum remanent illi novem gradus; ergo non habebit peccatum, quia non habebit formale peccati, sc. privationem habitus virtutis. Unde ex Philosophia patet, quòd unus actus stat cum habitu qualitatis, ac virtutis oppositæ, & vicissim; ergo & actus peccati cum habitu virtutis oppositæ; ergo illud non est formaliter privatio hujus virtutis quoad habitum.

Prob. 2. Nam nolle, & velle idem objectum sunt actus positivi contrarii, & quidem physicè; sed actus odii, & actus charitatis erga proximum sunt velle, & nolle positiva ejusdem objecti; ergo opponuntur physicè, & contrariè. Idem est de actibus temperantiæ, & intemperantiæ; castitatis, & luxuriæ, &c.

Obiic. 1. Actus peccati luxuriæ virtualiter repugnat castitati; ergo formaliter expellit illam. Prob. cons. Actus luxuriæ generat habitum contrarium habitui castitatis, sed habitus luxuriæ corrumpit illum habitum castitatis; ergo actus ille opponitur isti habitui, & expellit formaliter illum.

Resp. neg. cons. & min. prob. Nam actus luxuriæ

(idem

(idem est de aliis) non expellit habitum contrariæ virtutis, nisi efficienter, ut diximus aliàs, sc.quatenus per actus ,ad quos inclinat , generat habitum contrarium , sicut ignis expellit frigus per calorem , quem producit in aqua .

Objic. 2. Si habitus castitatis non corrumperetur immediatè per actum luxuriæ , sed per habitum ejus, duo illi habitus oppositi essent simul in eodem homine: nam non aliter posset expelli castitatis habitus, quin priùs existeret habitus luxuriæ; sed cons. est falsum, imò & impossibile , saltem naturaliter; ergo habitus castitatis expellitur formaliter peccato luxuriæ; ergo peccatum est formaliter privatio virtutis oppositæ.

Resp. n.maj.& rationem ejus . Nam , ut dicebamus aliàs , sicut habitus non generantur, nisi successivè per repetitionem actuum similium , ita nec destruuntur, nisi successivè per repetitos actus , quibus sensim , & gradatim unus intenditur , & contrarius remittitur : illud autem augmentum, seu intensio habitus vitiosi fit effectivè per actus peccaminosos , & per istum expellitur formaliter virtuosus; & ita sunt quidem ambo simul in eodem homine in gradibus remissis; sicut calor,& frigus in aqua tepida,sed non in summo gradu.

CONCLUSIO III.

Peccatum non est privatio physica gratiæ, sed tantùm moralis, & demeritoria , seu *peccatum* , *& gratia non opponuntur, nisi moraliter, seu demeritoriè , sc.quia homo per peccatum demeretur, quòd Deus ab eo gratiam auferat , & aufert de facto*. Est Scotistarum , & aliorum contra Thomistas, & alios.

Prob.1.exScoto . (1) *Eadem argumenta aliqua* (quibus probatur peccatum non lædere naturam) *probant , quòd peccatum non est formaliter privatio gratiæ*. Quod adhuc probat quatuor aliis specialibus argumentis. & alibi sępiùs idem docet .

Prob.2. quia si peccatum , & gratia physicè , & privativè opponerentur, maximè propter effectus oppositos , quia sc. gratia facit hominem justum , amicum Dei,dignum gloria,&c. peccatum verò facit injustum,

R 3 ini-

[1] *ibid.n.4.*

inimicum, dignum inferno, &c. sed hæc ratio non probat oppositionem physicam; ergo non sic opponuntur. Prob. min. Gratia, nec peccatum non faciunt hæc ex natura sua physica, sed moraliter ex ordinatione divina, ut probabitur tr. de gratia; ergo illa oppositio effectuum gratiæ, & peccati non probat oppositionem physicam gratiæ, & peccati, sed tantùm moralem.

Prob. 3. Si opponerentur physicè, & ex natura sua, præcisa ordinatione Dei libera, id esset contrariè, vel contradictoriè, vel privativè, vel relativè; sed nullum horum dici potest; ergo non sic opponuntur. Prob. min. 1. non contrariè; nam peccatum formaliter non est quid positivum, ut probatum est; sed oppositio contraria est inter duo positiva; ergo peccatum, & gratia non opponuntur contrariè. 2. non contradictoriè, quia hæc oppositio est inter formam, & puram negationem formæ; inter formam, & non formam; gratiam, & non gratiam, sed hæc oppositio non est inter gratiam, & non gratiam; nam peccatũ est carentia gratiæ, & rectitudinis in subjecto apto; ergo &c. 3. non privativè; nam priùs est esse peccatum per privationem rectitudinis, & conformitatis ad legem Dei, quàm gratiam expelli, quia hæc privatio est effectus peccati existentis; ergo &c. 4. non denique relativè, quia neutrũm est relativum ad aliud, saltem physicè ex natura sua; ergo &c.

Prob. 4. alia ratione Scoti petita ex productione gratiæ. Nam quod producitur, & conservatur per creationem, & à solo Deo, non potest corrumpi, vel expelli, nisi per annihilationem, & à solo Deo; sed talis est productio, & conservatio gratiæ; ergo à solo Deo potest effectivè annihilari, non verò per peccatum, nec per ullum agens creatum. Min. patebit ex tr. de gratia. Maj. non videtur negari posse. Nam sicut anima rationalis à Deo solo creatur, sic à solo Deo potest annihilari.

Prob. 5. ex eodem. Si peccatum esset formaliter privatio gratiæ, non darentur plura peccata simul in homine eodem; nam post primum peccatum nullus actus expelleret gratiam; ergo nullus actus posset esse peccatum; nam peccatum non potest esse sine formali suo constitutivo; ergo si peccatum formaliter consi-

fieret in privatione activa gratiæ, illi actus posteriores, quamvis pessimi, non essent peccata,

Prob. denique, quia sic omnia peccata essent ejusdem speciei; sed conf. est falsum, & contra adversarios; ergo &c. Prob. maj. Privationes specificantur, & distinguuntur per formas oppositas; sed formæ omnes, seu gratiæ oppositæ his privationibus, seu peccatis essent eiusdem speciei; ergo & privationes.

Prob. 2. p. Nam certum est, peccatum, & gratiam se mutuò expellere, & illud inferre privationem istius; ergo si non expellat eam effectivè, nec formaliter per suam entitatem, & physicè, sequitur id fieri per voluntatem, & ordinationem divinam, & moraliter, quatenus peccatum meretur illam privationem, & ex peccati demerito Deus gratiam suam retrahit à peccatore.

Objic. 1. Gratia reddit hominem formaliter justum, Deo gratum, & amicum, & dignum gloria æterna. Est nitor, munditiès, venustas animæ, peccatum verò reddit eum injustum, Deo ingratum, inimicum, & dignum pœna æterna: est macula, &c. ergo peccatum dicit oppositionem, seu privationem physicam gratiæ.

Resp. dist. ant. Reddit justum & moraliter, & ex ordinatione divina, conc. physicè per virtutem sibi intrinsecam, neg. antec. & conseq. Nam entitas gratiæ tales effectus habet non ex natura sua in ratione entis, & qualitatis supernaturalis, sed ex speciali, & positiva Dei ordinatione, ut dicemus suo loco.

Objic. 2. Gratia, & peccatum opponuntur, sicut lux, & tenebræ: sed hæc opponuntur physicè, & privativè; ergo & peccatũ cum gratia. Prob. maj. ex Script. [1] *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Loquitur de gentilibus conversis, & mutatis à peccato ad gratiam, ergo &c.

Resp. Eodem modo opponuntur moraliter, & ex ordinatione divina, sicut lux, & tenebræ, conc. physicè, sicut tenebræ, neg. maj. & ant. prob. Nam Apostolus loquitur de lumine fidei, & gratiæ, quæ liberarunt gentiles à tenebris infidelitatis, & peccati, ex Dei liberalitate, & misericordia, sed non dicit,

[1] *Ephes. 5.*

quòd hoc factum sit per virtutem physicam gratiæ. Nam remissio peccati fit per liberam Dei condonationem.

Inst. Gratia ipsa habitualis est formalis justitia inhærens, & justificans de se, & præciso omni favore extrinseco ex parte Dei acceptantis; & peccatum è contra est formalis injustitia pariter inhærens, & ex se reddens injustum; sed justitia, & injustitia opponuntur physicè, & privativè; ergo & peccatum cum gratia. Prob. maj. de gratia ex Concil. Trid. [1]. quod excludit acceptationem Dei à justificatione. *Unica formalis causa justificationis nostræ est justitia Dei, non qua justus est, sed qua justos nos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus*, justitiam in nobis recipientes; ergo gratia est verè, & physicè, & formaliter justitia independenter ab omni acceptatione extrinseca Dei.

Resp. neg. maj. & cons. prob. absolutè, vel sic dist. independenter ab omni acceptatione nova, & sequente infusionem gratiæ, conc. acceptatione antiqua, & annexa ipsi gratiæ habituali, & infusæ per decretum antecedens, neg. conseq. Nam ex hoc decreto habet gratia, quod per sui inhærentiam moveat Deum ad condonandum homini peccatum, & abstergendam ab eo maculam, & reatum peccati, & donandam illi suam amicitiam, & gloriam suam, si cum illa perseveret finaliter, & sic non justificamur per puram, & extrinsecam imputationem justitiæ Christi, sed per realem infusionem gratiæ illius, cui per illud Dei decretum annexi sunt isti effectus.

Objic. 3. Si peccatum non esset privatio physica gratiæ, sed moralis, & demeritoria, possent esse simul in eadem anima de potentia absoluta, quia Deus posset non acceptare illud meritum, aut dispensare super demerito; sed conseq. est falsum; ergo & ant. Prob. min. quia si hoc esset possibile, justitia, de qua loquitur Concil. non esset vera, & realis; quia non abstergeret vere, & realiter peccatum: sed hoc est falsum, & hæreticum, & contra Concilii definitionem; ergo &c.

Resp. neg. min. 1. argum. & maj. 2. Nam præcisa Dei

[1] *Sess. 6. c. 7.*

Dei ordinatione, qua Deus statuit retrahere entitatem physicam gratiæ ab anima peccante, & ab ea separare effectus, quos illi voluit annectere, maneret quoad entitatem physicam in peccatore, si Deus vellet, & quidem sine illis effectibus; de lege autem posita verè, ac realiter operatur illos effectus, sed semper moraliter.

Objic.4. Infusio gratiæ, & expulsio culpæ sunt duæ mutationes connexæ, ita ut una sine alia non fiat; nam nec infusio gratiæ fit sine expulsione culpæ, nec adest culpa sine expulsione gratiæ; ergo culpa est formaliter privatio gratiæ, nec possunt esse simul. Prob. ant. ex Script. [1] & Concil. citato. [2] Nam explicant justificationem, velut translationem de peccato ad gratiam. *Transtulit nos in Regnum dilectionis suæ*. Et, *Justificatio impii translatio est à statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ*, &c. ergo translatio à statu gratiæ ad statum peccati, & à statu peccati ad statum gratiæ sunt connexa, ita ut illa duo non sint compatibilia, sed peccatum est necessariò privatio gratiæ.

Resp. dist. ant. & cons. prob. De lege posita, seu ex decreto, & ordinatione divina, & de facto, & in sensu composito legis positivæ, conc. de possibili, ac de potentia absoluta, & in sensu diviso decreti positi, neg. ant. & cons. prob. Nam Deus potuit velle, ut peccatum non expelleret gratiam, ne demeritoriè quidem, nec ista peccatum per suam entitatem, & præsentiam physicam, nec in homine operaretur alios effectus, quos de facto causat.

Inst. Illa compatibilitas implicat contradictionem; ergo per nullam potentiam potest induci, ut peccatum, & gratia sint simul. Prob. ant. Justitia, & injustitia, seu non justitia opponuntur contradictoriè: sed qui haberet simul gratiam, haberet justitiam formalem, & habens peccatum non haberet illam, non esset justus, sed peccator, & injustus; ergo &c.

Resp. neg. ant. & min. prob. Nam seclusa Dei lege, qua voluit justitiam positivam necti cum entitate gratiæ, homo habens illam non esset positivè justus, sed verè peccator; & iste haberet entitatem physicam gra-

[1] *Coloss.1.* [2] *Sess.6.c.4.*

gratiæ sine illis effectibus, quos jam operatur in nobis ex lege posita.

Objic. 5. Peccatum destruit in anima dispositiones inductivas, & conservativas gratiæ; ergo ipsam gratiam expellit; sicut qui corpus destruit, expellit animam.

Resp. dist. ant. Dispositiones morales, conc. physicas, neg. antec. & conseq. Nam solus Deus ponit dispositiones physicas in anima, si quæ requirantur ad gratię physicam infusionem, & receptionem ejusdem. Dico, *si quæ requirantur tales*; nam de moralibus in adultis id certum est ex definitione Concilii citati; in pueris verò nullæ requiruntur ex parte illorum: nec etiam nullæ requirerentur in adultis, si Deus vellet; de physicis autem nulla requiritur ex parte nostra. Ideò posset negari suppositum argumenti, nempe quòd adsint dispositiones physicæ pro receptione gratię, vel conservatione ejus in anima.

Igitur non negamus, quòd peccatum mortale actuale destruat paulatim per frequentationem actuum habitum virtutis contrarium; v.g. per frequentationem furandi amittitur habitus virtutis justitiæ, qui posset præexistere in homine, nec negamus, quin etiam privet hominem gratia habituali sanctificante, & hoc demeritoriè, quatenùs movet Deum malitia sua ad retrahendam à peccatore gratiam suam, sed negamus eas privationes esse formales rationes constitutivas peccati, & sufficit, quòd destruat habitum virtutis efficienter, & gratiam demeritoriè.

QUÆSTIO VI.

An peccati malitia sit infinita.

DIximus, de ratione peccati esse, quòd sit contra legem æternam Dei, & per consequens offensa Dei; & sic objectivè potest habere quandam infinitatem, saltem extrinsecam, ratione illius objecti. Nam videtur crescere juxta dignitatem personæ offensæ, quæ est omnimodè infinita, sc. Deus. De hac infinitate non est quæstio. Nam eadem ratione actus religionis, & virtutum Theologicarum haberent talem infinitatem bonitatis. Non est etiam

jam

iam quæstio de infinitate positiva absoluta, & in omni genere, quæ soli Deo competit, sed de infinitate determinata in aliquo genere, v.g. in genere malitiæ.

Porrò ex dictis patet, quòd in peccato consideratur 1. *materiale*, quod est actus, vel omissio ejus, 2. *formale*, quod est privatio rectitudinis, & formalis ejus malitia, 3. *ratio aversionis à Deo, & conversionis ad creaturam*, & 4. denique *ratio offensæ Dei*, quatenùs omnis peccans, saltem virtualiter, & interpretativè, censetur pluris æstimare seipsum, & creaturam, quàm Deum; & quatenùs contemnit, & transgreditur legem Dei, ut satisfaciat proprio, vel alieno appetitui, seu voluntati. Et sic violatur Dei amicitia, contemnitur auctoritas, læditur honor, læditur majestas, &c. Deus enim est Dominus, pater, superior, benefactor, creator, legislator, &c. In ratione privationis non potest dicere infinitatem, quia privatio est nihil; & rectitudo etiam, qua privat, est quid finitum, nec in ratione conversionis ad creaturam, quæ pariter est finita. Restat videre de ratione offensæ respectu Dei, qui est infinitæ majestatis, bonitatis, &c.

Igitur omne peccatum, & præcipuè mortale, est non tantùm injuriosum Deo, quia est usus rerum, quæ sunt de dominio jurisdictionis, & proprietatis ejus, illo invito, vel aliter quàm velit, sed etiam offensivum, quia peccamus scientes, quòd peccatum displicet Deo, & quia jus habet exigendi à nobis rationem facti nostri. Nam si non displiceret ei peccatum, non diceretur offendi per illud juxta regulam juris, *Scienti, & consentienti nulla fit injuria*. His suppositis quærimus, an malitia peccati, quatenùs respicit Deum, sit infinita.

CONCLUSIO.

M*Alitia peccati formaliter, & intrinsecè non est simpliciter infinita, sed tantùm secundum quid, & extrinsecè*. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] cùm dicit, quòd *Christi meritum non potuit delere peccati reatum, sive peccatum avertens à bono infinito, quia peccatum illud erat infinitum intensivè, falsum est; tunc enim oporteret ponere summum malum, & Deum Manichæorum*. Et cùm probat, quòd *tantum est peccatum, quantus est ille, in quem fit, si ly*, tantum, *&* quantum *refertur ad rationes formales utriusque in se, falsum est. Tamen secundum terminum, à quo avertit peccatum, sortitur quandam denominationem extrinsecam*, &c. Sicut quadam denominatione extrinseca actus beatificus Michaelis est infinitus, quia conjungit termino *ad quem* infinito; sed in se formaliter actus est finitus. Sic peccatum mortale, quia avertit à termino, *à quo* infinito, sortitur quandam denominationem extrinsecam, sc. infiniti. Idem docet alibi sæpe.

Prob. 2. Illud dicitur infinitum formaliter, & intrinsecè, quod non potest habere majus se sive simpliciter in omni ratione, sive in aliqua determinata perfectione, ut supponitur ex Philosophia; sed hoc dici non potest de malitia peccati; ergo nec quòd sit infinita intrinsecè, & formaliter. Prob. min. quia in peccatis mortalibus unum est gravius, & majus alio, ut suppono ex dicendis de inæqualitate peccatorum contra Jovinianum, & Stoicos; ergo malitia peccati etiam mortalis non est infinita.

Confirm. Nam infinitum identificat sibi omnem perfectionem, & entitatem sui generis in infinitum maximè in eodem subjecto; non enim dantur plura infinita in eodem genere; alioqui unum esset, & non esset infinitum; nam singula limitarentur per alia; sed malitia unius peccati non identificat sibi malitiam alterius; ergo non est infinita. Maj. supponitur ut recepta communiter. Prob. min. Evidens enim est, quòd malitia adulterii, etiam in ratione offensæ, non includit, nec identificat sibi malitiam homicidii; alioqui adulter, & homicida non haberet duo peccata, & sufficeret cuilibet pœnitenti aperire in confessione unicum peccatum mortale, sed hæc sunt falsa, ergo &c.

Dices, esse quidem inæqualia in ratione malitiæ, quæ

[1] 3. d. 19. F. n. 13.

quæ est privatio rectitudinis, quæ est major, aut minor pro gravitate rectitudinis, seu bonitatis, qua privant, non verò in ratione offensæ, quæ ratione Dei offensi est semper æqualis, in quo non errabant Joviniani, sed in ratione malitiæ.

Contra 1. Ratio offensæ fundatur in malitia, seu privatione rectitudinis; nam ideò peccatum displicet Deo, quia est malum, & contra legem Dei; ergo si malitia est finita, & inæqualis, ita & offensa; nam graviori peccato, & malitia graviùs debet offendi Deus, & graviorem inferre pœnam; nam pęna commensuratur malitiæ, ac deordinationi; *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. Certè nullus credet, quòd Deus æquè succenseat, & sibi displiceat in furto unius aurei, ac in furto millium; nec quòd inæqualiter puniat eos, qui æqualiter illi displicent, & offendunt.

Contra 2. Quia veniale est etiam offensa Dei; sed hæc est levior longè in comparatione mortalis; ergo malitia peccati, etiam in ratione offensæ non est infinita. Ant. patebit ex dicendis infra de differentia mortalis à veniali.

Prob. 3. Si malitia peccati esset intrinsecè, & formaliter infinita, illa infinitas peteretur vel ex dignitate Dei offensi, vel ex malitia, & voluntate peccantis; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. min. non 1. ex parte Dei, tum quia, ut dicebamus, peccatum veniale est offensa Dei; tum quia non aliter actus sumit gravitatem malitiæ, quàm bonitatis ab objecti dignitate; sed bonitas actus circa Deum non est infinita; alioqui bonitas actuum fidei, spei, & charitatis, & visionis beatæ, ac fruitionis esset infinita intrinsecè; ergo ita est de malitia. Prob. maj. Non est ratio, cur actus contra legem Dei crescat in malitia ex infinitate Dei, quàm actus conformis legi Dei, & qui respicit directè, & immediatè Deum in se, ut sunt illi actus: non 2. ex voluntate peccantis; tum quia iste non cognoscit, nec intēdit illam infinitatem; tum quia nec actus peccati, nec intentio ejus est infinita in se formaliter; nam intellectus, & voluntas sunt potentiæ finitæ. Sicut ergo actus religionis, & virtutum Theologicarum non habent infinitatem, nisi extrinsecam, quia non attingunt Deum extrinsecè, &

tea-

terminativè; ita est de peccato, & quidem à fortiori, quia nullus, aut ferè nullus peccator in suis peccatis respicit Deum in se directè, nec immediate, sed respicit utile, aut delectabile.

Objic.1. Offensa exigens satisfactionem infinitam est infinita; sed peccatum exigit satisfactionem infinitam Christi hominis Dei, alioqui pura creatura potuisset satisfacere, & Christus gratis mortuus esset; ergo &c.

Resp. neg. min. Nam Christi satisfactio non fuit infinita intrinsecè, sed extrinsecè, ut dicemus suo loco.

Objic.2. Offensæ gravitas, etiam intrinseca, crescit ex dignitate personæ offensæ; sed persona offensa per peccatum est infinita; ergo & peccati malitia. Prob. maj. Major est offensa in nobilem, & comitem, quàm in rusticum, & major in principem, quàm comitem, & sic gradatim; ergo &c.

Resp. dist. maj. Crescit secundum quid, seu secundum aliquam proportionem ad alias offensas, conc. absolutè, & simpliciter, neg. maj. & conseq. nam præcipua gravitas peccati, sicut & meriti, petitur ex principiis actus, v.g. ex cognitionis perfectione, ex voluntatis contentione, & applicatione, &c. quę sunt finita: idem est de actibus bonis circa Deum. Magnitudo intrinseca, & principalis meriti mensuratur ex intensione applicationis, ac contentionis intellectus, & fervoris voluntatis; à termino autem habet dignitatem quandam, sed extrinsecam, & proportionalem cum aliis, quæ non ita directè, & purè respiciunt Deum. Ex eo capite tantùm habent isti actus excellentiam, & illa peccata indignitatem, ut non possint habere majorem, sed absolutè malitia istorum, sicut & bonitas illorum est finita in se.

Inst. ex Patribus. Peccator in affectu, & quantum est de se, vellet Deum non existere, & non esse omniscientem, nec omnipotentem. &c. ergo peccatum habet malitiam simpliciter infinitam.

Resp. vellet implicitè, & interpretativè, & inefficaciter, transeat ant. explicitè, formaliter, aut efficaciter, n. ant. & cons. nec enim puto ullum peccatorem id velle positivè, explicitè, & formaliter, nec efficaciter, nisi penitùs ratio ejus cęcutiat. Nam voluntas non vult efficaciter impossibile, quale est non esse Dei. Et quamvis eò posset ascendere malitia hominis, vel dæmonis, ut

vel-

vellet destruere Deum, tamen ejus malitia esset adhuc finita in se absolutè, propter rationes allatas; nempè quia tenderet in Deum finito modo.

Objic. 3. Gravitas pœnæ notat gravitatem delicti; sed pœna peccati mortalis est infinita; ergo & peccati malitia. Prob. min. est enim privatio Dei, qui est bonum infinitum, & durat per æternitatem, quæ est duratio infinita.

Resp. neg. min. absolutè. Nam pœna damni est privatio beatitudinis, quæ est bonum finitum, & durat æternùm, non ex se, sed ex ordinatione divina, & propter durationem ipsius culpæ, in qua obstinati manent damnati. Nam *permanente in eis injustæ affectionis malo, permanet in eis justæ retributionis damnatio*, ait Augustinus. [1]

Inst. Si perseverantia damnatorum in peccato esset causa durationis illius pœnæ, sequeretur, eos demereri in inferno; sed cons. est falsum; ergo &c. Prob. maj. Nam essent in pœna, quia perseverarent in malitia.

Resp. neg. maj. & dist. ant. prob. Quia perseverarent per volitionem, quæ præfuit, dum viverent, con. per eam, quæ perseverat de facto post mortem, & in termino, neg. ant. dum mori volunt in peccato, & sine pœnitentia, volunt esse peccatores per æternitatem, & inde peccatum illud habet malitiam, quæ virtualiter est æterna, & causat illam impotentiam pœnitendi, & sic pœna, sicut & malitia est infinita extensivè, non intensivè.

Objic. 4. Peccatum mortale excedit infinitè peccatum veniale; ergo ipsum est in se infinitum. Prob. ant. Nam unicum mortale excedit infinita venialia, maximè in pœna, quæ est æterna pro mortali.

Resp. dist. 1. ant. Excedit infinitè causaliter, & ex ordinatione divina, con. formaliter, & entitativè per malitiam intrinsecam absolutam, neg. 1. ant. & sic dist. 2. excedit infinita venialia, quatenùs ex Dei decreto punitur pœna æterna, & possent inter mortale, & unum veniale dari minora, & minora in infinitum, con. quatenus in se continet formaliter, aut virtualiter malitiam infinitorum venialium, neg. ant. & cons. inter Angelum, & hominem possibiles sunt infi-

[1] *de fi. ad pe.*

infinitæ creaturæ minores, & minores, & tamen Angelus non est infinitus, sicut nec quantitas palmaris in infinitum divisibilis. Si peccatum mortale contineret positivè, & formaliter, vel virtualiter malitias omnes infinitorum venialium, dici posset infinitum quoad hoc, sequitur tantùm majoritas gradualis.

DISPUTATIO II.

De aliquibus divisionibus peccati.

PEccatum à nobis explicatum dividi solet, 1. *Materialiter*, & ratione actuum, in peccatum *commissionis*, si fiant, quæ prohibentur, & *omissionis*, si non fiant, quæ jubentur, ait August. 2. *formaliter*, in *veniale*, & *mortale*, quod mortem affert animæ, 3. ratione principii, à quo venit, in *personale*, quod propria peccatoris voluntate contrahitur, & *originale*, quod voluntate Adæ contrahitur, 4. ratione operationis præsentis, aut præteritæ in *actuale*, & *habituale*, quod licèt actu non exerceatur, tamen perseverat quoad reatum, & culpam, & maculam, 5. ratione affectus, & objecti in *carnale*, & *spirituale*, 6. ratione subjecti, seu potentiæ executricis, in peccatum oris, cordis, & operis, &c. Has, & alias divisiones hic examinabimus breviter.

QUÆSTIO I.

De peccato commissionis, & omissionis; an detur aliquod peccatum puræ omissionis, & sine ullo actu positivo.

JAm diximus, quòd peccatum est *dictum, factum, concupitum, vel omissum contra legem Dei*. Nam vel facis id, quod lex divina vetat fieri, & committis actum, qui est peccatum *commissionis*; vel non facis id, quod lex jubet fieri, & omittis illud, & sic peccas contra præceptum positivum legis, quod peccatum dicitur *omissionis*. Circa peccatum *commissionis* non occurrit specialis difficultas examinanda, benè verò

verò circa peccatum *omissionis*. Nam cùm in negatione actus debiti consistat, quæri potest, quomodo possit fundare privationem rectitudinis, quæ est formale constitutivum omnis peccati, & maximè peccati *omissionis*, in quo nihil est positivum? 2. Quandonam omissio incipiat esse peccatum? 3. Sed principalior, & famosior controversia est, an *omissio pura* possit esse peccatum sine omni prorsus actu voluntatis, quo directè, vel indirectè sit volita in se, vel in causa aliqua. Dico, *sine omni actu voluntatis*, nam certum est requiri actum intellectus, quo cognoscat & illam omissionem, & malitiam ejus; alioqui non esset libera, nec peccaminosa. Omissionem sic puram, & liberam ostendimus esse possibilem in tr. de actibus humanis; restat videre, an talis omissio possit esse peccatum, & quomodo, & quando incipiat esse peccatum.

CONCLUSIO I.

P*ossibilis est pura omissio, quæ sit peccatum*. Est Scotistarum, & aliorum magis communiter.

Dico autem, quòd *possibilis est*, non autem quòd *de facto detur*, saltem ordinariè loquendo. Nam rarissimè potest accidere, ut homo, qui ex se actuosus est, sic se habeat circa opera, quæ præcipiuntur, ut ea omittat, vel negligat sine aliqua nolitione positiva, & directa obedientiæ, & executionis, aut etiam sine volitione positiva aliorum operum incompatibilium cum operibus præceptis; v. g. difficile fieri potest, ut, cùm urget præceptum audiendi Missam, & cùm cognoscis eam obligationem, omittas illam auditionem sine aliquo actu voluntatis, quo dicas, te nolle illam, imò & quo velis vacare alicui operationi alienæ, v. g. venationi, aut ludo, aut studio, vel otio, vel quieti, &c. Vix denique fieri potest, ut maneas penitùs inactuosus tam internè, quàm externè. Igitur de physica potiùs, quàm de morali possibilitate hujus omissionis puræ intelligenda est conclusio.

Prob. 1. ex Scoto citato [1] pro pura omissione libera.

[1] 2. d. 42. q. 4. S. n. 20.

ra. Nam illa contingere potest in materia, & operibus præceptis, quorum omissio est peccatum, æquè ac in prohibitis, vel indifferentibus, quorum omissio est conformis legi, aut saltem indifferens. Et de peccato expresè dicit, quòd *divisio peccati data ex D. Hieronymo in peccatum cogitationis, locutionis, & operationis debet intelligi positivè quoad peccatum commissionis, negativè quoad peccatum omissionis in cogitatione, locutione, & opere;* ergo Scotus censet dari peccatum omissionis.

Prob. 2. communi medio, quia nulla est in hoc repugnantia, ut patebit solutione objectionum; ergo id non debet negari possibile libertati humanæ potiùs, quàm quodlibet aliud exercitium libertatis contradictionis.

Prob. 3. Omittere purè est peccare per omissionem, est non agere id, quod præcipitur præcisè, & independenter ab omni actu positivo influente ad omissionem directè, vel indirectè ex parte voluntatis; sed talis omissio est possibilis; ergo &c. Prob. min. non agere positivè per ullum actum internum voluntatis, aut alterius potentiæ tam est liberum homini, quàm ipsum agere, sive actus sit prohibitus, sive imperatus; at nullus actus positivus est de conceptu formali peccati omissionis; ergo talis omissio est possibilis. Prob. min. Nam voluntas est libera libertate contradictionis, seu exercitii, ut suppono ex Philosophia, & ex dictis de voluntario, & posita libera omissione actus præcepti, tam est contra legem, quàm si fieret per aliquem actum positivum; ergo &c.

Dices. Ad hoc ut omissio sit peccatum, debet esse libera per actum positivum, quia omne peccatum includit essentialiter aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam, quæ non potest esse, nec concipi sine actu positivo.

Contra, quia hoc gratis dicitur, & falsum est, omne peccatum dicere formaliter talem conversionem, sufficit, ut adsit virtualiter, & interpretativè, ut dictum est. Deinde si Deus negare vellet tibi concursum ad omnem actum positivum præter auditionem Missæ, adhuc posses omittere illam, & per illam peccares; sed tum illa omissio esset pura; ergo de ratione omissionis peccaminosæ non est, quòd includat

ullum

ullum actum positivum, & quia si omne peccatum etiam omissionis essentialiter includeret actum positivum, peccatum omissionis non differret à peccato commissionis, saltem specificè, & intrinsecè; nam utrumque esset actus contra legem.

Objic. 1. Ut omissio sit peccatum, debet esse libera; sed non potest esse verè libera sine aliquo actu positivo voluntatis; ergo non est possibile peccatum puræ omissionis. Prob. min. nihil est liberum, quod non sit per inclinationem voluntatis, & ab intrinseco; sed non potest esse ita sine aliquo motu, & impetu voluntatis, nam quod venit ab extrinseco, non est voluntarium; ergo &c.

Resp. neg. min. & dist. maj. prob. Per inclinationem positivam, aut negativam, con. positivam, & elicitam, neg. maj. & cons. sufficit enim, ut non sit contra inclinationem, & quòd voluntas posset aliter ferri in objectum, si vellet, eliciendo scilicet actum, quem omittit.

Objic. 2. Omissio est quædam fuga mali, quæ supponit amorem boni oppositi; sed tam fuga mali, quàm amor boni sunt actus positivi; ergo omnis omissio includit actum aliquem positivum.

Resp. dist. maj. Quædam fuga negativa, seu non volitio objecti, con. fuga positiva, seu nolitio, & odium positivum, neg. maj. quoad 1. p. & neg. absolutè quoad 2. omissio igitur pura nihil est aliud, quàm non volitio, seu negatio volitionis objecti, & actus omissi, qui si sit debitus, facit, ut illa non volitio sit peccatū.

Inst. Illa non volitio nihil est aliud, quàm voluntas in actu primo potens, & debens velle, aut nolle positivè; sed voluntas in actu primo non exercet libertatem, & non peccat; ergo illa omissio, seu non volitio non est libertatis exercitium, nec peccatum. Prob. min. in tali enim casu voluntas nihil habet, quod ei non conveniat in quovis actu primo, in quo possit concipi; sed peccatum est quid reale in actu 2. & existens; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam supposita cognitione præcepti urgentis ad actum, & objecti, seu actus debiti, hoc ipso, quòd omittit agere, quamvis per puram negligentiam, & negativè, actus est in actu 2. omissionis, & peccati.

Inst.

Inst. 2. In illo actu 2. nihil habet, quod non haberet antea; ergo nulla solutio. Prob. ant. antea extabat præceptum audiendi Missam v. g. id cognoscebatur æquè, ac in præsenti, &c. ergo &c.

Resp. neg. ant. & cons. prob. Nam præceptum non urgebat, nec advertebatur urgere pro illo instanti, in quo nunc urget, & in quo omissio incipit esse peccaminosa, & actualis. Remanet quidem in actu 1. respectu volitionis, & actualis auditionis Missæ, sed quantum ad deordinationem transit in in actum 2. Nam ante horam, in qua dicitur Missa, & in qua urget præceptum, negatio auditionis non est omissio, saltem peccaminosa.

Objic. 3. Si peccatum aliquod esset sine ullo actu positivo, non puniretur in inferno pœna sensus; sed hoc est falsum; nam omnibus etiam omittentibus opera misericordiæ imponitur pœna ignis, *Ite maledicti in ignem æternum, quia esurivi, & non dedistis mihi manducare*; ergo non datur peccatum sine aliquo actu. Prob. maj. Nam pœna sensus datur propter actus malos; ergo &c.

Resp. neg. maj. & ant. prob. Et hoc patet ex ipso textu Euangelii allato. Nam ibi Christus non arguit nisi omissiones Eleemosynæ, hospitalitatis, &c. nec ullum ibi actum positivum memorat.

Aliæ objectiones patent ex dictis loco supra citato de omissione pura, & libera.

QUÆSTIO II.

Quando omissio incipiat esse peccatum.

Suppono, quòd ut omissio quæcumque sit peccatum, debet esse libera in se, vel in causa, vel in utroque: est libera in se, quando urgente præcepto, v. g. Missæ, vel recitationis horarum, non adsum Missæ, non recito horas: est libera in causa, quando sciens, & volens aliquid facio, ex quo prævideo me impediendum, cùm venerit hora audiendi, vel recitandi, & in hoc casu vel de facto non possum recitare, vel audire, vel possem quidem, si vellem audire, & recitare, sed non facio, & si non possum, quæritur, quandonam omissio sit peccatum? Et si possim,

possim, & non facio, quæritur, an sit duplex, vel unicum peccatum illud, quo dedi liberè causam omissioni, & 2. quando omitto etiam liberè, v. g. projeci Breviarium in flumen prævidens, quòd non potero sine ipso recitare officium in illa die; & tamen casu fit, ut adsit aliud Breviarium, nec tamen recito. 3. Quæritur, an priori casu, quo volens, & prævidens impotentiam futuram recitandi projeci breviarium, & in quo de facto non recito, sit etiam duplex peccatum? sc. illud, quo dedi causam omissioni volens, & sciens, & aliud, quo omitto recitare ob voluntariam impotentiam, & maximè si causa illa omissionis non habeat ex se aliam malitiam moralem.

Dico, *si causa illa ex se, aut aliundè non sit mala;* nam si ex se jam esset mala, ut si quis se inebriaret, prævidens, quòd in ebrietate non poterit recitare officium, peccaret sine dubio contra temperantiam, & contra debitum recitandi.

CONCLUSIO I.

SI tempore, quo urget præceptum, non possit impleri, omissio non imputatur, nec est in se peccatum, sed tantùm in causa, quando voluntariè posita est, si verò adsit potentia non omittendi, semper est peccatum. Est communior quoad 1. partem, quoad 2. verò non videtur posse negari.

Prob. 1. ex Scoto [1] quatenus docet, quòd *laudabile, & vituperabile, imò generaliùs præmiabile, & punibile continentur sub hoc communi, quod est imputabile, & illius communis est hæc una ratio, sc. actum esse in libera potestate agentis, & imputabile duos respectus importat, unum ad potestatem, vel dominium agentis, & alium ad aliquid correspondens actui, vel agenti secundum justitiam, & hoc propter ipsum actum; & hoc secundum sequitur ad primum, quia enim iste est dominus sui actus, ideò actui, & agenti debetur aliquid propter actum,* &c. ergo ex Scoto tunc tantùm, & in tantum omissio est imputabilis ad culpam, in quantum est volita; ergo quando non est volita, nisi in causa, non est imputabilis, & quando est volita in causa, & in se, est im-

[1] *Quod.18.M.n.9.*

imputabilis ex duplici capite, & modo, sc. quando liberè ponitur causa, ut causa ejus, & quando ipsa etiam in se ponitur etiam liberè.

Prob. 2. quoad 1. p. Nam peccatur, quando id, quod deviat à regula morum, est volitum liberè, non verò quando non est volitum, sed potiùs nolitum; sed tunc tantùm omissio rei præceptæ est volita, & intenta, quando liberè, & scienter ponitur ejus causa, & est nolita, quando urget obligatio non omittendi, sed faciendi, quod omittitur ex sola impotentia faciendi; ergo in causæ positione peccatur, & non in ipsa omissione reali. Maj. patet, quia de ratione peccati est, ut sit voluntarium, imò & liberum, ita ut possit omitti actus, quo peccatur, aut fieri ille, qui præcipitur. Prob. min. Nam in casu conclusionis, qui projecit heri Breviarium cum intentione non recitandi officium, tunc volebat omissionem illam, & hodiè pœnitet illius projectionis, & intentionis, & vellet seriò posse recitare, & recitaret, si posset. Idem accidere potest in peccatis commissionis. Nam qui heri propinabat venenum, ut occideret hominem, qui tantùm moritur hodiè, potuit pœnitere, & reconciliari Deo, antequam moriatur; ergo sicut iste non peccat de novo, quando consummatur homicidium, quod vellet, & non potest impedire; ita nec ille, quando accidit omissio, quam vellet, & non potest vitare. Id patet clariùs in casu, quo si pœnitens inveniret hodiè breviarium, recitaret officium; non enim minùs peccasset heri per volitionem omittendi, & hodie non peccaret, quia non omitteret.

Confir. Si enim quando accidit reale malum, cui causa data est, peccaretur de novo, posset aliquis existens in gratia, & in Purgatorio, imò & in Cœlo incurrere peccatum; nam post datam causam, & antequam accideret malum intentum, v. g. antequam venenum infusum causaret mortem homini, posset, inquam, pœnitere, & mori, & salvari; ergo si quando accidit omissio, vel aliud malum ex illa causa voluntariè data, peccaretur de novo, posset anima beata peccare.

Dices, aliud esse, quando prior voluntas occidendi est retractata, & aliud, quando non est retractata.

Nam

Nam in illo casu libertas primæ volitionis in causa non participatur ab effectu, benè verò in isto.

Contra. Nam retractatio voluntatis non magis influit in effectum, ut sit in potestate ejus, & impediatur, quàm voluntas non retractata; ergo si illa retractatio impedit, ne mors secuta ex veneno imputetur ad peccatum, ita est de casu, in quo non sit retractata nisi negativè, & modò non perseveret actu.

Dices 2. quòd in casu conclusionis omissio, quando occurrit, est libera non in se actualiter, sed moraliter, & habitualiter, & virtualiter participatur à prima volitione, per quam data est causa ejus. Sic incendium domus mihi imputabitur ad culpam, & restitutionem, licèt non applicuerim ignem nisi paleæ contiguæ, nec sit ampliùs in mea potestate extinguere ignem, & impedire consumptionem domus: ita est de propinante venenum, licèt istud non inferat mortem nisi post mensem, nec ille possit ampliùs impedire ne interficiat.

Contra. Nam aliud est loqui de his, in quibus positio causæ non distat ab executione, & positione effectus, sed fiunt quasi continuè, & unica velut actione, saltem moraliter, & in hominis prudenti æstimatione; ut si quis breviarium projiciat ea ipsa hora, qua recitandum est officium, & in exemplis de incendio, & de veneno, quod citò mortem operatur; & aliud de his, in quibus aliquanto temporis intervallo effectus distat à causa; ut si heri projiciebas breviarium, & hodiè accidat omissio officii. Nam ista non sic connectuntur, ut prior libertas censeatur participari ab istis effectibus, & à fortiori, si prima voluntas sit interrupta physicè, aut retractata. Nam hoc faciet pro foro interiori, ne consummatio effectus sit novum peccatum numero distinctum à primo, quamvis executio non longè distet ab intentione, & positione causæ.

Prob. 3. Nihil imputatur ad peccatum, quod non sit contra legem, ut patet ex dictis; sed nulla lex præcipit id, quod fieri non potest, seu cujus omissio est necessaria, nec vitari potest; & in casu conclusionis illa vitari non potest; ergo illa pro tunc non est peccatum. Prob. min. Nam homo in somno, vel ebrietate sepultus non potest audire Missam in eo statu;

tu; ergo qui se somno dedit, vel ebrietati ex prævisione, seu intentione omittendi Missam, quando venerit hora eam audiendi, non peccat alio peccato, quàm illo primo, quo dedit causam illi impotentiæ, & omissioni.

Prob. 2. p. ex hac præcedenti. Nam si ex sola impotentia non omittendi, & ex necessitate omittendi oritur non imputabilitas ipsius omissionis in se, profectò quandiu ipsa est in nostra potestate, tandiu est peccatum, nec puto ullum posse de hoc dubitare. An autem sit duplex, vel unicum peccatum, patebit ex dicendis de distinctione specifica, aut numerica peccatorum. Certum mihi est, quòd si sint distincti actus voluntatis omittendi, tot erunt ad minùs peccata distincta numero; si sint distincti actus ex diversis specie motivis, erunt etiam totidem peccata specie diversa; si sit idem numero actus, quo ponitur causa, & habetur omissio, & aliquandiu durans, erit fortè unum numero peccatum æquivalens pluribus, secundum quod parùm, aut multùm durabit.

Objic. 1. ex Aristotele, Legislatores [1] *Ebrios duplici pœna afficiendos esse putarunt*, sc. pœna ebrietatis, & criminum ex ea patratorum. *Quoniam & actus, qui est causa omissionis, est malus, & omissio etiam, saltem in causa, duplicem pœnam Ebriis statutam dicit; quia scilicet utroque tempore peccant, & cùm se inebriant, & cùm postea ex ebrietate quidpiam delinquunt*; ergo omittens rem debitam peccat utroque modo, & cùm dat causam, & cùm omittit.

Resp. neg. cons. Nam fatemur in eo casu ebrietatem habere duplicem malitiam, & illum peccare contra temperantiam, & contra præceptum, cujus omittitur actus præceptus; sed utrumque incurritur in ipso tempore, quo ex illa prævisione quis inebriatur. Nec de hoc dubitat Aristoteles, nec S. Bonaventura, qui hanc refert auctoritatem.

Objic. 2. Tunc omissio est peccatum, quando est contra legem; sed est contra legem pro eo tempore, quo lex jubet, illud esse faciendum, quod omittitur, quia tunc tantùm est vera omissio; ergo tunc est peccatum.

Resp.

[1] 3. *Ethic*. 5.

Respondeo neg. min. Nam tunc est peccatum, & contra legem, quando est in voluntate libera, & est in voluntate libera ex eo instanti, quo ponitur ejus causa cum prævisione omissionis futuræ pro tempore, quo est contra legem, non autem pro tempore, quo non est in potestate voluntatis.

Inst. Actus, quo ponitur causa illa, non est peccatum omissionis, sed commissionis, & tunc tantùm est verè omissio, cùm urget præceptum agendi, & non agitur; ergo peccatum omissionis non est tale, nisi pro tempore, quo urget præceptum agendi, & non pro illo, quo ponitur causa ejus. Prob. ant. cùm quis inebriat se de nocte sabbati, aut vigiliæ festi prævidens se non fore liberum die sequenti ad audiendam missam, non dicitur omittere missam; ergo nec dici debet tunc peccare peccato omissionis.

Resp. neg. 1. ant. & dist. 2. Non omittit physicè, & materialiter, con. moraliter, & virtualiter, neg. ant. Nam omissio est præsens in mente, & intentione agentis, & virtualiter in causa, quam volens, & sciens ponit, prævidens ex ea secuturam omissionem illam.

Obj'c. 3. Peccatum non est tantùm in actu interno voluntatis, sed etiam in externo; v. g. malitia furti non tantùm est in volitione usurpandi rem alienam, sed etiam ipse actus usurpationis, quia hæc est consummatio furti; ergo malitia omissionis etiam est in ipsa, quando consummatur, sc. tempore, quo debetur actus; nam ejus malitia venit à debito.

Respondeo dist. ant. est in actu externo denominativè ab actu interno, & prout pendet, & connectitur cum interno, v. g. cum volitione furandi, con. formaliter, & in se, neg. ant. alioqui quando quis vult ducere bovem in agrum alienum, ipsa comestio, qua bos alienam herbam comederet, esset in se peccatum; quando igitur unica est volitio, & libertas in actibus interno, & externo, ita & unum peccatum, maximè si exiernus fiat sine libertate præsenti. Ita est de omissione pro instanti, quo deberet poni actus: nam tunc cōsummatur quidem peccatum omis-

sionis, sed physicè, & materialiter tantùm, non verò moraliter.

Objic. 4. Quandò quis omisit recitare horas, non sufficeret dicere confessario: projeci breviarium cum intentione non recitandi horas: sed tenetur dicere utrumque, sc. pravam intentionem, & omissionem horarum; sivè postea potuerit eas recitare, sivè non; ergo non tantùm peccavit per illam projectionem, & intentionem, sed etiam per ipsam omissionem horarum. Idem est de homicidio; non sufficit dicere; volui occidere hominem, sed debet dicere, occidi, sivè occisio in tempore fuerit libera, sivè non.

Resp. neg. cons. Quia executio, & actus externus debent aperiri, quando ex eo nascitur obligatio nova satisfactionis, ut diximus, non autem ratione mali alicujus moralis, quod insit ei, quando in se non est liber, id debent admittere illi adversarii, qui censent omissionem, neque actum externum habere novam malitiam, si post datam causam, & antequam ponatur effectus, peccator pœniteat, & retractet volitionem: nam tunc sufficit confiteri volitionem illam; ergo & in casu objectionis.

Inst. Si sequatur homicidium, quamvis non sit liberum nisi in positione causæ, incurret pœnas graves tam Ecclesiasticas, quàm civiles, incurret irregularitatem, &c. ergo effectus volitionis, seu actus interni continet novam malitiam.

Resp. eodem modo, neg. cons. Nam ad incurrendas pœnas civiles, aut Ecclesiasticas sufficit, quòd actus externus sit culpabilis, & voluntarius in se, vel in causa, quod fatebuntur illi, qui; ut dicebam, fatentur effectum non esse novum peccatum, si post volitionem, & positam causam, v. g. post datum venenum, peccator pœniteat, antequam mors sequatur, mors non erit novum, nec majus peccatum; & tamen incurret censuras, & pœnas illas; ergo incursus pœnarum ex effectu sequuto non arguit in isto novam malitiam, nec augmentum ejus.

Inst. 2. ex Scoto. Actus bonus externus, licèt non liber auget meritum interni; ergo & actus malus externus auget malitiã interni, quo ponitur causa ejus, licèt in se non sit amplius liber; nam plus requiritur

ad meritum, quàm ad demeritum; nam bonum est ex integra causa, & malum ex quovis defectu. Prob. ant. Nam, inquit Doctor, *ad meritum non requiritur intentio actualis, quia si requireretur semper intentio actualis ad merendum, distractus in opere incepto quantumcumque perfecto, & quantacumque perfectione non mereretur, quia non haberet intentionem actualem.* Item docet, quod martyres quandoque in gravioribus pœnis non habent ampliùs usum rationis, nec per consequens libertatis, & tamen per illas merentur.

Resp. dist. 1. ant. Quando ita conjungitur cum interno, ut sit unus moraliter actus, con. quando non ita conjungitur, neg. ant. & conf. prob. Nam in illis locis Scotus [1] vult tantùm, quòd qui orat distractus, tam facilè potest revocari à distractione, ut non videatur interrumpere moraliter meritum orationis: non ita est in casu omissionis. Quantum ad martyres, vult tantùm, quòd in summis doloribus exiguus manet usus rationis, non autem quòd sit penitùs interdictus. Imò alibi docet, eam esse divinæ gratiæ vim, & abundantiam in illis, ut semper maneat sufficiens cognitio, & libertas ad merendum in pœnis. *Si in martyribus expositis maximis tormentis intellectus habuit usum suum, hoc fuit ex speciali gratia creatoris.* Addit etiam ad propositum, quòd *aliquis potest meritoriè, aut demeritoriè exponere se propter bonum finem dormitioni, in qua non potest uti sua ratione*: Sc. totum meritum, aut demeritum est in ipsa electione.

Inst. Peccatum ex ignorantia vincibili tam imputatur, quando committitur, quàm cùm datur causa ignorantiæ; quia licèt stante ignorantia non posset vitari in se, tamen potuit vitari in causa; ergo idem est in omissione necessaria, quæ venit ex causa liberè data, v.g. in somno, vel ebrietate.

Resp. neg. ant. Imputatur enim tantùm, cùm datur voluntariè causa ignorantiæ, si actus malus, vel omissio verè causatur ex tali ignorantia, ita ut agens non possit advertere ad præceptum; alioqui imputaretur.

Objic. denique. Ut actus, vel omissio sit peccatum

[1] 3.d.15.H.

in se, sufficit libertas in causa; sed omissio, de qua loquimur, est libera in causa; ergo & in se.

Resp. neg. maj. Nisi enim ita immediatè conjungatur causæ immediatione causalitatis, & temporis, ut non censeatur interrumpi libertas, non potest dici libera in se, ita nec mala in se, sed tantùm in causa. Quæ autem contingit in somno, vel ebrietate, non conjungitur causæ immediatione temporis, sed interrumpitur libertas illa, qua ponitur causa.

Constat igitur, quòd quando omissio debiti actus non est ampliùs in potestate omittentis, ex causa liberè data, illa non est in se peccatum, sed effectus peccati.

CONCLUSIO II.

Quando omissio est in se culpabilis, actus, quo illa causatur, est etiam culpabilis, si ille de se est incompossibilis cum actu præcepto; & quidem si non sit aliundè malus, est peccatum omissionis, nisi tamen ipse actus sit aliundè præceptus.

Prob. 1. p. breviter, quia omnis actus liber, & causa peccati est peccatum; sed omnes tales actus sunt causa peccati omissionis; ergo & ipsi sunt peccata. Prob. maj. Nam si finis est malus, medium etiam est malum, & contra legem; sed finis talium actuum est omissio actus debiti præcepti per legem, & mala; ergo malus etiam est actus, per quem causatur omissio, v. g. venatio tempore, quo Missa celebratur, & quidem ex intentione, ut sit impedimentum auditioni. De hoc non credo posse dubitari.

Dixi, *actus, quo omissio causatur*. Nam si sit tantùm concomitans, tunc non erit malus ex parte omissionis, v. g. Si postquam statuisti omittere Missam, vacare velis studio, tunc studium non contrahit malitiam omissionis, quia illam non causat, sed comitatur.

Prob. 2. p. quia illi actus, & illæ omissiones habent idem objectum, & finem, & sunt contra idem præceptum; ergo & eandem malitiam. Prob. ant. pertinent ad omissionem ejusdem actus debiti, & transgrediuntur idem præceptum audiendi Missam; nam præceptum, quo præcipitur auditio Missæ, prohibet

hibet actus omnes incompossibiles cum ipsa auditione.

Dixi autem, *si ille actus non sit aliundè malus*, quia tunc afficeretur duplici malitia, sc. ex proprio objecto, & ex effectu, sc. malitia commissionis, & omissionis.

Prob. 3. p. Nam si concurrant duo præcepta æqualiter, vel inæqualiter urgentia, unum, quo præcipiatur charitas circa morientem, ne moriatur sine sacramentis, & cum periculo salutis, & auditio Missæ, poterit eligere alterutrum, & non peccabit omittendo actum æqualiter, vel minùs urgentem.

Si ergo instant pro eodem tempore duo præcepta, non peccas eligendo unum, & omittendo aliud, si sint æqualis obligationis, & gravitatis; si verò inæqualiter obligent, debes eligere gravius, & urgentius, & omittendo levius non peccas, nisi posses utrique simul satisfacere. Si verò actus omissus præcipiatur duobus præceptis, an omissio sit duplex peccatum, dicemus infra; nam idem est de omissione, ac de commissione.

Objic. 1. con. 1. p. Sive actus incompatibilis sit causa omissionis, sive non, v. g. studium tempore, quo missa est audienda, semper est malus; ergo falsum est, actum fieri malum ex sola causalitate peccati omissionis. Prob. ant. Quidquid est incompatibile, & oppositum virtuti, & bono, est vitiosum, & malum; sed talis actus studii in tali circumstantia est oppositus virtuti religionis, & bono ejus actui; ergo &c.

Resp. neg. ant. & dist. maj. Quod est incompatibile, & oppositum privativè, aut contrariè, ita ut influat in exclusionem boni, con. si opponatur bono disparatè, per accidens, & se habeat ad illud concomitanter tantùm, neg. maj. & min. Nam in causa nostra studium, aut alia similis occupatio se habet disparatè, & indifferenter ad auditionem sacri; & non excludit illam, nec influit in ejus omissionem, sed sola nolitio audiendi est per se causa hujus occupationis.

Objic. 2. Tales actus incompatibiles prohibentur eadem lege, qua præcipitur auditio Missæ; ergo eandem malitiam habent cum omissione Missæ, licèt eam non causent, sed tantùm comitentur. Prob.

 ant.

ant. Nam hoc ipso, quòd jubemur adesse sacra, prohibemur vacare aliis quibuscumque operibus incompatibilibus cum illo actu pietatis.

Resp.neg.ant. & conf. prob. Præcipitur tantùm auditio, & interpretativè omnis alius actus incompatibilis, quatenus esset impeditivus auditionis Missæ: in nostro autem casu, studium non impedit auditionem Missæ, quia si velles illam audire, liberum tibi esset cessare à studio.

Inst. Clericus, qui post propositum non recitandi officium projicit breviarium, peccat ratione omissionum officii, licèt projectio non sit earum causa. Idem est de Monacho, qui post propositum servandi votum castitatis, contraheret matrimonium; licèt istud non esset causa transgressionum voti, esset tamen peccatum ejusdem malitiæ, quia ille contractus est incompatibilis cum observantia voti; ergo omnis actus incompatibilis cum observantia præcepti positivi est peccatum ejusdem malitiæ cum omissione actuum debitorum.

Resp. neg. conf. Non enim illa projectio breviarii, & ille contractus sunt peccata, nec habent malitiam omissionum officii, & voti, quia sunt incompatibilia cum observantia præcepti recitandi officii, & voti castitatis (saltem purè, & præcisè) sed quia per hæc privant se potestate satisfaciendi præcepto, & voto, & sic participant de malitia omissionum, quia etiam in illas influunt. Non ita est de studio tempore Missæ audiendæ, ac de similibus casibus.

Objic. 3. Voluntas omittendi actus debitos non est causa totalis omissionis, nisi mediante aliquo opere incompatibili cum actibus debitis; ergo illud opus contrahit malitiam omissionis, & illam suo modo causat, licèt non eligatur ex motivo omissionis. Patet conf. Nam medium participat malitiam finis, licèt eligatur post finem intentum, & volitum. Prob. ant. non potest intendi finis, v. g. omissio sacri, nisi per aliam occupationem incompatibilem cum auditione; ergo ista occupatio, qualiscumque sit, concurrit etiam ad omissionem; v. g. Si intendas occidere Petrum, ut inimicum, si postea eligas id perficere gladio, vel sclopo, istud instrumentum, & electio ejus erit etiam causa homicidii, & non sola

volun-

voluntas; ergo idem erit de quovis alio opere electo post deliberatam omissionem.

Resp.neg.1. & 2.ant. & conf. 3. Aliud enim est de peccato commissionis actus externi, & de peccato omissionis; ista completur per solam voluntatem, nec eget ullo alio medio, & causa præter nolitionem ponendi actum debitum; at executio operis externi requirit medium: In exemplo allato sola voluntas non potest occidere hominem, ideò debent ad illud homicidium concurrere ensis, pugio, vel sclopus, &c.

Quæres, *an actus positivus, qui eligitur, ut causa, vel occasio omissionis dicatur peccatum commissionis, vel omissionis.*

Resp. materialiter est commissio, sed formaliter habet malitiam omissionis.

Prob. Nam ille actus de se posset esse non malus; v.g. venatio, ludus, studium, quibus incumbitur, aut propter quæ omittitur Missa, non aliter mala sunt, nisi propter omissionem Missæ, quam debes audire; ergo non habent malitiam aliam, quàm omissionis, licèt quoad substractum, seu materiale, sint actus positivi, & commissionis, denique res est parvi momenti, & de puro nomine. Nam de re conveniunt omnes, quòd ibi adest actus commissus, & omissio actus debiti.

Quæres 2. *Undè petatur gravitas peccati omissionis.*

Resp. Ex gravitate rei præceptæ, & omissæ, & ex aliis circumstantiis, quibus alleviatur, aut aggravatur peccatum. Sic omittens Eleemosynam in extrema necessitate pauperis graviùs peccat, quàm si omittat in minori indigentia. Sic Missam omittens die Paschatis graviùs peccat, quàm in die festo unius Apostoli. Sic omittens Missam sine omni prorsus excusatione temporis, vel impedimenti, &c. graviùs peccat, quàm omittens ex levis pluviæ, vel infirmitatis prætextu; & sic de cæteris. Denique graviùs peccat qui directè, & ex pura malitia vult omittere, quàm qui indirectè tantùm; v.g. qui directè vult studere, aut ludere non curans de Missa minùs peccat, quàm qui positivè, & directè non vult audire.

QUÆSTIO III.

De divisione peccati in mortale, & veniale, An, & quomodo hæc inter se differant?

NOtabilissima est hæc divisio. *Mortale* dicitur illud, quod mortem spiritualem infert animæ; spolians eam gratia sanctificante, & reddens eam obnoxiam morti æternæ, quæ est *mors secunda*. *Veniale* autem dicitur illud, quod Deum offendit, sed leviter, ita ut non extinguat ejus in nos amicitiam; nec inferat mortem æternam, & quærimus hic, an hæc divisio sit vera; seu an verè dentur peccata, quæ ita sint mortalia, & venialia. Et 2. quomodo, & per quid hæc differant.

Hanc divisionem non admiserunt Stoici, quos secutus est Jovinianus, putantes, peccata omnia esse paria: VVicleffistæ volentes, omnia esse mortalia in reprobis, & venialia in prædestinatis, nec Lutherani, nec Calvinistæ; illi enim docent post Lutherum, [1] omnia esse de se mortalia, sed fieri venialia credentibus: *Nulla peccata possunt damnare hominem, nisi sola incredulitas*: Et consentit Calvinus [2] dicens, *sanctorum delicta venialia esse, non ex suapte natura, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur*. Et clarius libro sequenti, *Fidelium peccata venialia esse, non quia non mortem merentur, sed quia Dei misericordia non imputantur, quia venia delentur*.

CONCLUSIO I.

D*Antur verè peccata aliqua à parte rei venialia, & quædam mortalia tam in electis, quàm in reprobis, tam in fidelibus, quàm in infidelibus*: Est de fide contra citatos hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto, [3] qui ubique hanc veritatem supponit, & maximè cum docet, quòd *Adam in statu innocentiæ potuit peccare venialiter*. *Suppono, quòd aliquis actus ex genere potest esse peccatum veniale, puta verbum otiosum*. *Sed Adam potuit talem actum exer-*

cere

[1] *De capt. Babil.* [2] *c. de Bapt. 2. Instit. c. 8. §. 59. c. 4. §. 28.* [3] *2. P. 21. q. 1. A. n. 2.*

cere otiosè... Dico, quòd non omnis deordinatio in virtute superiori est peccatum mortale, &c. lege totam illam quæstionem, ubi explicat horum peccatorum differentiam.

Prob. 2. ex Scriptura, [1] ut cùm dicitur, aliqua esse peccata justorum, & alia impiorum: *Septies in die cadit justus, & resurgit, impii autem corruent in malum.* Et D. Jacobus [2] agnoscit quædam peccata imperfecta, & quasi conceptiones, & teneriores partes, ut venialia, & quædam consummata, & quasi adulta, ut sunt mortalia. *Concupiscentia cùm conceperit parit peccatum; peccatum vero, cùm consummatum fuerit, generat mortem*. [3] Et Christus quædam distinguit ex pœnis levioribus, & gravissimis. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, qui dixerit Racha, reus erit Concilio; qui fatue, reus erit gehennæ ignis*, sc. ut notat Hugo Cardinalis, *Quia secundum qualitatem culpæ variatur qualitas pœnæ, voluit Dominus nominum varietate varietatem pœnæ significare. Minus enim ira cordis, plus est Racha, id est affectus iræ in vocem prorumpens; plus etiam est fatue, id certa expressio convicii*, &c. Docet etiam, quædam esse levia præcepta, quorum transgressio non excludit à regno Cœlorum, licèt excludat à majori gloria. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno Cælorum.* Item [4] alia comparat festucis, alia trabibus; *quid? vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ est in oculo tuo, non vides?* &c.

Prob. 3. ex Conciliis. [5] Nam in Milevit. apertè definitur, quædam esse peccata in sanctis, pro quibus remittendis orant Deum, *Dimitte nobis debita nostra*; vetatque sub anathemate, ne dicatur, eos hoc *pro aliis potiùs, quàm pro se petere*: sc. sunt in sanctis peccata levia, quæ non tollunt gratiam sanctitatis, ut venialia. Et in Trident. [6] *Licèt in hac mortali vita, quantumvis sancti, & justi in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi; nam justorum illa vox est & humilis, & verax; dimitte nobis debita nostra*, &c. pro mortalibus autem patet ex Apost. [7] qui post examinata varia peccata concludit,

 quòd

[1] *Prov. 27.* [2] *Jac. 1.* [3] *Matth. 5.* [4] *Ibid.*
[5] *Can. 7.* [6] *Sess. 6. Ca. 11.* [7] *Gal. 5.*

quòd *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Nam loquebatur sine dubio ad fideles Galatas, non ad infideles; dixerat eos fratres; *vos in libertatem vocatis estis fratres*, &c.

Confir. Nam Adam erat sine dubio fidelis, & prædestinatus, & tamen peccavit mortaliter. Idem est de bono latrone. Idem de S.Petro, *qui mortuus est negando* (Christum) *& revixit plorando*, inquit Aug. & sic de innumeris aliis.

Prob.4. ex SS. Patribus. Nam Chrysost.[1] id colligit ex Euangelio citato de trabe, & festuca. *Videtur mihi Judæos notare, qui de parvulis quoquomnino culpis accusatores amarissimi proximorum, ipsi nihilominus nec maxima quidem crimina cohibebant*. Et Cassian. *Aliud est admittere mortale peccatum, & aliud est cogitatione, quæ peccato non caret, præveniri... Hæc enim sunt septem lapsuum genera, in quæ sanctus licèt nonnumquam cadat, tamen justus esse non desinit*, &c. Et S.Cyprianus [2] *Alia est Philosophorum, & Stoicorum ratio, qui dicunt omnia peccata paria esse, & virum gravem non facilè flecti oportere. Inter Christianos autem Philosophos plurimum distat*. Sc. peccata sunt apud nos disparia; quædam mortem animæ inferunt, quædam venialia sunt, seu venia digna. Et Ambros. [3] *Tres gradus fecit psalmus propter delictorum varietatem; quorum 1. gradus est iniquitas, vel impietas, dum non agnoscitur creator; 2. gravium peccatorum 3. verò levium*. Et Hieronymus: [4] *Sunt peccata levia, sunt gravia. Aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem*. Et, *de otioso quidem verbo, & adulterio rei tenebimur*, &c. Et Augustinus: [5] *De quotidianis, brevibus, & levibus peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit; eorum est dicere, Pater noster ... delet omninò hæc oratio minima, & quotidiana peccata*. Et sic de aliis.[6]

Objic.1. ex Script.[7] *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis... anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. Et Apost. [8] *stipendia peccati mors*. Et S.Jacobus.[9] *Qui peccat in uno, factus*

[1] *Hom.24.Matt.* [2] *Colla.22.* [3] *Ep.Ro.4.*
[4] *Con.Jovin.16.* [5] *Enchir.*
[6] *Deut.27.* [7] *Ezech.28.*
[8] *Ro.6.* [9] *Jac.2.*

factus est omnium reus. Sed hi textus non distinguunt inter peccata, quoad pœnam mortis; ergo omnia de se sunt mortalia.

Resp. dist. min. Non distinguunt, quia loquuntur de solis mortalibus, con. quia loquuntur de omnibus indifferenter, neg. min. & conf. loquuntur ergo de solis gravibus, & mortalibus.

Objic. 2. ex Patribus. Nam, inquit Basilius, [1] *de omni peccato dictum est, quòd sit stimulus mortis.* Et addit, [2] *differentiam magnorum; & parvorum in novo testamento discere non licet.* Et S. August. *Quomodo minuta peccata, si negligantur, occidunt? minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent; minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit, & opprimit,* &c. ergo ex Patribus omnia peccata, etiam quæ minuta dicuntur, sunt mortalia.

Resp. neg. conf. Nam ideò venialia, seu parva dicuntur *stimuli mortis* à Basilio, quia inclinant, & disponunt ad mortalia, &, ut loquitur August. *si negligantur, tandem in illa trahunt; nam si curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus,* ait S. Gregor. nec potuit negare S. Basilius differentiam mortalium, & venialium non disci ex Scriptura, saltem pro ut nos de illis hic loquimur.

Objic. 3. Offensa infinita est semper gravissima, & meretur mortem æternam; sed omne peccatum de se est offensa infinita; quia est offensa Dei, qui est infinitæ dignitatis; ergo omne peccatum est gravissimum, & mortale.

Resp. neg. min. & dist. prob. Offensa Dei, sed levis, est infinita extrinsecè tantùm, con. offensa, etiam gravis, est infinita intrinsecè, & intensivè, neg. ant. ut patet ex dictis suprà. Unde autem proveniat illa gravitas, aut levitas dicetur infrà.

CONCLUSIO II.

Peccatum mortale, & veniale non differunt ex eo præcisè, quòd mortale sit offensa Dei, non autem veniale; nec quia illud est contra legem, aut præceptum, istud verò tantùm contra Consilium. Utrumque est offensa Dei, & contra præceptum aliquod.

S 6 Prob.

[1] *Interrog.* 4. 293. [2] *tr.* 11. *Jo.*

Prob. 1. ex Scoto [1] citato disp. præcedenti. Nam hoc ipso, quòd docet, omne peccatum esse offensam Dei, & contra legem divinam, uno verbo, cùm definiat peccatum cum Augustino, *dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei*, in quo conveniunt peccatum mortale, & veniale, non potuit dubitare, quin utrumque sit offensa Dei, & contra legem, seu præceptum. Et alibi docet, quòd *hominis aversio à Deo est essentialis ratio peccati cujuscumque*. Et explicans, quid sit illa aversio, dicit, *Nihil est aliud aversio, nisi inordinatio voluntatis circa aliquid ordinatum ad finem ex præcepto divino, circa quod deberet ordinari*; ergo ex Scoto, de ratione omnis peccati est, ut sit offensa Dei, sc. aversio à Deo, & contra præceptum.

Prob. 2. quoad 1. p. Nam communiter de peccatis venialibus explicatur illud Jacobi: *In multis offendimus omnes*, alioqui omnia peccata, etiam justorum, essent mortalia, & hæc essent omnibus familiaria; ergo per venialia etiam offendimus Deum.

Confir. Nam certum est peccatum veniale etiam displicere Deo, & ab eo puniri; ergo & certum est, illud esse etiam suo modo offensam Dei.

Prob. 3. Nam priùs est, actum esse malum, quàm offensam Dei; nam ideò per illum Deus offenditur, quia est malus; ergo prima differentia venialis à mortali non est illa ratio offensæ Dei, sed aliquid prius, sc. aliqua malitia differens in eis; & hæc est, quam quærimus, sc. primariam differentiam eorum constitutivam, non secundariam.

Prob. 2. p. 1. Nam si nulla lex prohiberet mendacium jocosum v. g. vel officiosum, aut verbum otiosum, aut furtum unius quadrantis, non posset probari illud mendacium, vel furtum, & similia esse peccata; sed consequens est falsum, & contra omnes, ergo sunt contra aliquam legem. Prob. maj. Nam si aliundè posset probari, illa esse peccata, maximè dicendo, ea esse præter legem, vel contra Consilia, non autem contra præcepta, ut volunt adversarii; sed neutrum probat; ergo &c. Prob. 1. non quia sunt præter legem; nam actus indifferentes, ut risus, ambulatio, &c. sunt præter legem, & tamen non sunt pec-

[1] 2. d. 37. D, n. 8.

peccata, nequidem venialia. 2. non quia contra Consilium; nam vota religionis sunt de Consilio. Ita est de virginitate; *De virginibus praeceptum Domini non habeo: Consilium autem do*, &c. Et tamen qui manent in sæculo contra talia Consilia, non peccant nequidem venialiter, ut suppono ex communi sententia; ergo peccatum non ideò dicitur veniale, quia est contra Consilium, non autem contra legem, seu præceptum.

Porrò ad solutionem objectionum nota 1. quòd lex divina, ex Scoto, dupliciter sumitur, 1. propriè pro illa ordinatione, quæ simpliciter, & absolutè obligat ad aliquid ut necessarium ad salutem, & finem legis: & hæc propriè, & rigorosè dicitur lex, seu præceptum; ut cùm dicitur; [1] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et [2] *Si quis dixerit se diligere Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* 2. Minùs propriè, & largiori sensu pro ordinatione, seu regula obligante ad aliquid, non absolutè ut necessarium, sed velut utile ad finem, & salutem. Et hoc sensu lex dicitur etiam Consilium. Peccatum autem mortale est quidem contra legem in 1. sensu; sed veniale est semper contra legem, & præceptum in 2. sensu.

Notandum est 2. quòd ideò Scotus dicit, peccatum veniale importare deordinationem contra Consilium, mortale verò contra præceptum, quia vocat *Præceptum* illud, quo præcipitur aliquid velut necessarium medium ad finem, seu ad salutem; *Consilium* autem vocat illud, quo aliquid præcipitur, quod non est ita necessarium, sed tantùm utile ad finem ultimum sivè directè, sivè indirectè; & istud vocat *consilium* in comparatione *præcepti* in priori sensu, & per quandam analogiam, quam habet cum consilio; quia sc. materiæ horum præceptorum non continent neque ex se, & ex natura sua, neque ex vi legis necessitatem medii ad finem ultimum. His suppositis, facile est explicare mentem Doctoris, quando videtur dicere, differentiam horum peccatorum peti ex differentia eorum, quæ cadunt sub præceptum, aut consilium.

2. Suppono, non posse negari, quin peccatum veniale sit aliquando præter legem, aut contra Consilium; sed negamus tantùm, quòd in his posita sit pri-ma,

[1] *Matth.* 19. [2] 1. *Jo.* 1.

ma, & essentialis differentia ejus à mortali. Et de hac loquimur.

Objic. 1. con. 1. p. Offensa Dei est contemptus Dei, vel mandatorum ejus; sed contemptus Dei, & mandatorum ejus est sine dubio peccatum grave, & mortale; ergo omnis offensa Dei est peccatum mortale, & non veniale. Et in hoc consistit vera eorum differentia.

Resp. dist. maj. Est contemptus Dei virtualis, interpretativus, & levis, aut gravis, & formalis, con. formalis, & gravis, neg. maj. & min. omne peccatum est aliqualis contemptus, & offensa, & displicet Deo, sed non formaliter, nec graviter, ut veniale peccatum.

Objic. contra utramque partem. Qui transgreditur legem, & præcepta divina, excluditur à vita æterna; sed peccans venialiter non excluditur à vita æterna; ergo non peccat contra legem, & præcepta Dei, nec illum offendit.

Resp. dist. maj. Qui transgreditur legem absolutam graviter, aut malitiosè, vel ex contemptu formali, con. qui transgreditur leviter, vel ex levitate, vel inconsideratione, & sine contemptu formali, neg. maj. & cons. Nam peccata venialia transgrediuntur vel legem minùs absolutam, & in materiis minùs necessariis, vel ex levitate, aut inconsideratione, & inadvertentia; & ideò non dissolvunt Dei amicitiam, nec privant hominem gratia, neque excludunt à regno, licèt displiceant ei, & offendant eum leviter.

Objic. 3. ex Scoto, [1] qui videtur docere, quòd veniale est tantùm contra Consilium, mortale verò contra præceptum. *Alia est ordinatio, quæ potest esse respectu finis sequendi, quæ non est necessaria, sed utilis, quæ non est de præcepto, sed potiùs de Consilio. Deordinatio opposita huic est peccatum veniale*; ergo peccatum veniale ex Scoto in eo differt à mortali, quòd illud est contra Consilium, & maximè apud Deum, cujus Consilia non sunt, nec possunt esse, nisi de bono, vel optimo.

Respondeo 1. quòd hoc non faceret contra 1. partem, quia dans *consilium* etiam offenditur, si negligatur,

[1] 2.*d*.21.*q*.1.*B*.*n*.4.

gatur; & maximè apud Deum, cujus consilia non sunt, nisi de bono, & optimo.

Resp. 2. neg. conf. vel sic dist. de consilio, id est, de re, quæ non est absolutè necessaria ad finem, seu ad salutem, conc. prout consilium opponitur omni præcepto, vel legi de re bona facienda, vel vitanda mala, licèt ejus factio, vel omissio non sit nisi utilis ad salutem, neg. conf. hoc enim non intendit Scotus, sed tantùm, quòd peccatum veniale sit de re non necessaria absolutè, sed utili ad finem, ut mox dicemus. Nam quia quæ sunt tantùm utilia non solent præcipi, saltem rigorosè, ideò Scotus vocat ea de consilio, non verò de præcepto.

CONCLUSIO III.

Peccatum veniale, & mortale differunt, quòd deordinatio venialis non est circa necessaria ad finem, sed utilia ad salutem; mortalis peccati deordinatio est circa necessaria.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1]. *In hoc distinguuntur, quòd peccatum mortale est deordinatio opposita ordinationi, sine qua finis non potest sequi aliquo modo, quæ quidem ordinatio habet præceptum, contra quod deordinatio fit,* &c. ergo ex Scoto, veniale in hoc differt à mortali, quia istud est contra præceptum obligans ad aliquid necessarium ad salutem; veniale autem est contra legem, seu præceptum, & aliquid utile tantùm; & ideò istud præceptum dicitur etiam consilium.

Prob. 2. Quia revera omnis deordinatio contra priora hujusmodi præcepta est verè gravis, & mortalis, & contra ista posteriora est verè levis ex se, quod non potest dici de aliis modis explicandi talem differentiam; ergo rectè dicitur, quòd illa differentia in hoc consistit. Ant. patet ex præcedenti conclusione. Nam quidquid est aversivum à necessariis ad salutem, est verè mortale; non autem, quod avertit ab his, quæ sunt solùm utilia: quid enim magis est mortale, quàm quod avertit à necessariis ad vitam æternam? Certè charitas, nec amicitia Dei non potest stare cum illa deordinatione, & non est incompatibilis cum ista.

Con-

[1] *ibid.*

Confirm. quia hinc facilè eliciuntur aliæ differentiæ ex ista consequentes, v.g. cur mortale est gravis offensa,& veniale levis? Nam Deus cùm sit clementissimus,& mitissimus, non irascitur, nec offenditur, seu non displicet sibi graviter in his, quæ deviant ab utilibus tantùm ad finem ultimum, sicut irascitur,& offenditur per ea, quæ deviant à necessariis. 2. Patet, cur mortale dicatur grave malum, & veniale non grave, sed leve; quod enim gravius malum, quàm quod avertit ab his, sine quibus haberi non potest vita beata? ergo sic benè explicatur vera, & prima,& radicalis differentia horum peccatorum. Fateor, quæ ab aliis dicuntur, vera sunt, & in illis verè differunt, sed illæ differentiæ sunt vel accidentales, vel à posteriori, & sequuntur ex istis.

Obj c.1. Ideò aliquid dicitur præcipi graviter, & ut necessarium ad salutem, quia de se est tale,& materia gravis, aliud verò leviter, & solùm ut utile, quia de se tale est; ergo prima ratio differentiæ peccati mortalis à veniali petenda est à gravitate materiæ potiùs, quàm ab illa necessitate, vel utilitate ex præcepto.

Resp. neg.ant. Nam multa sunt necessaria ad salutem, quæ in seipsis,& præcisa omni lege,non essent talia, v.g. esus pomi scientiæ non fuit mortalis Adamo, nisi ex præcepto. Aqua baptismi non est necessaria ad salutem, nisi ex præcepto: fatemur tamen, quòd ordinariè in his,quæ graviter præcipiuntur; aut prohibentur, attendi solet ad gravitatem, seu dignitatem materiæ in se, vel ex circumstantiis, sed non semper, ut patet in exemplis allatis. Et posset Deus præcipere, vel prohibere graviter actus leves ex se, vel indifferentes, quia Dominus est.

Objic.2.Per nos differentia ista non benè explicatur per deordinationem contra præceptum,& contra consilium; sed nostra explicatio eodem recidit; ergo non est bona, vel alia illa bona est. Prob.min. Nam illud, quo res dicitur, vel fit necessaria, est verè præceptum;& illud,quo fit utilis, est consilium; ergo idem est dicere, quòd peccatum mortale est contra præceptum,& veniale contra consilium, ac dicere, quòd illud est in re necessaria, & istud in re utili.

Resp.neg.min.& ant.prob.Nam,ut dicebamus,mul-

ta sunt de consilio, quæ non obligant ne ad veniale quidem, ut consilium cælibatus, & virginitatis, quam sub consilio proponit Apostolus: quæ verò faciunt peccatum veniale, obligant verè; ergo sunt sub aliquo præcepto, licèt in comparatione illius, quod est de re necessaria, dicatur consilium.

Igitur sicut in temporalibus sunt leges, & præcepta in rebus necessariis ad conservationem Reipublicæ; & aliæ de rebus non ita necessariis, sed tamen utilibus; ita & in spiritualibus; sed utraque obligant, non tamen æqualiter.

Hinc peccatum mortale describi potest, *Deordinatio à lege præscribente aliquid necessarium ad finem ultimum consequendum*, sive ad salutem. Veniale verò, *Deordinatio à lege præscribente aliquid, tanquam utile ad illum finem*. Deordinatio à lege ponitur loco generis; in hoc enim conveniunt hæc duo peccata; & in hoc consistit ratio peccati in genere, ut dictum est, sc. quòd sit privatio rectitudinis debitæ inesse actui: reliqua ponuntur loco differentiæ unius ab alio.

CONCLUSIO IV.

Divisio peccati in veniale, & mortale potest dici generis in species. Seu, *Veniale, & mortale differunt specie sub eodem genere peccati*. Hæc sequitur ex dictis de differentia essentiali horum peccatorum.

Prob. 1. ex Scoto. Nam deordinatio circa necessaria ad finem differt specie, & notabilissimè à deordinatione circa illa, quæ non sunt ita necessaria, sed tantùm utilia; sed, ex Scoto, peccatum mortale consistit formaliter in illa priori deordinatione, & veniale in hac secunda; ergo differunt specie, & quidem eo maximè, quia Scotus has deordinationes refert in diversa præcepta, quæ sunt sine dubio diversa.

Prob. 2. Quod ex natura sua morali est separativum à Deo, & privativum gratiæ, & charitatis, differt specie, & essentialiter ab illo, quod ex natura sua morali non est tale; nam species diversæ dignoscuntur ab effectibus; sed peccatum mortale est privativum amicitiæ Dei, & gratiæ, & charitatis,

tis, non autem veniale; ergo differunt specie, saltem moraliter. Prob. min. Si effectus illi separationis à Deo, &c. non competerent peccato mortali ex natura sua, sed accidentaliter, v. g. ex majori gravitate intensiva, sequeretur, illos effectus posse causari à multis venialibus. Nam tot possent fieri, ut in gradibus intensionis æquarent gravitatem mortalis; sed hoc conseq. est falsum, & contra omnes; ergo &c. de hoc non potest esse difficultas, nisi nominalis.

Objic. 1. Si differrent specie, veniale non posset fieri mortale, nec è contra; nam quæ differunt specie, differunt essentialiter; essentię autem non mutantur: sed consequens est falsum; ergo non differunt specie. Prob. min. Idem actus, qui ex indeliberatione, vel ignorantia est ab initio venialis, evadit mortalis adveniente pleniori advertentia, vel scientia.

Resp. neg. maj. quidquid sit de minori, vel dist. non posset fieri mortale per mutationem formæ unius in aliam conc. per successionem formarum, neg. maj. & rationem ejus. Sicut calor non potest fieri frigus in aqua, & vicissim; ita & venialitas in motu iræ non potest transire in mortalitatem; sed hæc benè potest illi succedere in actu iræ, vel in motu luxuriæ; & hoc sensu potest actus idem materialiter de veniali fieri mortalis.

Objic. 2. Peccata non distinguuntur essentialiter à specie, nisi vel ex objectis, vel ex bonis, quibus privant, aut ex præceptis; sed peccatum veniale, & mortale non sic distinguuntur; ergo non distinguuntur specie. Prob. min. Nam furtum veniale, & furtum mortale possunt esse de eadem materia, & objecto, & contra eandem virtutem, & contra idem præceptum, ergo non distinguuntur ex objecto, vel materia, neque contrarietate virtutis, vel præcepti.

Resp. neg. maj. Nam licèt physicè sint in eadem materia contra eandem virtutem, & idem præceptum materialiter consideratum, non tamen eodē modo obligant, nec sub iisdem pœnis. Idem præceptum, quod prohibet furtum centum nummorum, prohibet furtum unius denarii; eadem ratio, & virtus justitiæ dictat utrumque fugiendum, sed obligant graviter

ad

ad omittendum primum sub pœnam damnationis, non ita secundum.

Inst. Si hoc faceret unitatem, vel differentiam specificam, adulterium, furtum, homicidium essent ejusdem speciei peccata; sed hoc est falsum, ergo &c. Prob. maj. eodem modo prohiberentur, sc. graviter, & sub iisdem pœnis, ergo &c.

Resp. dist. maj. ejusdem speciei ex iis principiis, conc. ex omni parte, neg. maj. & cons. Nam ad unitatem specificam requiritur integritas; & convenientia omnium, ad distinctionem verò sufficit unicæ conditionis defectus: unde mortalia omnia conveniunt in hoc, quòd graviter prohibeantur, & puniantur, in aliis verò differunt; quod sufficit.

Dixi autem, *ex natura sua morali*; nam quia peccatum non consideratur hìc secundum suum esse physicum, in genere moris; ita tota ratio ejus, & differentia constitutiva est in genere moris.

QUÆSTIO IV.

An peccatum sit mortale, aut veniale ex se independenter ab omni lege divina.

Diximus, peccatū mortale per id differre à veniali, quòd ejus deordinatio sit contraria, & deviet ab his, quæ sunt necessaria ad salutem: deordinatio autem venialis tantùm deviat ab his, quæ sunt utilia. Videndum est, an illa necessitas, vel utilitas talis sit ex natura talium rerum, & independenter ab omni lege positiva, an verò dependenter à Dei lege, & ejus voluntate sic determinante, ut qui talia fecerit, vel omiserit, verbi gratia, qui homicidium commiserit, vel actum charitatis omiserit in extrema necessitate proximi, privetur Dei amicitia, gratia, & salute, qui verò alia leviora, verbi gratia, qui dixerit verbum otiosum, aut jocosum, aut leve mendacium, & officiosum, non excludatur à salute.

Certum est autem, quædam peccata, imò omnia, quæ dicuntur mortalia, esse de facto in materia, quæ de se, & secundum rationabilem hominum æstimationem est gravis vel ex se, vel ex circunstantiis, illa

verò,

verò, quæ dicuntur venialia, reperiri in materia, quæ æstimatur levis etiam ex se, vel ex circumstantiis. Sed quæritur, an illa mortalitas, aut venialitas insit actibus illis independenter ab omni lege divina.

CONCLUSIO I.

OMnia peccata mortalia de facto talia sunt ex lege divina graviter præcipiente, aut prohibente,

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] Nam ibi docet, deordinationem, in qua consistit differentia propria peccati mortalis, *esse oppositam ordinationi, sine qua finis non potest sequi aliquo modo .... quæ quidem ordinatio habet præceptum, contra quod deordinatio fit*, &c.

Prob. 2. ex dictis disp. 1. Nam si nullum est peccatum, quod non sit contra legem divinam præcipientem, aut prohibentem, ita nec ullum mortale, & quidem à fortiori, maximè quantum ad pœnas privationis gratiæ, & damnationis æternæ, respectu quarum dicitur mortale. Nam licèt illarum pœnarum taxatio per legem divinam sit justissima, quippe Deus deviare non potest nec à justo, nec à vero, tamen non deerant Deo aliæ viæ puniendi quæcunque peccata, ut dicetur infra.

Prob. 3. ex dicendis de pœnis peccatorum. Nam constat ex Scriptura, quòd talia omnia, quæ dicuntur gravia, & mortalia, graviter prohibentur, & sub pœnis æternis. *Ite maledicti in ignem æternum esurivi enim*, &c. Et, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, &c.

Confirm. Nullum opus quantumcumque bonum ex se meretur gratiam, nec vitam æternam, nisi ex lege divina; ergo nullus actus quantumcumque malus ex se, & præcisa lege divina meretur mortem illam æternam; nec aliter illas pœnas meretur, nisi sub illis prohibetur. Unde *qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno Cælorum. Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur*, &c. Item, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; ergo sicut proponitur bonis actibus præmium vitæ æternæ, ita & malis pœna mortis æternæ; ergo utrumque est ex lege divina.

Objic. 1. Omni offensæ divinæ debetur ex natura

[1] 2. *d.* 31. *q.* 1. *B. n.* 3.

ra rei, & ante omnem legem pœna infinita, quia ob infinitatem Dei offensi illa est infinita; ergo præcisa omni lege, peccatum est mortale, id est, infert mortem æternam. Nam precisa omni lege, omnis offensa Dei, saltem gravis, est infinita ratione personæ offensæ.

Resp. 1.neg.conseq. & ant.prob. ejus. Nam, ut diximus, peccatum etiam mortale non habet malitiam infinitam, saltem intrinsecam, & intensivam.

Resp.2.neg.ant. Nam cuicumque offensæ non debetur pœna, & mors æterna, nisi vel ex lege posita, vel ex prohibitione sub tali pœna.

CONCLUSIO II.

Q*Uamvis de facto, & à parte rei dentur peccata levia, & venialia ex lege posita, nullum tamen est ita leve, quin potuerit prohiberi à Deo graviter, & sub mortali*. Prima pars est contra quosdam hereticos, & alios, qui putarunt, peccata esse venialia ex pura Dei misericordia, qui illa non imputat ad mortem: quoad 2. verò est Scotistarum aliquot.

Dixi, *à Deo*; nam de creaturis non puto, quòd sit in potestate humani legislatoris graviter præcipere, aut prohibere levia.

Prob. 1. p. ex Scoto docente,[1] quòd *peccatum veniale, & mortale sunt improportionabilia in ratione malitiæ, vel offensæ, quia infinita venialia, si essent, non æquarentur uni mortali in ratione offensæ, quia nec illa omnia averterent à fine ultimo, sicut unum mortale*, &c.... Igitur non debetur veniali pena æterna; ergo à parte rei, & de facto dantur venialia.

Prob.2.ex dictis quæstione præcedenti. Nam constat ex Scriptura, & Patribus, dari aliqua peccata in hominibus, qui non cessant esse justi, & in statu gratiæ sanctificantis; ut cùm dicitur, *Septies in die cadit justus*. Et S. Joannes, qui sine dubio erat in gratia, & quidem confirmatus in ea docet etiam de seipso, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, &c. Et S. August. *Quoniam qui jam à peccatis mortalibus mundatus est, tantum indiget detergere pulverem venialium peccatorum adhærentium pedibus*: alludit ad

[1] 4.*d*.21. *q*.21. *C*.*n*.4.

ad ea verba Christi, [1] *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*. Id etiam probavimus ex Conciliis Milevitano, & Tridentino, &c.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto jam pluries citato, qui differentiam venialis à mortali petit ex eo, quòd *in mortali peccato voluntas inordinatè se habet respectu alicujus necessarii ad finem: unde autem est illud necessarium? Dico, quòd à voluntate præcipiente illud observari, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, sc. sub pœnam damnationis, seu privationis vitæ æternæ: ergo si vel minimum peccatum Deus graviter prohibuisset, & sub pœna privationis gratiæ, & gloriæ, illud esset mortale.

Prob. 2. quia posset Deus prohibere graviter actum de se indifferentem; & qui posset esse bonus, aut præceptus; ergo à fortiori nullus est actus etiam levissimè malus, qui non posset prohiberi sub mortali. Prob. ant. Nam de facto esus pomi scientiæ fuisset de se res levissima, aut etiam indifferens, sicut & aliorum fructuum Paradisi terrestris, & tam quivis ex aliis, quàm iste potuisset graviter prohiberi; idem est de materia multorum præceptorum divinorum tam in nova, quàm in veteri lege, v.g. usus carnis suillæ, ablutio guttarum aliquot aquæ naturalis in Baptismo, & sic de aliis; sed hæc omnia graviter præcipiuntur, aut prohibentur; ergo nullum est malum tam leve, quod non posset graviter prohiberi, nec bonum, quod non posset etiam graviter præcipi.

Prob. 3. Si daretur ullum ita veniale ex natura sua, ut non posset prohiberi graviter, & sub mortali, hoc esset propter nobilissimam differentiam materiæ, & actuum, ita ut actus in una materia non posset prohiberi, nec puniri privatione gratiæ, & vitæ æternæ, sicut actus in alia: sed hoc falsum est; ergo & illud. Prob. min. Furtum unius, aut decem assium, quod jam non æstimatur, nisi veniale, non ita differt à furto decem Francorum, sicut pœna æterna differt, & improportionatur cuilibet pœnæ temporali; at ista imponitur furto decem scutorum, illa verò imponitur furto decem assium, aut unius assis; ergo differentia mortalis à veniali non venit ex improportione materiæ, vel

[1] Jo. 13.

vel actuum, & natura eorum, ita ut unus non possit graviter puniri,& prohiberi. Prob.ant. Nam excessus illorum actuum est limitatus, & in aliqua determinata proportione; excessus verò pęnarum est extra omnem proportionem in infinitum.

Confirm. Supponamus, furtum unius scuti esse veniale, & furtum trium scutorum esse mortale; quo supposito sic argumentor: Vel furtum unius scuti est adeò leve ex natura sua, ut Deus non possit illud prohibere,& punire pœna æterna,& aliud est ita grave,ut non possit illud prohibere sub pœna temporali; vel posset utrumque; si non posset aliter statuere; ergo differentia mortalis à veniali non venit ex improportione naturali actuum illorum secundum improportionem pęnarum temporalis, & æternæ; non enim tanta est inter furtum unius scuti, & furtum duorum, aut trium: Si potest graviter prohibere, & punire furtum unius scuti, aut leviter furtum duorum, aut trium; ergo ex libertate,& bonitate Dei pendet,quòd unum sit veniale,& nullum est veniale, quod non potuerit prohiberi mortaliter.

Prob. 4. Peccata considerantur vel philosophicè secundum disconvenientiam contra naturam rationalem, vel Theologicè secundum offensam Dei; sed sub neutro respectu sic differunt, ut aliqua possint prohiberi, & puniri pęna æterna, non verò alia; ergo vel omnia, vel nulla sunt ex natura sua venialia, aut mortalia. Prob.min.1.non philosophicè, & respectu ad naturam rationalem; non enim videtur, malitiam peccati talem esse, ut mereatur pęnam æternam, nec possit sufficienter expiari per aliquam temporalem; ergo quoad hoc non benè colligitur gravitas,aut levitas prohibitionis, & pœnæ. 2. Non theologicè, & in ratione offensæDei. Nam in hoc conveniunt mortale, & veniale, & utrumque est contra præceptum, & est offensa Dei; ergo etiam sub hoc respectu quodlibet peccatum posset graviter prohiberi, & puniri.

Objic. 1. con. 1. p. ex Scriptura certum est, omne, quod est contra legem, esse grave, & puniri pęna æterna, quia legimus, [1] *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno Cælorum.*

[1] *Matth.* 5.

lorum. Et, [1] *Stipendium peccati mors*. Et, *Qui facit peccatum, ex diabolo est*. Et Christus Petro dicebat, [2] *Si non lavero te, non habebis partem mecum*: Iste autem non habebat illa peccata, quæ dicimus gravia; ergo ex Scriptura omne peccatum est mortale, id est, meretur ex se damnationem æternam. Quantumcumque mandata sint levia, & minima, pœna semper erit gravis. Nam *minimus* idem est, ac *despectissimus in Ecclesia sanctorum*, inquit Glossa apud Hugonem Cardinalem; ergo seclusa Dei misericordia omnia sunt à parte rei mortalia.

Resp. n.ant. & conf. prob. Nam ibi mandata minima sic dicuntur, non quòd in se, & in mente Dei non sint gravia; sed quia in æstimatione Pharisæorum, & mundi despiciuntur ut levia. Alias objectiones dedimus suprà.

Objic.2. Nihil levius æstimari potest, quàm esus pomi scientiæ ab Adamo; sed ille actus fuit mortalis; ergo ex natura rei omnia peccata sunt gravia, & mortalia.

Resp. dist.min. Fuit mortalis ex Dei lege, & ordinatione, conc. ex natura sua, neg. min. & conf. & inde prob.2.p. conclusionis.

Objic.con.2.p. Dantur aliqua peccata ex natura sua gravia, quæ dissolvunt amicitiam inter homines, & alia, quæ de se non sunt nata sic offendere, ut possint, vel debeant dissolvere amicitiam; ergo ita est de peccatis in Deum, quædam sunt talia, ut graviter offendant, & privent gratia; quædam verò sic levia, ut non debeant offendere graviter.

Resp. neg.conseq. Nam Deus dat legem, & gravitatem rebus ex sua voluntate, quæ non potest errare; ut cùm potum aquæ frigidæ elevat ad valorem, & meritum vitæ æternæ; & sic negationem ejusdem potus potest velle punire damnatione.

Inst. Quædam sunt ex natura sua ita graves offensæ Dei, ut non possint leviter prohiberi; v.g. odium Dei, blasphemia, &c. ergo quædam offensæ ejusdem sunt adeò leves ex natura sua, ut non possint graviter prohiberi, & puniri.

Resp. neg.ant. Nam de facto mortalitas peccatorum venit ex Dei ordinatione; & licèt aliqua sint ex se,

ex

[1] *Rom.6.* [2] *Jo.13.*

ex objecto mala sic, ut Deus non videatur posse illa velle; tamen posset ea punire aliter, quàm pœna damnationis æternæ, & privationis gratiæ suæ; quod maximè verum est de iis, quæ non respiciunt directè ipsum, ut facit odium Dei.

Inst. Talis est voluntas Dei, ut non possit res magis, aut minùs odisse, quàm ex se sunt odibiles; ergo nec potest graviùs, aut leviùs prohibere, aut punire, quàm ex se sint punibiles; ergo alia sunt peccata ex natura sua mortalia, & alia venialia. Prob. ant. Nam voluntas Dei est ipsa ejus essentia, quæ est de se recta, & invariabilis, & non amat, nec odit magis, aut minus, nisi prout res sunt, vel exigunt de se; ergo, &c.

Resp. neg. ant. & prob. ejus quoad 2. p. Nam voluntas Dei ad extra est libera contingenter, & non determinatur à rebus, sed à seipsa; & res accipiunt ab ea amabilitatem, vel odibilitatem, ut patet de esu pomi.

Objic. 2. Sequeretur, differentiam venialis à mortali peti à sola Dei misericordia, quæ non imputat aliqua ad mortem æternam, sicut alia; sed cons. est hæreticum; ergo & ant. Prob. maj. quia nulla essent venialia, nisi quia Deus nollet ea prohibere, & punire graviter, ut posset, & ut illa mererentur.

Resp. neg. maj. & cons. prob. Nam aliud est, quòd omnia de se sint paria, & inæqualiter prohibita, aut prohiberi possint; & aliud, quòd non imputentur æqualiter ad pœnam, sc. in fidelibus, & justis, aut prædestinatis ad veniam, & in infidelibus, ac reprobis ad mortem: istud volunt hæretici, sc. omnia peccata esse paria in ratione offensæ, & malitiæ, & tamen non esse paria in pœna: nos verò id constanter negamus, dicimusque solùm, quòd quædam sunt mortalia, quia Deus ea prohibuit sub pœnam mortis æternæ, & alia venialia, quia Deus ea non prohibuit sub pœnam mortis æternæ, quamvis sic potuisset prohibere pro suo summo jure.

Objic. 3. Sequeretur, non posse discerni veniale à mortali; nam tota differentia peteretur à taxatione pœnæ æternæ, aut temporalis, quæ fuisset arbitraria Deo, & potuit esse gravior, aut levior independenter à natura rerum; sed cons. est falsum, & inconveniens; ergo, &c. Prob. maj. deberent discerni vel ex

regulis, & lege divina in Scripturis Sanctis, vel ex Doctorum, ac prudentum judicio, & æstimatione; sed neutrum dici potest; ergo, &c. Prob. min. 1. non ex Lege, seu Scriptura; quia nullibi constat de tali taxatione pœnæ temporalis. 2. non ex Doctorum, ac prudentum judicio, quia vir prudens non potest æstimare, vel taxare gravitatem, aut levitatem offensæ circa eamdem personam, sc. circa Deum, nisi ex gravitate, aut levitate rei, aut circumstantiarum; ergo, &c.

Resp. neg. maj. 1. argum. & min. 2. & ant. 3. quoad utramque p. Nam de multis habemus in Scriptura, quòd graviter prohibeantur, & sub pœna damnationis, & ex iis prohibitionibus possunt æstimari alia similiter displicere Deo graviter, & subjici pœnis damnationis, alia verò temporalibus, & mitiùs puniendа. Quænam verò sint illa, & quæ regulæ ad hæc discernenda, docent Casuistæ.

Quæres, *quomodo inter mortale, & veniale posset discerni*: quippè ad officium Sacerdotis Confessarii spectat discernere lepram à lepra, ut in tribunali pœnitentiæ ferre possit justa judicia.

Resp. 1. ex dictis, eam differentiam discerni ex materia. Nam si peccatum versatur in materia necessaria ad salutem, tunc peccatum est sine dubio mortale, saltem ex genere, seu ex objecto; si verò versetur circa rem non ita necessariam, sed tantùm utilem, tunc peccatum erit veniale. Diximus autem, quod in 1. casu mortale dicitur esse contra præceptum; veniale verò in 2. casu dicitur contra Consilium, quatenus sc. Consilium dicitur illa regula, & præceptio, quæ est de re solummodò utili ad salutem faciliùs, & perfectiùs, & securiùs consequendam.

Resp. 2. Id etiam cognosci ex modo loquendi Scripturæ Sacræ; quando enim aliquid præcipit, aut prohibet sub gravibus pœnis, v. g. sub pœna odii, aut inimicitiæ Dei, aut exclusionis à regno, aut mortis, & similibus, actus omissionis, aut commissionis contra hujusmodi præcepta sunt sine dubio peccata mortalia, saltem ex objecto, ut cùm legimus; *Qui talia agunt, digni sunt morte*. Vel, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Hæc addit Paulus post enumerata plura gravia peccata: aliàs verò mitiùs loquitur,

tur, ut cùm de verbis otiosis, aut vanis, *vocans ea stultiloquia, quæ ad rem non pertinent.*

Resp. 3. quòd quando ex illis duobus capitibus non possent sufficienter discerni, recurrendum ad communem sensum Ecclesiæ, & Doctorum; si enim communiter sentiant aliquid esse peccatum mortale, aut veniale, standum est illorum dictis, si aliundè id sciri non potest. Si verò non consentiant, sed diversè opinentur, eligenda est opinio probabilior, & tutior, aut saltem ea, quæ absolutè sit probabilis, & tuta.

Resp. 4. Hæc etiam posse discerni ex dignitate, seu ex gravitate materiæ, circa quam versatur actus, item ex quantitate, si sit in materia, quæ parvitatem admittat, est simul spectanda advertentia, & libertas plena, aut semiplena, seu perfecta, vel imperfecta. Nam si materia est in se levis, aut in exigua quantitate, si ex inadvertentia, & imperfecta deliberatione, peccatum dicitur veniale; si è contra, erit mortale.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo peccatum veniale possit fieri mortale.

NOn est dubium, quin plura peccata ex objecto, & genere suo mortalia possint fieri venialia, sive quin possit quis peccare venialiter circa materias, & objecta de se gravia, 1. ex parte intellectus, si non adsit plena advertentia, & deliberatio, ut in motibus repentinis, & primò primis. 2. ex parte voluntatis, si non adsit formalis, & positivus consensus, ut in his, quæ fiunt semidormiendo, 3. ex parte materiæ, si sit levissima vel ex se, vel ex circumstantiis, ut furtum unius assis, aut quadrantis. Sunt tamen aliqua, in quibus non datur parvitas materiæ, ut in jejunio naturali ad Eucharistiæ sumptionem communiter requisito.

Similiter peccatum ex genere, seu ex objecto suo veniale fieri potest mortale 1. ex conscientia erronea, si fiat aliquid in se, & à parte rei veniale, quando conscientia errans putat illud esse mortale. 2. ex fine, ut si quis jocosè, vel leviter mentiatur, ut seducat, & inducat fœminam ad turpia. 3. ex nimio affectu

in res leves; ut si quis ex nimio affectu conversationis, aut deambulationis omitteret sacrum in die festo; vel si esset paratus iis incumbere, etiam si essent mortalia. 4. ratione scandali, quod quis prævidere posset sequuturum ex levi peccato; v. g. si ludendo cum socio, daret ei occasionem blasphemandi. Nam sic licèt actio ludendi præcisè, & ex se non sit gravis, tamen ex ea circumstantia urget charitas illam omittere, ne fiat occasio ruinæ proximi. 5. ratione periculi cadendi in mortale; ut si quis ludendo se sciat obnoxium blasphemiæ, aut in tali conversatione mulierum se obnoxium pravis desideriis, &c. *qui* enim *amat periculum, in illo peribit.* 6. ex contemptu præcepti, aut superioris peccatum est veniale in omissione, & mortale in contemptu, sc. superbiæ, aut inobedientiæ formalis, & consummatæ.

3. Suppono, ut certum, quòd veniale disponit ad mortale; nam, ut docet S. Bonaventura, [1] per frequentes actus, licèt leviter malos, generatur tamen habitualis quidam neglectus rerum divinarum, ex quo labimur in graviores transgressiones: [2] *qui* enim *spernit modica, paulatim decidet.* Qui incipit modica furari sensim inclinatur ad majora furta. Item quia minuit sensim fervorem charitatis, quæ tandem extinguitur, aut sic debilitatur, ut non valeat resistere gravioribus; imò & ipsas potentias animæ laxatiores reddit ad bonum.

Quæstio igitur restat de actu, qui de se est peccatum veniale 1. an idem numero manens, & absque ulla mutatione in intellectu, aut voluntate, vel circumstantiis possit fieri mortale. 2. An multa venialia simul possint evadere unum mortale, v.g. an qui commisit centum exigua furta, evadat tandem reus mortis æternæ per centesimum, licèt istud in se, & per se solum esset veniale.

CONCLUSIO I.

Quamvis in casibus, & modis allatis peccatum veniale ex genere possit fieri mortale, tamen absolute loquendo, idem numero actus non potest sic mutari, ut qui est veniale, fiat mortale. Est communis quoad

1. p.

[1] *compen.* 11. & 12. [2] *Eccl.* 19.

1. p. quoad 2. verò videtur contra plures, saltem in modo loquendi.

Prob. 1. ex Scoto [1] quoad utramque partem. Nam apertè docet, quòd si actus maneret idem sub diversis circumstantiis, ut mobile sub diversis partibus motus, ille posset esse modò bonus, modò malus, modò venialiter malus, & modò mortaliter, sicut mobile est modò sub motu tardo, & modò sub veloci; sed quia actus raptim transit, non potest idem esse sub his differentibus malitiis; *sed quia actus raptim transit, vel si manet, manet communiter cum eo sua rectitudo, nec idem manens mutatur à recto in non rectum, nec sibi recto propriori parte succedit alia pars non recta*, &c. Vides, quod qua ratione actus humanus materialiter, & physicè manet idem, potest subesse variis mortalitatibus, v. g. bonitati, & malitiæ, & quidem malitiæ modò gravi, modò levi; sed è contra qua ratione raptim transit, ita & transit cum sua mortalitate, ita ut actus, qui modò est venialis, non sit idem cum eo, qui in sequenti momento evadit mortalis.

Prob. 1. p. ex dictis. Nam certum est, quòd si venatio duret per horam, potest esse in 1. parte horæ indifferens, vel mala solùm venialiter, & evadere mortalis in 2. propter urgentiam præcepti de Missa audienda, quæ omittitur, vel ex prohibitione, aut alia circumstantia modo explicato.

Prob. 2. p. 3. Nam in rigore scholastico actus venationis pro prima parte horæ, qua durat cum inadvertentia ad præceptum Missæ, non est idem numero, nec specie actus cum venatione pro 2. parte, qua durat cum advertentia præcepti; ergo non est, & non potest esse idem numero, nec specie sub venialitate, & sub mortalitate; ergo idem non transit de veniali in mortale, saltem in hac suppositione. Prob. ant. Nam ut venatio in 2. parte sit mortaliter mala, cùm in 1. parte non esset mala, nisi venialiter, oportet, ut sit volita cum illa circumstantia, sc. ut impeditiva auditionis Missæ, & impletionis præcepti, cum qua antea non erat volita. Idem est de actibus, qui incipiunt cum imperfecta, & semiplena deliberatione, aut ignorantia, aut simili circumstantiarum mutatione; ex quibus mutatur moralitas. Nam ut illæ influant

[1] *Quodl. 18. X. n. 16.*

in novam moralitatem actuum debent esse cognitæ, & volitæ aliter, quàm antea; sed non possunt esse aliter volitæ, & cognitæ, nisi per novos actus; ergo, &c.

Prob.2. Nam peccata veniale, & mortale distant improportionabiliter, inquit Doctor; ergo quod semel est veniale, non potest fieri mortale, nisi mutetur actus; in quo casu non currit quæstio. Ant. patebit ex sequenti conclusione.

CONCLUSIO II.

Ex *pluribus venialibus, licèt simul volitis, non potest fieri unum mortale per se loquendo, v.g. qui proponere: committere omnia venialia, quæ occurrerent, non peccaret mortaliter*. Est communior cum Scoto, & Sancto Thoma.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Peccatum veniale, & mortale sunt improportionabilia in ratione malitiæ, vel offensæ; quia infinita venialia, si essent, non æquarentur uni mortali in ratione offensæ; quia nec omnia illa averterent à fine ultimo, sicut unum mortale*; ergo ex Scoto, plura venialia non faciunt unum mortale; & qui proponeret committere omnia venialia, quæ sibi occurrerent, non peccaret mortaliter, ex Scoto. Et fateor, hæc propositio mihi videtur prima fronte dura, & paradoxa, sed tamen vera saltem speculativè.

Prob 2. ex Sancto Thoma.... [2] *Non enim omnia peccata venialia possunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale. Quod patet 1. ex parte durationis* (pœnæ) *quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ; veniale verò temporalis. 2. ex parte damni, quia mortale meretur carentiam visionis divinæ, cui nulla alia pœna comparari potest, ut dicit Chrysost.* [3] *3. ex parte pœnæ sensus quantum ad vermem conscientiæ*, &c. Fatetur tamen, quòd multa venialia æquiparari possunt mortali, quatenùs disponunt ad mortale; de hoc non est quæstio, sed de æquiparatione quoad reatum.

Prob.3. Voluntas committendi plura, vel omnia venialia sumit malitiam ab objecto; sed omnia venialia

[1] *4.d.21.q.1.c.n.4.* [2] 1.2. *q.88. c.4.*
[3] *Hom.47. prop. & 27. Matth.*

lia non includunt nisi malitiam venialem; ergo nec illa volitio. Prob. min. qui committeret omnia venialia, non peccaret mortaliter; ergo nec qui vellet ea committere; magis est enim facere, quàm velle facere; ergo si facere omnia venialia non est mortale, multò minùs velle hæc facere erit mortale.

Dices. Omnia venialia non possunt fieri, nisi distributivè, & successivè unum post aliud; sed illa volitio comprehendit omnia simul, & collectivè; ergo major est malitia in illo velle, quàm in illorum fieri.

Contra. Nam 1. illud velle respicit omnia simul eo modo, quo possunt fieri; sed non possunt fieri, nisi successivè, & distributivè; ergo nec proponi. 2. quia illud velle omnium simul non plus habet malitiæ, quàm omnia successivè commissa, & non remissa; sed omnia successivè commissa, & non remissa, & usque ad finem vitæ cumulata quoad reatum non æquivalerent uni mortali; ergo sive collectivè, sive distributivè considerata non faciunt unum mortale.

Dices 2. Tale propositum esset cum periculo proximo peccandi mortaliter; ergo exponere se, & velle tale periculum est mortale.

Contra. Nam aliud est velle peccata omnia ut venialia, præcisè ut venialia, & aliud velle venialia cum periculo; illud velle per se non est nisi veniale; & de hoc loquimur, non de velle periculi, quod esset velle mortale, non quidem ratione venialium, sed ratione periculi; & sic replica non est ad rem, sed extra casum.

Contra 2. quia si omnis volens committere veniale peccaret mortaliter; sed cons. est falsum; ergo, &c. Prob. maj. quia omne veniale disponit ad mortale; sed velle dispositionem ad mortale, est mortale; ergo &c. Re vera autem veniale, nec venialia disponunt ad mortem, nisi remotè; & ideò volens peccare venialiter non censetur velle periculum mortalis. Cùm enim veniale non expellat gratiam habitualem, nec dissolvat Dei amicitiam, Deus non retrahit auxilia sufficientia, & necessaria ad vitandum mortale. Hinc

Prob. denique, nam omnia venialia simul, non expellunt gratiam sanctificantem, ut facit minimum mortale, non dissolvunt amicitiam Dei, & qui mo-

reretur cum reatu innumerabilium venialium non damnaretur; ergo innumerabilia peccata venialia non faciunt unum mortale.

Objic. 1. ex Patribus, & maximè ex Augustino, [1] *Multa peccata levia faciunt unum grande: multæ guttæ implent flumen; multa grana faciunt massam.* Et alibi, ut refertur in Canone, [2] loquens de parvis peccatis, quæ humanæ fragilitati crebrò subrepunt, dicit, quòd si *collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid interest ad naufragium, utrum in grandi fluvio navis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat navem, & submergat?* Et Scriptura dicit: *Qui spernit modica, paulatim decidet*; ergo talis voluntas esset peccatum mortale, & multa venialia illi æquivalent.

Resp. neg. cons. Nam August. & alii PP. dum sic loquuntur, attendunt ad circumstantias, ex quibus venialia illa ex objecto fiunt mortalia, v. g. ratione scandali, aut contemptus, aut periculi, vel volunt, quòd disponant ad mortale; & hoc significat Scriptura citata, ut explicat S. Thom. cit. & Glossa illius capitis, sc. *contemptus, & vilipensio eorum*, sc. venialium *est peccatum mortale*. Et cùm ipsemet August. dicit, *nullum est peccatum veniale, quod non fiat criminale, si placet*, id inquit Glossa, [3] *cujus assiduitas, & contemptus vitandi veniale non fiat mortale.* Alii dicunt, quod ly, *placet*, significat talem affectum voluntatis, ut *in illo veniali post finem suum ultimum, quod est mortale.*

Objic. 2. Qui vult dispositiones, vult etiam formam; sed plura venialia sunt dispositiones ad mortale; ergo qui vult illa, vult & istud.

Resp. dist. maj. Qui vult dispositiones proximas, & ut tales, con. qui vult remotas, & præcisè secundum se, neg. maj. & min. Nam venialia secundum se non sunt dispositiones proximæ ad mortale, sed remotæ; & qui vult illa, non cogitat de mortali; imò sic est affectus animo, ut si cogitaret de mortali, non committeret venialia. Sic calor est quidem dispositio ad ignem,

[1] *tr. 1. Ep. 10.* [2] *d. 1. pænit. c. tres sunt.*
[3] *c. unum. Ibid.*

ignem, & qui quærit calefieri, non vult igniri.

Objic. 3. Qui vellet plurima parva furta, non vellet nisi venialia, & tamen peccaret mortaliter; ergo velle plurium venialium est mortale. Prob. ant. Nam multa parva furta faciunt materiam furti mortalis contra justitiam, & qui singulis diebus per unum, aut duos annos furatus esset decem asses Domino suo, graviter tandem, & sub mortali teneretur ad restitutionem; ergo, &c.

Resp. neg. conf, Nam si uno actu respiciens ad illa furta involveret unam summam notabilem tot furtorum parvorum materiam, ex tunc peccaret mortaliter; idem est, ac si diceret, volo furari Domino meo centum scuta per partes minutas, quia talis voluntas aliquam continuitatem haberet, & respiceret materiam gravem, seu notabilem, ita & gravem injustitiam. At in illo, *qui gravem diceret*, volo committere omnia venialia, quæ occurrent, non autem ullum mortale, nullam unam materiam gravem comprehenderet.

Unde qui proponeret diversa, aut innumera furta levia disparatè, v. g. qui diceret, *volo furari 5. aut 6. asses*, quoties se præbebit occasio, non peccaret uno peccato mortali, ni fallor; quia illud propositum non complectitur per se ullam summam notabilem. Postquam verò per plurima talia furta ditior factus esset, & adverteret, ea simul facere notabilem summam, & sibi in ea complaceret, peccaret sine dubio mortaliter, & sub mortali teneretur ad restitutionem, quia illa complacentia, & voluntas retinendi talem summam esset de re gravi.

Objic. 4. Plus differt aurum ab argento, quàm peccatum veniale à mortali; sed plures partes argenti possunt æquivalere auro; ergo & plura venialia mortali.

Resp. dist. min. Per æstimationem extrinsecam, quæ pendet ab hominum arbitrio, con. quoad entitatem, & meritum intrinsecum, neg. min. & conseq. Nam aurum in se est semper aurum altioris longè meriti, ac valoris intrinseci, quàm argentum; idem posset dici de ligno, vel qualibet alia re vendibili, & pretio æstimabili: at ne quidem ita est de peccato veniali, quia nulla lex divina, vel humana præfixit pec-

cato veniali talem æquivalentiam infinitorum venialium cum uno minimo mortali.

Objic. 5. Propositum committendi omnia venialia, quæ occurrerent, includeret illud committendi ea omni tempore,& occasione, in quibus occurrerent; sed tale propositum non potest esse semper veniale; ergo propositum committendi omnia venialia non est veniale. Prob. min. tale propositum includeret illud garriendi jocosè etiam tempore sacri præcepti; sed tunc illæ confabulationes jocosę essent peccatum mortale, quia tunc non satisfaceret obligationi Missæ; ergo, &c.

Resp.neg.min.& maj. prob. Nam illud propositum non esset, nisi de venialibus committendis, illæ verò confabulationes durante Missa de præcepto non essent veniales, sed mortales; ergo non continerentur in illo proposito.

Objic. denique. Propositum vitandi omnia venialia esset opus graviter bonum, & heroicum, quia est de re optima, & admodum ardua; ergo propositum committendi omnia venialia esset graviter malum, & mortale. Nam contrariorum eadem est ratio.

Resp. neg. cons. & disparitas est, quia tam facile est committere venialia, ut nulla lex prohibeat graviter tale propositum; at vitare omnia prorsus venialia est fragilitati humanæ difficillimum, & sic illud propositum est laudabilissimum,& valdèmeritorium, puto tamen, quòd propositum vitandi omnia collectivè non esset valdè prudens, quia ferè impossibile.

Dixi autem, *per se loquendo*, nam ratione scandali, aut periculi, aut contemptus, aut ex aliis circumstantiis potest fieri, ut in tali proposito esset peccatum mortale. Imò in praxi vix contingere potest sine aliqua istarum circumstantiarum, & maximè periculi labendi in pejora sive ex justo Dei judicio, sive ex habitu per frequentes actus malos in levibus, quo etiam inclinaretur ad similes in gravioribus, v. g. in furtis, mendaciis, &c. unde monebat Chrysost. *Solent mihi nonnunquam tanto studio magna videri peccata vitanda, quàm parva, & viliora: illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit, hæc autem ipsa re, quia parva sunt, & desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insur-*

surgere. Et præterea tale propositum vix esse posset sine aliquo Dei contemptu, quem vellet ille in omni occasione offendere, saltem leviter: loquimur ergò de venialibus speculativè, & præcisè ab omni alia circumstantia mutante speciem objectorum, vel notabiliter aggravante.

CONCLUSIO III.

RELIGIOSUS, *qui proponeret omittere observantias omnes suæ Regulæ, licèt non obligantes sub peccato ullo, saltem sub peccato mortali, peccaret mortaliter absolutè loquendo*. Videtur non ita communis, sed si benè perpendantur limitationes, quas adhibent adversarii, dum Religiosos in his faciunt pares aliis, advertes eos in re nobiscum sentire.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui dicit, *Religiosum esse in statu perfectionis acquirendæ*, quod *non videtur nisi ad illa, quæ vovit*, ut sunt observantiæ regulæ suæ, & in hoc conveniunt omnes; sed nihil est magis oppositum statui perfectionis acquirendæ, quam religiosus vovet cum sua regula: ergo tale propositum negligendi observantias suæ religionis non esset sine mortali.

Prob. 2. quia religiosus sub mortali tenetur ex vi status sui tendere quotidie ad perfectionem per observantiam suæ regulæ, sive hæc obliget sub veniali, aut etiam sine peccato: ad hoc enim vovet tria vota observare secundum regulam suæ religionis, & ipsa regula eò tendit, ut dirigat, & præscribat modum illa vota substantialia servandi, sed tale propositum peccandi venialiter in omni occasione includeret illud de non observanda regula aut formaliter, aut virtualiter; & opponeretur tendentiæ ad perfectionem; ergo esset peccatum mortale; imò esset *quædam Apostasia à sua professione*, inquit Barthol. [2] à S. Fausto in suo Thesauro. *Hinc religiosus, qui totam suam regulam, vel majorem ejus partem violat, peccat mortaliter*. Et propterea, inquit Cajet. [3] *Caveant sibi multum religiosi, ne animum proficiendi deponant, quem tunc proculdubio habent, cùm intendunt vivere*

T 6 se-

[1] 3. *d*. 38. *q*. 1. *E*. *n*. 11. [2] *L*. 5. *q*. 25. *n*. 7.
[3] 2. 2. *q*. 184. *a*. 5. *ad* 2.

secundum regulam, & constitutiones suas, &c.

Prob. 5. Nam religiosus negligens ordinariè observantias suæ regulæ vel omnes, vel etiam notabilem earum partem grande scandalum dat reliquis, & grave damnum infert suæ religioni; & se ipsum reddit ineptum ad perseverantiam in religione; sed hæc sunt gravia peccata; ergo & illud propositum. Prob. maj. Nam in ea negligentia inficit alios malo suo exemplo; denigrat suam religionem, turbatque illius ordinem, ac disciplinam, & fratres suos inficit malis exemplis, & retrahit eos ab observantia, & æstimatione sui status, & denique superiores movet ad eum expellendum, velut ovem morbidam, &c.

Objic. 1. Religiosus in levioribus non est pejoris conditionis, quàm alii fideles; sed isti non peccant mortaliter in tali proposito per nos; ergo nec religiosi.

Resp. neg. maj. Non enim sunt quidem peioris, sed melioris, & altioris status, sc. obligati ex vi votorum, & status voto adsumpti ad perfectionem quærendam per media sibi præscripta, aut saltem ad ea non negligenda cum proposito deliberato.

Objic. 2. Religiosus ad nihil tenetur præ aliis sub mortali, nisi ad tria vota; sed hæc possunt observari sine observantiis regulæ; ergo ad has non tenetur sub mortali, imò neque sub peccato, nisi regula aliter præcipiat.

Resp. dist. maj. Ad tria vota secundum regulam suam, & per media, quæ regula præscribit, con. per alia media sibi arbitraria, neg. maj. & min. Nam per eas præcisè observantias, & per ea media, quibus obligatur ad servanda vota, una Religio differt ab alia.

Objic. 3. Qui negligeret unam, vel alteram observantiam, non peccaret mortaliter; ergo nec qui negligeret plures, vel omnes.

Resp. neg. cons. Nam fieri potest, ut aliæ sufficiant ad ordinem regularitatis, quæ non turbatur notabiliter ex illarum paucarum transgressione, nec ex ista oriatur grave scandalum, sicut ex generali, vel notabiliori parte observantiarum neglectarum.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De divisione peccati in actuale, & habituale. Quomodo distinguantur. Item de macula.

INsignis etiam est divisio peccati *in actuale*, & *habituale*. 1. est ipse actus elicitus contra regulas morum, 2. est macula quædam remanens ex illa actuali transgressione præterita per modum habitus, donec per gratiam fuerit remissa culpa, & absterfa macula.

Suppono autem, ut certum apud omnes, quòd post actum peccati remanet aliquid in homine, à quo denominatur peccator, & reus pœnæ, donec remissum fuerit, & hoc patet ex Scriptura. Nam Magdalena non peccabat ad pedes Christi, cùm dicebatur *peccatrix*, nec illi, de quibus dicitur, quod *publicani, & peccatores discumbebant cum Jesu*. Ideò post peccatum homo dicitur *maculatus*, *pollutus*, *immundus*, *sordidus*, *abominabilis*, &c. & hæc macula dicitur etiam peccatum *habituale*.

Sed notandum, quòd non dicitur *habituale*, quasi sit habitus vitiosus contractus per frequentationem actuum malorum, quo inclinemur ad similes actus. Nam homo justus potest habere tales habitus; sed dicitur *habituale*, quia sicut habitus est quædam qualitas de difficili mobilis, atque inhærens permanenter potentiæ; sic per analogiam peccatum transacto actu relinquit in anima quandam maculam ipsi inhærentem permanenter, donec per gratiam abstergatur, quæ cùm sit qualitas physica, aut moralis, difficultas est decidere, in quo consistat; de hoc enim magna est controversia etiam inter Scotistas.

Porrò jam diximus de macula peccati originalis in tract. superiori, & modò non agimus nisi de peccato habituali personali.

CONCLUSIO I.

LIcèt peccatum habituale, seu macula, à qua post transgressionem actualem homo remanet, & dicitur peccator, sit cum privatione gratiæ; tamen non consistit

sistit formaliter in illa privatione. Videtur contra Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Tum quia, ut diximus suprà, peccatum actuale est quidem causa talis privationis, sed tamen in ea non consistit formaliter: tum quia, inquit, *post actum intrinsecum, & extrinsecum transeuntem manet quidem injustitia habitualis*, (sc. privatio gratiæ in eo, cui debet inesse) *sed non ab illa sola dicitur quis peccator; alioquin qui commisisset duo millia peccata mortalia, & qui unum, essent æquè peccatores intensivè, & extensivè*, quia in eis *& tota gratia quantum ad intensionem, & sola ipsa quantum ad extensionem privatur tam in eo, qui commisit unum, quàm in eo, qui duo millia; & ideo non diceretur minus unus peccator post actum transeuntem, quàm alius.* Prob. assumptum, *quia in quolibet peccato mortali ita privatur gratia, quod nihil ejus manet*. 2. peccatum, & reliqua omnia sequentia nihil expellerent, & sic non essent peccata, quod est absurdissimum.

Prob. 2. quia veniale, & mortale conveniunt in ratione peccati, & illud tam remanet habitualiter, & quoad aliquam maculam, & culpam; & tamen non constituitur per privationem gratiæ; ergo nec mortale habituale.

Prob. 3. In statu puræ naturæ daretur peccatum mortale habituale; sed tunc non consisteret formaliter in tali privatione; ergo neque nunc; nam etiam in eo statu esset ejusdem speciei, ac in statu isto.

Prob. 4. quia de potentia absoluta posset dari peccatum grave sine expulsione gratiæ, & vicissim posset dari gratia sine remissione peccati, & posset deleri macula sine infusione gratiæ; ergo neutrum consistit essentialiter in expulsione alterius. Ant. probabitur suo loco, ubi de oppositione gratiæ cum peccato.

Prob. 5. Sequeretur, omnia peccata habitualia, & maculas omnes esse ejusdem speciei; sed conf. est falsum; nam sicut peccata actualia sæpius specie differunt, ut adulterium, & furtum, & blasphemia, &c. ita & habitualia; ergo, &c. Prob. maj. nam omnia habitualia consisterent in privationibus ejusdem speciei, sc. in privatione gratiæ, quæ est una specie; essent etiam

[1] *2. d. 37. A. n. 3.*

iam omnia equalia; nã privationes gratię sunt ęquales.

Confir. Nam si esset aliqua differentia, vel inæqualitas peteretur ex inæqualitate gratiæ expulsæ; sed hoc non potest dici; ergo nec illud. Prob. min. Nam si ex hac inæqualitate veniret inæqualitas peccati habitualis, qui post annum sanctitatis, & gratiæ auctæ peccaret mortaliter, esset gravior peccator, & magis maculatus, quàm qui per totum illud tempus continuò peccasset, quia ille longè majorem gratiam perdidisset, quàm iste.

Objic. 1. Peccatum habituale tollitur formaliter per gratiam; ergo illud consistit formaliter in privatione istius.

Resp. ex nostris principiis, tollitur formaliter ex ordinatione divina, & moraliter, con. physicè, & ex natura rei, ut calor per frigus, neg. ant. & conf. gratia ex ordinatione divina exigit, ut Deus remittat peccatum, & maculam ejus, & ex Dei decreto ad ejus præsentiam remittitur de facto, sicut & redditur nobis amicitia Dei loco inimicitiæ, quam incurrimus per peccatum etiam ex eodem decreto. Ideo privatio gratiæ, & amicitiæ est effectus peccati tam habitualis, quàm actualis; non est autem forma ejus constitutiva.

Objic. 2. Sicut peccatum actuale est aversio actualis à Deo, ita est actualis privatio gratiæ: ergo & habituale erit privatio habitualis gratiæ; nam gratia est formalis conversio ad Deum, & amicitia Dei cum anima.

Resp. dist. ant. Aversio virtualiter, con. formaliter, n. ant. & conf. & rationem ejus. Nam peccatum formaliter est transgressio legis divinæ, & privatio conformitatis ad legem, in qua privatione, & transgressione includitur virtualiter aversio à Deo, ut fine ultimo. Similiter gratia est virtualiter conversio ad Deum, prout est comprincipium charitatis, & virtutum, quæ ordinantur ad finem ultimum, & ex ordinatione divina reddit animam Deo gratam, & amicam.

Inst. 1. Justitia habitualis formaliter est gratia, etiam ex Scoto cit. ergo peccatum habituale, seu injustitia habitualis formaliter est privatio gratiæ.

Resp. d. ant. Est gratia, id est per gratiam, & moraliter ex ordinatione divina, & de lege ordinaria con. phy-

physicè, & formaliter ex natura rei, neg. ant. & similiter dist. conf. est privatio gratiæ efficienter, & demeritoriè, & ex ordinatione divina, & lege ordinaria, con. physicè, & formaliter, neg.conf. Gratia est quidem qualitas realis infusa animæ, per quam redditur illi sua justitia, & pulchritudo, sed ex lege posita, qua Deus statuit intuitu talis qualitatis condonare peccatum, & reddere suam amicitiam animæ!, sicut intuitu peccati retrahit ab eadem anima suam gratiam; sed peccatum in se formaliter est injustitia, seu transgressio legis causans tales privationes gratiæ, & amicitiæ Dei.

Inst.2.Ex sola præsentia gratiæ homo dicitur justus, & Deo gratus formaliter; ergo ex sola gratiæ privatione dicitur formaliter injustus, & peccator; ergo peccatum habituale est formaliter privatio gratiæ.

Resp.n.ant. absolutè. Nam dicitur etiam justus ex operibus justitiæ, quibus se disponit ad gratiam habitualem, & quæ permanent in eo moraliter, sicut dicitur, & est injustus actualiter ex operibus malis, quibus demeretur gratiam, & quæ in eo pariter perseverant. Primaria justitia est ex bonis actibus, sicut primaria injustitia est in peccatis, quibus demeremur gratiæ privationem.

Objic.3. ex Concil. Triden. [1] formalis justificatio describitur *translatio animæ à statu peccati ad statum gratiæ*; sed hæc translatio fit à privatione gratiæ ad habitum gratiæ; ergo status peccati formaliter nihil est aliud, quàm privatio gratiæ formaliter.

Resp. d. maj. Ad statum remissionis peccati, & infusionem gratiæ simul, con. ad statum solius gratiæ per unicam mutationem, n.maj. & conf. distincta similiter minor. Nam hæc translatio fit per duplicem mutationem, sc. à peccato ad non peccatum, & à privatione gratiæ ad habitum gratiæ: anima retractans peccatum præteritum per pœnitentiam se disponit ad remissionem ejus, quam Deus concedit; & simul infundit gratiam, quam ob peccatum retraxerat, & est 2. mutatio, quæ fit in justificatione, sc. à privatione ad habitum gratiæ.

Inst. In eo consistit formaliter peccatum habituale, quod

[1] *ss. 6. cap.4.*

quod tollitur in justificatione; sed tollitur ibi sola privatio gratiæ; ergo in hac sola consistit peccatum habituale.

Resp. d. maj. Quod tollitur per se primò, con. maj. & neg. min. quod tollitur secundariò, n. maj. & conf. Nam in justificatione tollitur primò ipse reatus peccati per condonationem gratuitam Dei mediante pœnitentia; & simul, & concomitanter, aut secundariò redonatur gratia, & remissio pœnæ. Negari etiam posset major illa absolutè; nam ob hanc rationem est absolutè falsa, sicut & minor.

Inst. 2. Macula peccati originalis consistit formaliter in privatione justitiæ originalis; ergo & macula peccati personalis in privatione gratiæ habitualis.

Resp. 1. n. ant. Hoc enim falsum esse patet ex dictis de illo peccato; & multi censent, etiam ex Scotistis, illam maculam consistere in reatu culpæ ex participatione peccati Adæ.

Respond. 2. neg. conseq. & disparitas est, quia per privationem justitiæ originalis sufficienter intelligitur tota macula illius peccati, & totum ejus malum, quod est ejusdem speciei in omnibus. Non ita est de peccatis personalibus; quæ sunt diversissimę speciei, non verò privatio justitiæ, seu gratiæ habitualis, quæ est ejusdem rationis in omnibus. Ideò macula illa debet aliter explicari pro peccatis istis, quàm pro illo.

Objic. 4. Peccatum dicitur mortale à morte animæ; sed illa mors consistit in privatione gratiæ; ergo & hoc peccatum habituale. Prob. min. non enim apparet, quòd possit aliundè sumi hæc denominatio, *mortalis*.

Resp. dist. min. A privatione ut ab effectu, con. ut à forma primariò constituente, n. min. & conf. Et certè tam actuale, quàm habituale dicitur mortale; ergo macula illa, pro ut est à peccato actuali transeunte, & præterito, non benè per hanc mortem, & privationem gratiæ distinguitur. Præterquamquod, ut diximus, peccatum illud, & gratia de potentia absoluta possent esse simul quoad entitatem realem, & physicè: Quod dici non posset, si essentia peccati consisteret in illa privatione gratiæ. Igitur fatemur, & verum est, quòd de lege posita, &

de

de facto peccatum habituale importat privationem gratiæ, quæ dicitur vita animæ, & justitia formalis, & venustas, & decor ejus: sed negamus, quòd in illa privatione consistat prima, & formalis ratio talis peccati.

CONCLUSIO II.

Peccatum habituale non consistit in habitu reali ex peccato actuali contracto, neque in qualitate ulla physica, quæ dicatur qualitas morbida, aut alio nomine appelletur. Est communis quoad utramque partem, & quoad 2. patet ex dictis de peccato originali, à quo absterśimus talem qualitatem, in qua illud constituunt aliqui.

Prob. 1. ex Scoto citando, & citato. Nam videbimus, in quo per eum consistat hæc macula, & hoc peccatum.

Prob. 1. p. 1. quia sæpè habitus vitiosi contracti ex actibus peccaminosis remanent cum gratia in justificatis; sed peccatum habituale, seu macula non manet cum gratia de lege ordinaria: ergo, &c.

Prob. 2. quia tales habitus non delentur, nec destruuntur, nisi successivè per actus virtutum oppositarum peccatis, quibus acquisiti sunt; ergo in talibus habitibus non consistit hæc macula, quia tota simul deletur; alioqui etiam staret simul cum gratia, sc. secundum aliquos sui gradus, qui successivè deberent expelli.

Prob. 2. p. 1. quia frustra, & sine ullo fundamento fingitur ulla talis qualitas ab actu relicta. Nam actus non producunt nisi habitum; habitus verò non est peccatum, sed effectus peccati.

Prob. 2. quia sequeretur, Deum esse causam efficientem peccati habitualis. Nam omne ens positivum reale est à Deo effectivè.

Confir. Nam actus boni non producunt ullam qualitatem bonam, præter habitum virtutis; ergo nec mali debent producere ullam, præter habitum vitiosum; ergo si peccatum habituale non consistit in ullo habitu positivo, ita nec in ulla qualitate physica.

Objic. 1. ex Scriptura, & Patribus. Homo per actum malum remanet verè peccator, & maculatus; ergo

hæc

hæc macula vera, & realis est; sed non potest assignari quidquam reale in peccato habituali præter habitum vitiosum, aut qualitatem morbidam, quæ inficit animam; ergo &c.

Resp.dist.ant. & conf. Maculatus per veram maculam moralem, aut physicam, con. physicam, neg.ant. & conf. Nam ipsa culpa, & ipsum peccatum actuale formaliter nihil est physicum, sed pura privatio rectitudinis debitæ in actu, qui dicitur peccatum; ita est à fortiori de peccato habituali, & macula, est quidem vera, sed est quid morale.

Aliæ objectiones solutæ sunt tr. superiori de peccato originali.

CONCLUSIO III.

Peccatum habituale non est solus reatus pœnæ, seu condignitas ad pœnam, sed primariò, & per se est ipsa transgressio physicè præterita, & moraliter perseverans. Est recentiorum, & plurium Scotistarum contra plures alios, qui ponunt illud in solo reatu pœnæ.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet, quòd *in damnatis pœna durat, quia peccatum in eis durat*. Nam, inquit Fulgentius, *Permanente in eis injustæ affectionis malo, permanet in eis justæ retributionis damnatio*; ergo peccatum permanens, seu habituale est causa pœnæ, & in eo fundatur obligatio, & dignitas ad pœnam. Et alibi [2] de iisdem dicit, quòd *habent potentiam non peccandi, quia habent potentiam* (voluntatem liberam) *quæ non est peccatum; sed non possunt non esse in peccato, quomodo quis dicitur esse in peccato, postquam transivit actus, quem commisit, & privatus gratia remanet reatus usque ad pænitentiam de peccato commisso*; ergo ex Scoto, remanet peccatum in damnatis, non quidem physicè, quia transivit actus physicus, sed moraliter, donec retractetur per pœnitentiam. Item postquam dixisset, quòd post actum peccati nihil remanet in ratione culpæ, sed solus reatus pœnæ, quasi hoc non sibi esset certum addit; *si iste modus non placet, quia videntur Sancti distinguere inter remissionem culpæ, cujuscumque, & pœnæ, & maximè inter remissionem, & solutia-*

[1] 4.d.50.q.6 *T.n.*23. [2] 2.d.7 *V.n.*24.

lutionem pœnæ debitæ illi culpæ, potest alio modo dici, &c. ergo inquit scholiastes, hìc Doctor expressè docet, id, à quo quis denominatur peccator, non esse obligationem ad pœnam, &c. & hoc ex mente Sanctorum. Vide alios textus apud Hiquæum, qui notat Scotum scripsisse librum 4. ante 2.

Prob. 2. ex Script. [1] Nam reatus pœnæ fundatur in culpa, quæ est objectum pœnitentiæ, non autem pœna ipsa, vel obligatio ad ipsam; ergo reatus pœnæ non est formalis ratio peccati habitualis, nec macula peccati actualis. Conf. patet: nam peccatum, & macula peccati præcisè, & formaliter, & primariò est id, quod deleri debet per pœnitentiam, virtutem, & Sacramentum. Prob. ant. non enim jubemur dolere de pœna præcisè, & per se, quia ipsa, nec obligatio ad illam non est præcisè, & formaliter peccatum, sed effectus peccati; ideò Scriptura non monet, ut doleamus nisi de culpa; & quidem non ut liberemur à pœna, sed ut deleantur peccata, seu culpæ. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Et, *si fuerint peccata vestra, ut coccinum, velut lana alba erunt*. Item, [2] *mundamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum*. Et sic de cæteris; ergo obligatio, seu reatus pœnæ non est tota ratio peccati habitualis, nec ejus maculæ, sed ipsum peccatum actuale præteritum quidem physicè, sed moraliter perseverans.

Confir. 1. Nam ille reatus, in quo Scotistæ illi ponunt formale peccati habitualis, est ordinatio passiva ad pœnam; sed illa ordinatio etiam passiva, præcisè, & in se non est mala, nec peccatum; ergo &c. prob. min. nam illa ordinatio passiva fundatur in activa; sed hæc non est mala (absit) est enim à Deo legislatore, nam si non ordinasset activè pœnam æternam pro peccato mortali, non esset in illo talis ordinatio passiva; ergo nec illa erit mala, sed justa. Quod si fundatur in transgressione actuali præterita, & moraliter perseverante; ergo in hoc primariò consistit peccatum habituale, & macula.

Confir. 2. ex eadem Script. Nam Sancti non dolent de pœnis, sed de peccatis. *Merito hæc patimur, quia peccavimus*, inquiebant Fratres Joseph, Et, *Non secundum peccata nostra facias nobis*. Certè si nihil prorsus

[1] *4. d. 14. q. 4. Comment. n. 23.* [2] *Act. 3.*

sus restaret de peccatis actualibus, non video, quomodo restaret aliquid de obligatione, seu dignitate, ac demerito pœnæ. Et cùm legati Josue dixissent Israelitis, [1] *peccastis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet*, responderunt, *Deus novit, si prævaricationis animo hoc altare construximus, puniat nos in præsenti*. Vides maculam præsupponi reatui pœnæ; quod clariùs patet in Isaia; *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, sc. pollutio labiorum*, seu macula remanens ex peccato silentii est ratio *væ*, seu reatus pœnæ. Et cùm Joannes dicit, *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*. Et, *Beati, qui lavant stolas suas in sanguine agni*; non loquitur de solo reatu pœnæ, sed culpæ, qui præcedit, & fundat reatum pœnæ.

Prob. 3. Reatus pœnæ est voluntas Dei ordinantis punitionem peccati, vel est dignitas ipsa, seu demeritum peccati exigentis pœnam; sed neutrum dici potest ratio formalis peccati habitualis; ergo non est. Prob. min. 1. non voluntas, vel ordinatio actualis, ut patet; illa enim ordinatio est justissima, & à Deo, in quem non cadit macula: non passiva; nam 1. hæc ordinatio ad pœnam fundatur in culpa. 2. hæc ordinatio passiva ad pœnam æquè reperitur in peccato actuali, ac in habituali; sed in actuali hæc non est ratio ejus constitutiva; ergo minus in habituali.

Confir. Nam in humanis ordinatio ad pœnam ex lege humana, v. g. pro furto non magis existit post promulgationem, quàm furtum, vel homicidium ante mensem patratum; ergo si volitio, seu decretum legislatoris post tot annos transactum durat sufficienter ad punitionem peccati hodie, vel olim commissi, ita & ipsum peccatum sufficienter durat, ut me constituat peccatorem, & punibilem. Et sicut statutum de punitione peccati non redderet me punibilem, si fuisset retractatum, quia non duraret, nec existeret ampliùs moraliter; ita nec peccatum duraret ad pœnam, si fuisset retractatum per pœnitentiam; ergo illa punibilitas non est ipsum formaliter peccatum habituale, sed effectus ejus, aut quid consequens ad illud. Igitur quia volitio, qua volui offendere Deum per blasphemiam, v. g. perseve-

[1] *Jos. 22.*

severat moraliter, donec fuerit retractata, & condonata, ita & punibilitas, seu reatus ad pœnam; ergo iste reatus pœnæ fundatur in reatu culpæ; ergo in isto consistit primaria ratio peccati habitualis.

Prob. 4. Illa dignitas ad pœnam, seu reatus pœnæ est tota ratio peccati habitualis, vel pars ejus; sed neutrum dici potest; ergo hoc peccatum non consistit formaliter in illa dignitate. Prob. min. 1. non tota; alioqui transacto actu peccati nihil remaneret tollendum per pœnitentiam, virtutem, aut sacramentum, nisi solus reatus pœnæ; sed conf. est erroneum, vel hæreticum; ergo & ant. Prob. min. Nam hæc propositio damnata est in Michaele Bajo, in Bullis Pii V. & Gregor. XIII. *In peccato duo sunt, actus, & reatus. Trāseunte autem actu, nihil manet nisi reatus, unde in Sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium sacerdotis solum liberat à reatu.* Loquitur de reatu pœnæ. Idem damnatur in Concilio Tridentino; [1] dicitur enim, quòd pœna æterna vel sacramento, vel sacramenti voto una cum culpa remittitur; ergo ex peccato actuali restat aliquid præter reatum pœnæ remittendum, sc. culpa, seu macula durans moraliter; quod etiam clarè definit dicens, *præter culpam, & reatum pœnæ æternæ, quæ delentur per pœnitentiam, remanere adhuc reatum pœnæ temporalis.* Nam ibi distinguit culpam à reatu pœnæ æternæ, & utrumque à reatu pœnæ temporalis, qui reatus remanet post sacramentum absolutionis.

Prob. 5. maximè de permanentia morali peccati actualis. Nam obligatio, seu reatus ad pœnam nascitur immediatè ex culpa; ergo obligatio ad pœnam, quæ remanet in peccato habituali supponit durationem moralem culpæ, seu peccati ipsius, in qua fundatur illa obligatio.

Confir. Nam idem est de peccato, ac de multis aliis actibus, qui licèt non existant ampliùs realiter, & physicè, tamen ita moraliter durant, ut eosdem effectus præstent, ac si de facto existerent, modò aliquando exstiterint physicè, & non fuerint revocati. Ita est de legibus principum, de taxatis pretiis rerum, de votis, de contractibus, &c. quæ tamdiu

[1] *ſſ.6.c.24.& Can.3.*

diu durare dicuntur, & de facto durant quoad effectus suos, quamdiu non revocantur. Id fateantur adversarii necesse est de peccato quoad reatum pœnæ, quare non quoad maculam, & culpam transgressionis?

Prob. denique. In eo est formaliter peccatum habituale, seu macula, quod tollitur per justificationem; sed ibi non tollitur solus reatus pœnæ; ergo, &c. Prob. min. tum ex Concil. Trid. & Bullis, & Scripturis citatis; tùm ex aliis innumeris, quibus constat, non solam pœnam levari in justificatione, sed alias etiam maculas. Nam de Davide dicitur, quòd Dominus transtulit *peccatum tuum* (ecce maculam) & addit; *non morieris* (ecce pœnam sublatam) Et Isaias. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum* (ecce culpas, & maculas earum) *Quod si nolueritis, gladius devorabit vos* (ecce reatum pœnæ) Ezechiel. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Igitur peccatum habituale nihil est aliud primariò, & formaliter, quàm ipsa transgressio legis, actu quidem præterita quoad existentiam realem, sed moraliter permanens, quatenus voluntas censetur semper velle, quod semel voluit, donec retractet, aut limitet eam volitionem. Sic qui semel elicit actum odii Dei, vel inimici, censetur semper odire, donec reconcilietur, & illi semper imputatur illud odium, & ex illo restat maculatus, & infamatus coram Deo, qui etiam ex parte sua remanet semper offensus. Certè sicut peccatum actuale est formaliter privatio rectitudinis debitæ in actu, ex qua irrectitudine inficitur, & dehonestatur anima; ita durat illa irrectitudo, & macula ejus in anima, donec abluatur: & ex illa irrectitudine oritur cōtinuatio debiti, & reatus ad pęnam, sicut & privatio gratiæ, donec peccatum, seu culpa remittatur per pœnitentiam, & infusionem gratiæ.

Ideò dixi, quòd peccatum habituale non est solus reatus pœnæ. Non enim nego, quin includat illum, sicut & carentiam gratiæ sanctificantis; sed dico utrumque, sc. reatum illum, & carentiam illam fundari in transgressione moraliter remanente in sensu explicato.

Objic. 1. ex Scoto nihil reale absolutum, vel relativum

tivum remanet in aliquo cessante omissi actu peccati, à quo ille dicatur peccator. ... Sed tantummodo relatio quædam rationis, in quantum est objectum intellectus, vel voluntatis Dei; quia postquam commisit peccatum, voluntas Dei ordinat ipsum ad pœnam correspondentem peccato; ergo ex Scoto, [1] post peccatum actuale transactum nihil aliud restat in homine, per quod dicatur peccator, præter debitum pœnæ proportionatæ peccato; ergo in hoc solo debito consistit tota ratio peccati habitualis, seu maculæ.

Resp. neg. cons. utramque; sequitur quidem, quòd peccatum habituale nihil est reale physicum, non autem quòd non sit quid reale morale. Nam hoc asserit contra sententiam, quæ vult illud esse habitum vitiosum, vel qualitatem physicam morbidam, & asserit ibi relationem rationis, qua peccator ordinatur ad pœnam proportionatam, sed non negat ibi esse culpam moraliter remanentem ex peccato actuali, in qua fundatur illa relatio, & debitum ad pœnam, ut nos asserimus; ideo temerè illum damnant recentiores, quasi incidat in errorem Baii. Præterea huic, & similibus textibus opponimus alios à nobis adductos pro conclusione, qui aliter conciliari non possunt.

Objicies 2. ex Script. quæ peccatum habituale vocat reatum, sc. reatum culpæ; ut cùm dicit, [2] *Percussit dominus populum pro reatu*, sc. reatu vituli. Et, *Auferetur à vobis reatus sanguinis*, sc. effusi; & in Euangelio, [3] *Reus erit gehennæ*. Et peccatum dicitur *debitum*; *Dimitte nobis debita nostra*, sc. debita pœnarum pro peccatis, undè generaliter in Scriptura peccatum dicitur *reatus*, seu obligatio ad pœnam; ergo ex peccato actuali nihil remanet in peccatore præter reatum pœnæ.

Resp. neg. cons. Nam Script. pro eodem sumit sæpiùs reatum pro peccato, & reatu culpæ, & ejus macula æquè, ac pro obligatione ad pœnam, ut in allatis textibus de reatu vituli, & sanguinis, id. idololatriæ, & homicidii; sicut in judiciis dicitur reus ille, qui de aliquo crimine convincitur, aut juridicè citatur, in aliis verò pro reatu pœnæ, qui funda-

[1] 4. *d.* 14. *E. n.* 6. [2] *Exo.* 32. [3] *Math.* 5. & 6.

fundatur in reatu culpæ, cujus est sequela, & quasi effectus.

Inst. SS. PP. & ipse Scotus cit. dicunt, Deum non videre peccata, aut illa tegi, quatenùs ea non punit, aut non imputat ad pœnam, aut quando illa sic imputat, dicunt illa remanere reatu, & hominem non manere peccatorem, quando non manet reatus; ergo censent, quòd ex peccato actuali transacto nihil restat præter reatum pœnæ; & in eo consistit peccatum habituale. Prob. ant. ex August. *Actu transeunte manet reatus in conscientia ejus, qui deliquit, donec remittatur... ubi manet, nisi in Dei legibus, quæ conscriptæ sunt, quo modo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Christi expiaverit.* Et alibi: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati, manent ergo reatu, præterierunt actu*; ergo peccatum actuale nihil relinquit in anima præter reatum, id est obligationem ad pœnam.

Resp. neg. ant. & cons. prob. Nam, ut dicebam de Scriptura, Patres sumunt ferè semper reatum pro ipsa culpa, & macula moraliter perseverante tum in conscientia, & anima peccatoris, tum in cognitione Dei; & ex hac conscientia torquetur peccator, & ex hac cognitione irascitur Deus, & movetur ad puniendum: uno verbo, Augustinus tam loquitur de reatu culpæ, quàm pœnæ, & iste ex illo nascitur.

Objic. 3. Permanentia moralis, in qua ponimus rationem peccati habitualis, non potest meliùs explicari, quàm per reatum pœnæ; ergo in eo consistit. Prob. ant. Nam manente hoc reatu verè intelligimus manere hoc peccatum, & non manente hoc reatu, illud non potest dici manere; ergo &c. Prob. ant. Potuit Petrus proponere se mæchaturum hodie, & hodie potest retractare tale propositum: sed in hoc casu non permaneret peccatum habitualiter, benè verò reatus pœnæ, & non è contra; ergo &c. Prob. min. quia peccatum, quod est in illo proposito, & illud propositum est retractatum hodie; ergo non durat hodie habitualiter, sed tantùm quoad debitum pœnæ.

Resp. neg. 1. ant. & cons. 2. & min. 3. argum. & dist. ant.

ant. 4. est retractatum materialiter, quoad actum mechandi, conc. formaliter quoad actum præteritum, neg ant. & conf. Nam cessat quidem velle hodie mechari, sed non retractat peccatum, & offensam hesternam illius propositi; uno verbo, non retractat offensam, & peccatum, quod erat in illo proposito; & ideò remanet ipse reatus culpæ æquè, ac pœnæ. Negari etiam potest 2. ant. absolutè; nam per sacramentum pœnitentiæ, aut per contritionem perfectam potest tolli peccatum habituale, & reatus culpæ, & remanere reatus pœnæ temporalis in peccato mortali, & etiam in veniali. Nam de fide est, remanere pœnas temporales in Purgatorio expiandas.

Objic. 4. In offendente Principem, transacto actu remanet solus actus Principis ordinantis pœnam, aut dignitas ad pœnam in offendente; ergo in peccato, & offensa Dei remanet solus reatus pœnæ.

Resp. neg. ant. Nam remanet reatus culpæ, & offensa moraliter durat, & in ea fundatur duratio reatus pœnæ.

Objic. 5. Eodem modo durat peccatum habituale, quo durant vota, contractus, & merita; sed vota, & alii contractus non durant, nisi quoad obligationem satisfaciendi, & merita quoad exigentiam premii; ergo & peccatum non durat post actum, nisi quoad obligationem pœnæ.

Resp. neg. min. Nam voluntas, qua emissa sunt vota, & initi contractus, & elicita bona opera, perseverat moraliter in hominum æstimatione perinde, ac si actu existat; & ideò permanet obligatio implendi vota, & contractus, & jus ad præmia bonorum operum. Ita est de peccato: permanet quoad culpam voluntas, qua patratum, & volitum est, donec retractetur per pœnitentiam, & quoad pœnam, donec remittatur à Deo.

Inst. Sæpè qui peccavit non amplius cogitat de peccato; & sic non durat, ne moraliter quidem peccatum, aut volitio ejus, & tamen manet debitum pœnæ; ergo in illa duratione non consistit peccatum habituale. Prob. conf. Nam alioqui concubinarius, qui retinet domi concubinam post peccatum, non magis esset peccator, quàm ille, qui post peccatum statim eam ejecisset; sed conseq. est falsum; ergo &c. Prob.

maj.

maj. Nam eodem modo censeretur durare voluntas, qua peccatum fuit.

Resp. neg. conseq. 1. argum. & ant. 2. & 3. Nam qui concubinam retinet domi, non tantùm censetur perseverare in peccato habitualiter, & interpretativè, sed quasi explicitè, aut saltem virtualiter, quia perseverat in occasione proxima. Non ita est de alio, qui semel ex occasione peccavit, nec tamen pœnituit; iste censetur quidem sibi complacere in fornicatione præterita, sed non velle iterum fornicari.

Objic. denique. Per id constituitur peccatum habituale, per quod homo fit exosus, & inimicus Deo; sed fit exosus per deputationem passivam ad pęnam, seu per reatum pœnæ; ergo in eo reatu consistit peccatum habituale. Prob. min. ex Scoto. [1] Inimicitia est propter culpam ordinari ad pęnam, sicut amicitia est per gratiam ordinari ad vitam æternam, ergo per reatum pœnæ, seu deputationem passivam ad pęnam homo fit inimicus Deo.

Resp. neg. min. & dist. ant. prob. Inimicitia consequenter, & secundariò est deputari ad pęnam, conc. formaliter, & primariò, neg. antec. & conseq. Nam sicut deputatio ad pœnam nascitur ex culpa, seu offensa, ita & inimicitia; nam homo peccans, & per peccatum avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam, & Deus avertitur ab illo, & eum odit, & ex odio infert pœnam. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, ait Deus; quia ergo durat in homine aversio à Deo, sic in Deo durat aversio ab homine; & ex hac aversione infert illi pœnam: hic est germanus sensus Scoti, & sic facit pro nobis.

Colligis igitur, peccatum habituale esse peccatum ipsum actuale, præteritum quidem quoad actum realem, & physicum, sed moraliter, & interpretativè permanens, donec retractetur per debitam pęnitentiam, & remittatur à Deo per infusionem gratiæ. Nam præter reatum culpæ dicit reatum pœnæ in illo fundatum, & privationem gratię.

Colligis 2. duplicem distingui solere reatum, 1. *culpæ*, qui a culpa, seu peccato non distinguitur, & dicitur illud, quo homo redditur indignus gratia, & amicitia

[1] 4. *d.* 14. *q.* 1. *d.* 1.

citia Dei, 2. pœnæ, qui eſt obligatio paſſiva peccatoris ad pœnam, & fundatur in reatu culpæ, cujus eſt effectus; unde reatus pœnæ eſt quid velut medium inter culpam, & pœnam actualem, ſed magis tenet de culpa; nam pœna non eſt in ſe mala, ſed in cauſa, ſc. in culpa; & ideò reatus pœnæ eſt malus, non autem pœna, quippe eſt à Deo, à quo nihil niſi bonum.

QUÆSTIO VII.

De peccatorum diſtinctione ſpecifica, unde ſumatur.

NOn quærimus de diſtinctione phyſica, & materiali peccatorum ratione actuum; certum enim eſt, alia eſſe peccata *omiſſionis*, & *commiſſionis*; alia *interna*, alia *externa*, & ſic de cæteris, in quibus attenditur unitas, vel diſtinctio numerica, aut ſpecifica penes entitatem phyſicam actuum. Agimus de diſtinctione quoad moralitatem, & quidem de ſpecifica, & numerica; nam de generica jam diximus non pauca hucuſque. Agimus, inquam, de illa, quæ petitur vel à præceptis, vel à circumſtantiis, vel ab objectis.

Certum etiam eſt, diſtinctionem peccatorum omiſſionis ſumi ex diſtinctione actuum, qui deberent poni; imò cùm dixerimus, formale peccati conſiſtere in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui, & quia certum etiam eſt, diſtinctionem privationum peti à diſtinctione habituum ſpecifica, ut loquitur Scotus [1] (habitum hìc ſumit, prout opponitur privationi, ſeu pro forma poſitiva, quæ deberet ineſſe) ideò rectè dici poteſt, diſtinctionem ſpecificam peccatorum commiſſionis peti à diſtinctione privationum, ſeu rectitudinum requiſitarum in actibus peccaminoſis. Unde autem petatur hæc diſtinctio bonitatum, ſeu rectitudinum, patet ex dictis [2] de bonitate, & malitia actuum humanorum, quæ non erit fruſtra revidere pro majori luce hìc dicendorum. Nam hìc breviter perſtringimus, quæ ibi fuſiùs ſunt examinata, & deciſa. Sicut ergo bonitas actuum humanorum

[1] 2. *d.37. F. n.9.*
[2] *Diſp. 2. n.2.*

rum sumitur ex objecto, ex circumstantiis, & fine, ita est de malitia, ut diximus ibi, nec placet hæc repetere.

CONCLUSIO I.

Diversitas specifica peccatorum non semper sumitur ex diversitate objectorum, nec præceptorum, imò neque ex diversitate circumstantiarum. Debet esse communis. Dico, *non semper*; nam, ut dicemus, ex singulis capitibus potest aliquando peti talis differentia.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Cum privationes distinguantur specie ex distinctione habituum specifica, & numero ex distinctione habituum numerali, peccata, quæ sunt privationes quædam, sc. rectitudinum, quæ deberent inesse actibus, distinguuntur formaliter ex distinctione talium rectitudinum, ut quando debent haberi diversæ rectitudines specie, sunt carentiæ,* (seu malitiæ diversæ speciei) *& ita non per conversionem ad objecta, quæ non sunt mala, nisi materialiter,* & ideò per illa) *non distinguuntur ipsa peccata, sed formalis ratio in eis distinguitur in comparatione ad rectitudinem aliã, & aliam specie, quæ deberet inesse,* &c. Hinc vides, quòd, sicut diximus de bonitate, & malitia actuum humanorum, bonitas non semper sumitur ab objecto, nec semper ex circumstantiis, nec item ex præceptis positivis (licèt generaliter petatur ex conformitate ad legem æternam) ita est de malitia; & sicut aliquando bonitas sumitur ex illis capitibus, ita & malitiæ unitas, aut distinctio.

Prob. 2. p. 1. Nam sepe idem specie peccatum fit circa diversa specie objecta; v. g. peccatum furti est idem (ceteris paribus) de pecunia, de lana, de vino, pane, &c. ita ut sufficiat dicere in confessione, furatus sum valorem unius aurei, &c. ergo unitas, vel distinctio specifica peccatorum non petitur semper ex objectis materialibus.

Prob. 2. utraque p. Non solùm idem actus potest precipi, aut prohiberi diversis præceptis, sed etiam diversi actus ex eodem motivo formali, v. g. potest superior præcipere jejunium, & studiũ, & orationem ex motivo obedientiæ; sed tunc omissio studii, & jejunii, & ora-

 tio-

[1] *ibid,*

tionis non erit, nisi peccatum ejusdem speciei, non obstante diversitate præceptorum, & objectorum materialium; ergo distinctio specifica non semper venit ex objectis, vel præceptis.

Confirm. Nam furtum prohibetur lege divina, & humana; & tamen non est duplex peccatum; non enim obligatur ad hoc explicandum; ergo &c.

Prob. 3. p. quia non omnes circumstantiæ mutant speciem, nec addunt actibus novam malitiam; ergo species circumstantiarum non semper specificant peccata.

Confirm. ex Tridentino. Illæ tantùm circumstantiæ sunt explicandæ in confessione, ut sit integra, & valida, quæ speciem peccati mutant; ergo circumstantiæ non semper sunt explicandæ; nec semper mutant speciem peccati; alioqui semper essent explicandæ.

Objic. cont. 1. p. Per nos, principalis bonitas, aut malitia actus humani venit ab objecto; ergo & specificatio.

Resp. dist. ant. Ab objecto formali, & prout importat diversam convenientiam, aut disconvenientiam, & ex genere, conc. materialiter, seu physicè spectato, secundum entitatem, & præcisè à convenientia, vel disconvenientia, neg. ant. & conf. nec enim diximus, objectum entitativè spectatum influere malitiam, aut bonitatem; quia sub eo respectu non est malum, nec bonum moraliter, sed tantùm radicaliter, prout fundat rectitudinem, aut irrectitudinem.

Objic. cont. 2. De ratione peccati est, quòd sit contra legem; ergo ex diversis legibus, vel præceptis distinguuntur peccata specie.

Resp. neg. conseq. Nam ex contrarietate actus ad legem colligitur quidem ratio generalissima peccati, non verò species, & distinctio. Nam conveniunt omnia peccata in eo, quòd sint contra legem; ergo non per hoc præcisè, & immediatè distinguuntur, & maximè, quia diversæ leges possunt idem prohibere sub diversis motivis, v. g. Leges divinæ, & humanæ, Ecclesiasticæ, & civiles prohibent usuras, furta, homicidia, &c. & quidem sub iisdem motivis.

Dixi autem, *non semper*; nam 1. quando sunt diversa objecta formalia, quæ inducunt diversas specie

dif-

difformitates; ut odium Dei, & proximi, tunc ex illis objectis rectè inducitur distinctio specifica peccatorum. 2. idem est de præceptis. Nam quando plura præcepta præcipiunt, vel prohibent idem ex diversis motivis formalibus, totuplex est malitia peccati, & explicanda in confessione, ut si unus superior præcipiat subdito jejunium ex motivo religionis, & alter ex motivo castitatis servandæ, tunc fractio jejunii erit duplex peccatum, quia continet diversas irrectitudines. 3. Idem est de circumstantiis. Nam quia sæpiùs circumstantiæ comitantes inducunt novam, & distinctam difformitatem cum ratione, & regulis morum, ideò peccata sæpè induunt ab eis distinctam speciem malitiam ab ea, quam habent ab objectis. Unde circumstantia loci sacri facit, ut peccatum in eo commissum sit duplex, habeatque duplicem malitiam, v.g. furti, & sacrilegii, &c.

CONCLUSIO II.

Distinctio peccatorum specifica petitur ex diversitate specifica rectitudinum, quibus privant.

Probatur ratione Scoti citati. [1] Nam per id distinguuntur peccata, per quod formaliter constituuntur; sed peccata formaliter constituuntur per privationes rectitudinum; ergo & per istas distinguuntur; sed privationes istæ, sicut & aliæ omnes, distinguuntur per formas oppositas, & quarum sunt privationes, seu per rectitudines, quas excludunt, ergo per istas rectitudines distinguuntur. Unde quia furtum in se absolutè privat actum rectitudine, quam deberet habere, sc. justitiæ; furtum verò in Ecclesia, præter illam rectitudinem justitiæ, excludit etiam rectitudinem religionis, violans rem Deo sacram, ideò furtum in loco sacro est duplex peccatum.

Ex his regulis generalibus facile est conciliare diversos modos Theologorum, quibus explicant distinctionem specificam peccatorum, & confessariis, ac pœnitentibus hanc distinctionem cognoscere.

[1] *ibid.*

CONCLUSIO III.

Distinctio numerica peccatorum petitur ex actibus voluntatis moraliter interruptis, & repetitis. Est communis.

Prob. quia voluntas est principium moralitatis, & actuum humanorum tam malorum, quàm bonorum, ita ut nullum sit peccatum, quod non sit volitum liberè; ergo tot erunt numero distincta peccata, quot erunt volita distinctis moraliter actibus. Dico, *distinctis moraliter*; nam distinctio sola physica non sufficit. Unde qui una volitione, & impetu vellet occidere homines tres, aut duos, unum in foro, alium in vico, alterum in agro, licèt hæc faceret quidem actibus physicè interpolatis, non essent tria moraliter peccata homicidii, sed unum moraliter peccatum æquivalens tribus: secùs verò si volitionibus moraliter, & physicè interruptis. Unde qui egrederetur domo ad furandum in horto extra urbem, licèt aliquoties interrumperetur physicè illa volitio, quatenùs distraheretur per occursum impedimentorum, aut aliis ex causis, modò non retractaret primam intentionem internam, non essent plura numero furta moraliter: sic qui unica volitione vellet occidere plures homines sive unico, sive pluribus ictibus, committeret quidem tot homicidia, sed unum peccatum moraliter loquendo: sed tamen id aperiendum esset in confessione ob detrimentum, & ad satisfactionem.

Hæc brevissimè perstringimus, quia apud Casuistas sunt obvia, nec possumus omnia pertinentia ad mores plenè informandos, & ad praxim perfectè dirigendam in hac summula scholastica examinare.

QUÆSTIO VIII.

De divisione peccati in Philosophicum, & Theologicum.

FAmosa evasit hæc divisio paucis ab hinc annis occasione alicujus propositionis de peccato Philosophico, & ne studentes nostri penitùs hoc ignorent, placuit hæc illis adnotare, & illis tradere,

quæ

quæ mihi de tali propositione dignati sunt respondere RR. aliquot Patres nostri Romani de hoc negotio à me consulti.

Præmitto, peccatum Theologicum describi à P. Mastrio [1] *illud, cujus malitia non cognoscitur, nisi dependenter à revelatione, & quatenùs supernaturaliter, & per scripturas nobis innotescit, ut nimirum offensivum Dei, aversivum Dei, impeditivum gloriæ, & dispositivum ad pœnam æternam*, quod colligit ex Scoto 4. d. 14. q. 3. B. *Peccatum verò philosophicè consideratum est, cujus malitia ex naturalibus patet, quemadmodum ex naturalibus potest detestari, ut virtuti naturali contrarium, quomodo omnes naturaliter agnoscunt malum esse fugiendum, ac de illo esse pœnitendum*. Eodem modo describit utrumque in sua Theologia morali. [2]

Hanc distinctionem agnovit Doctor noster subtilis. [3] *Non enim* (inquit) *idem est esse virtuosum, vel vitiosum moraliter* (idest philosophicè) *& justum, & peccatorem theologicè. Imò quandoque vitiosus est justior, & magis virtuosus magis peccator, ut aliàs dictum est*. Et Hyqueus in commentario hujus loci ait, [4] *duplicem hìc tradi considerationem peccati, aliam moralem, & philosophicam, quæ est ex oppositione, quam habet ad regulam proximam, & rectitudinem virtutis ex genere; aliam Theologicam, quæ convenit ei, ut includit rationem offensæ, opponitur fini supernaturali, & amicitiæ divinæ*, &c. Aliter definiunt hæc duo genera peccatorum alii Theologi, & præcipuè illi, quorum fuit hæc propositio. *Peccatum philosophicum, seu morale est actus moralis disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum*, ubi vides, hæc peccata describi per intrinseca, sc. per transgressionem, & disconvenientiam ad rationem naturalem, aut legem

V 5 divi-

[1] 2. *d.6.q.3.n.* 67.
[2] *Disp.*15.*n.*45.
[3] 4. *d.*21.*q.*1. *H.n.*12. [4] *ibid.n.*61.

divinam; priores verò illa potiùs describunt per extrinseca, sc. per media, quibus dignoscitur illorum disconvenientia, seu privatio rectitudinis.

Porrò dictam propositionem de peccato philosophico damnavit Sancta Sedes Apostolica die 24. Augusti an. 1690. sub Alexandro VIII, *ut scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem & damnandam, & prohibendam, sicut damnat, & prohibet, ita ut, quicunque illam defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publicè, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem.* Ego autem cum omni debita reverentia illi decreto me subjicio, & obedire velle protestor. Quod ut exactiùs præstarem, optavi scire, in qua parte erronea esset hæc propositio, quia pluribus partibus constat; & propterea consului aliquot Doctores nostros, qui Romæ aderant, imò & in Congregationibus assistebant, in quibus hæc censura fuit decreta.

In primis consului Reverendissimum P. Mag. Laurentium Fabri sancti Officii Consultorem ordinarium, & doctissimum, qui sic dignatus est scribere, & docere me.

Hæc propositio in tres dividitur partes, quarum una est de peccato theologico, & mortali; aliæ duæ sunt de peccato philosophico, ita tamen, ut prima inter ipsas præscindat à gravi, & non gravi, & ab ignorantia Dei, & secunda sit de peccato gravi in eo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, negando insuper in eodem, quòd sit Dei offensa, & peccatum mortale, & quòd dissolvat Dei amicitiam, atque æterna pœna dignum sit.

Prima pars de peccato theologico non est censurabilis theologicè, sed solùm censura philosophica, idest, diminutionis, & insufficientiæ; quia, quòd peccatum theologicum mortale sit libera transgressio divinæ Legis, non habet præcisè, quà mortale est, sed quà theologicum est, præscindendo à gravi, & levi, mortali, & veniali.

Secunda p. de peccato philosophico non est censurabilis, quia de facto omne peccatum sive philosophicum, sive theologicum est naturæ rationali, & rectæ rationi

tam

tam divinæ, quàm humanæ disconveniens.

Sola 3.p. de peccato philosophico gravi, ut jacet, & præscindendo ab intentione authoris, est censurabilis censura theologica.

Et 1. est *temeraria*, quia sub his terminis ignorantiæ Dei, & non cogitationis actualis de Deo comprehendit ignorantiam culpabilem, & inculpabilem, vincibilem, & invincibilem, in qua latitudine à nullo Theologo docetur. Imò si ignorantia est vincibilis, & maximè affectata, ac directè volita in aliis materiis à Deo, non excusat à peccato, nec à pœna ei debita, imò potiùs eam auget, tanquam magis voluntaria, ut docet S. Thomas 1.2.q.56. a. 4. Multò minùs ignorantia Dei vincibilis, affectata, in materia gravi, excusabit à culpa, ac pœna æterna, tanquam directè volita juxta illud [1] *noluit intelligere, ut benè ageret*. Et Job [2] *quasi de industria recesserunt à Deo, & vias ejus intelligere noluerunt*, &c.

Dixi, *multò minùs*; quia cognitio Dei est adeò cuique homini ratione utenti, & præcipuè Christiano obvia, ut in eo nunquam possit præsumi totalis ignorantia etiam invincibilis. Unde benè docet D. August. tr.106. in Joan. quòd *hæc est vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi*. Et Hugo de Sacramentis p.3. c.1. *Deus ab initio sic cognitionem suam in homine recuperavit, ut sicut nunquam, quid esset, poterat ab homine comprehendi, ita nunquam, quia esset, poterat ignorari*.

Dixi, *præcipuè homini Christiano*, quia ejus basis, ac fundamentum est cognitio Dei. [3] *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Et, [4] *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*, &c.

2. Eadem propositio dicitur *scandalosa*, quia in eisdem terminis, ut jacet, viam pandit vitiis, eamque claudit virtutibus, dans occasionem animabus errandi, etiam in materia fidei.

3. Est *perniciosa in praxi*, quia homini graviter peccanti peccato quantumvis gravi, motivum præ-

[1] *Psal.* 31. [2] *Job.* 34.
[3] *Luc.* 11. [4] *Joan.* 17.

bet facilè se excusandi 1. quòd peccaverit peccato tantùm philosophico, cùm tamen ejus peccatum sit tam philosophicum, quatenùs rectæ rationi opponitur, quàm theologicum, in quantum est contra legem Dei æternam, ut docet D. Thomas, [1] & juxta definitionem D. Augustini l. 22. contra Faustum c. 27. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*. 2. Poterit se excusare, quòd non peccaverit mortaliter, cùm tamen ejus peccatum, ut supponitur, sit grave, id est, legi æternæ, ac rectæ rationi graviter oppositum, sitque mors, ac pernicies animæ. 3. Præterea poterit se excusare, quòd ejus peccatum non sit Dei offensa, nec dissolutivum amicitiæ Dei, cùm tamen per suæ legis æternæ transgressionem, non obstante talis ignorantiæ prætextu, dicta ignorantia allegata, graviter offendatur, & peccatori, tanquam ejus inimico irascatur, ut patet ex Psalmo 88. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt*. 4. Denique se poterit excusare, quòd ejus peccatum non sit dignum pœna æterna, cùm tamen mali graviter operantes eant in supplicium æternum, & justi in vitam æternam: Et juxta D. Athanasium, *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum*.

4. Est *Christianæ disciplinæ relaxativa*; quia, cùm posita sit in fuga vitiorum, & prosecutione virtutum, & maximè in Christi imitatione, quæ haberi nequit sine Dei cognitione, hac præcisa, tollitur quoque Christi cognitio, & disciplina Christiana relaxatur, ac evertitur; ergo &c.

5. Est *erronea*, quia ex ea, per discursum legitimum, potest deduci conclusio directè, contrariè, vel contradictoriè fidei opposita, sic verbi gratia, discurrendo. *Peccatum philosophicum, quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat, vel actu non cogitat de Deo, est grave peccatum; sed non est Dei offensa, nec pœna æterna dignum*, sed qui omittit, cùm potest, subvenire pauperi maximè indigenti, ob avaritiam cum ignorantia vincibili Dei, ignorat Deum, & de illo non cogitat; ergo non est dignus pœna æterna, & ta-

[1] 1.2.q.71.a.6. ad 5.

& tamen dicitur, *Discedite à me maledicti... esurivi enim, & non dedistis mihi manducare;* ergo &c.

Non dicitur propositio hęc *haeretica*, quia non opponitur directè, sed tantùm per discursum propositioni fidei. Tum quia, sicut ex prædicta propositione potest deduci conclusio hæretica, ita etiam potest deduci conclusio non hæretica, sc. facta suppositione, quòd ignorantia sit invincibilis. Hæc ille Reverendissimus, & famosissimus Consultor, & Religionis nostræ Seraphicæ lumen.

Rev. Pater M. Balthazar de Naro S. Theologiæ Doctor, in Seraphico Archigymnasio S. Bonaventuræ Regens, & in Alma Universitate sapientiæ publicus Professor sic de eadem propositione dignatus est respondere eodem anno, sc. 1695.

Hæc propositio, prout in his terminis jacet, non videtur conditionalis, ita ut faciat sensum; *si quis Deum invincibiliter ignoraret, vel si Deus non extaret*, retenta circumstantia hypothesis, aut, *si Deus nullo modo cognosceretur tam sub conceptu proprio deitatis, aliisque Dei attributis, quàm sub ratione ultimi finis, aut legis summè obligantis*, &c. in quibus terminis, & conditionibus defenditur à viris doctis, & piis absque nota erroris.

Verùm quia est enuntiata propositio sine ulla conditione expressa, in terminis omninò absolutis, imò concepta in terminis nimis latis, & amplis ignorantiæ, & non actualis cogitationis de Deo, se extendit, & enuntiari potest de ignorantia vincibili, & invincibili; in qua latitudine à nullo Theologo defenditur; imò censuranda est ob sequentes rationes.

Primò quia viam sternit ad vitia, & peccata gravia facienda, nimirum adulteria, furta, homicidia, &c. prætextu, quòd actu de Deo non cogitatur, & sic quasi de industria recedere à Deo, vias ejus intelligere nolentes, quod est execratum Job 34. & hoc est *summa delicti*, ut inquit Tertull. *nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt*.

2. Quia ex hac propositione, & doctrina fideles sumerent occasionem non cogitandi de Deo, ut Dei offensam effugerent, nec amicitiam ejus amitterent, & pœnam æternam non incurrerent ex commissione gravium peccatorum; quod est contra dictum Sal-

vatoris. [1] *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum*, &c.

3. Quia est impossibile, ut cognoscatur peccatum illud grave esse contra aliquam regulam, & dictamen rectæ rationis, ut supponitur ex definitione peccati Philosophici, cui sit summè parendum, in qua regula non imbibatur lex Dei æterna, & ipsemet Deus, cui summè est obediendum. Hac de causa inexcusabiles pronuntiat Paulus Apostolus [2] hujusmodi homines sic operantes contra rectam rationem, & legem naturæ. *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*.

4. Tandem quia impossibile est, ut Deus ignoretur ad longum tempus invincibiliter, cùm dicat Damascenus, *notitia Dei omnibus à natura est insita*, neque id aliquis ratione utens ignorare potest. Quod ante Damascenum docuerat Tertull. [3] dicens, *Animæ rationalis dos Dei notitia est: singulis namque quibuscumque hominibus cultum Dei, & observantiam natura indidit*, [4] ut ex Apostolo Paulo constat.

Quibus rationibus cùm enuntiata propositio, prout jacet in terminis, sit omninò absoluta, & nullo modo conditionata, comprehendens ignorantiam Dei invincibilem, suadet in praxi gravia peccata, & eversiva Dei actualis cogitationis; est *scandalosa*, & *erronea; ac proindè, ut jacet in terminis damnanda*. Ita judico.

Igitur tota malignitas tertiæ partis allatæ propositionis latet sub illis terminis absolutis, & generalibus; *In illo, qui ignorat Deum, aut de Deo actu non cogitat;* Et propterea ut vitentur illæ censuræ, sufficeret inserere vocem, *invincibiliter*. Et verum esset dicere, quòd peccatum *Philosophicum, quantumvis grave in eo, qui Deum invincibiliter ignorat, est grave peccatum*, sed non est Dei offensa, &c.

Hæc autem exscripsisse visum est utile, ut Tyrones nostri abstineant à censura gravium auctorum

omnis

[1] *Apoc.c.7.*
[2] *Rom. 2.desi.1.*
[3] *1.con.Marc.* [4] *Rom.2.*

omnis scholæ, qui possibilem putant Dei ignorantiam, imo & ipsius legis naturæ, saltem per breve aliquod tempus, & quòd de ratione peccati est, quòd sit contra legem æternam, & quòd sit offensa Dei, & & per consequens Theologicum.

Ego, ut verum fatear, vix puto possibile esse homini ratione utenti, ut actum aliquem eliciat, vel omittat cognoscens oppositionem talis actus, vel omissionis ejus cum recta ratione, quin advertat ad auctorem rationis, sc. ad Deum, & sic puto, quòd in praxi moraliter loquendo impossibile est peccatum illud Philosophicum. Quod si supponatur absoluta incogitantia, seu inadvertentia, actus non erit liber, nec per consequens peccatum, nequidem philosophicum, saltem formaliter.

Sufficiat autem nobis scire peccatum philosophicum esse illud, in quo attenditur disconvenientia cum sola ratione naturali præcisè ab omni respectu ad Deum, aut legem Dei, Theologicum verò esse omne illud, in quo attenditur disconvenientia ad Dei legem, per cujus transgressionem ille offenditur aut leviter per peccatum veniale, aut graviter per peccatum mortale. Quod sub censura dictum volo.

DISPUTATIO III.

De causis peccati.

De causis *materiali*, & *formali* diximus disp. 1. ubi de ratione formali, & constitutiva peccati, & in tr. de actibus humanis, ubi de subjecto bonitatis, & malitiæ illorum. De *finali* nihil occurrit; quippe aberrat potiùs à fine, quàm ad verum finem tendat. De *efficiente* pauca dici possunt; nam, ut monet Augustinus, [1] peccatum habet causam deficientem potius, quàm efficientem; peccatum est defectus, non effectus. Inter causas illius externas possent recenseri Dæmones per suggestionem ad peccatum inducentes: Adam propter malum exemplum, & propter demeritum peccati sui, & ab impiis recensetur Deus optimus. Quid autem, & quomodo

[1] 12. *Civ.* 12.

modo influant Dæmones, & Adam patet ex dictis aliàs; quòd non influat Deus, hic sustinemus. Circa internas causas diximus etiam de concupiscentia in appetitu, de ignorantia in intellectu, & de malitia, & perversitate in voluntate. Incipiemus à Deo, ut ab illo calumniam atrocissimam, & abominabilem amoveamus.

QUÆSTIO I.

An Deus sit causa peccati, aut vitii.

DEus dici posset, seu fingi causa peccati. 1. *remota*, & *indirecta*, & *physica*, quatenus ipse fecit voluntatem, quæ peccat, & alia entia positiva, quæ concurrunt physicè, aut moraliter ad peccatum. 2. *permissiva*, quatenus non impedit, sed permittit hominem abuti entibus illis, & sua libertate ad peccandum; 3. *positiva physica*, quatenùs concurrit physicè, & positivè ad entitatem physicam actus, in quo est peccati formalitas, & malitia. 4. *moralis*, quatenus volens concurreret ad formale, seu ad malitiam peccati, aut aliquo modo ad illud induceret suadendo, determinando, excitando, sibi complacendo in malitia, denique concurrendo positivè aliquo ex modis, quibusconcurrit ad actus bonos, adeo ut illi possint tribui actus mali, sicut boni.

De 1. causalitate nemo dubitat; certum enim est, Deum creasse voluntates liberas ad malè, aut benè operandum, sicut & reliqua omnia entia positiva, quæ ad hæc concurrunt, sed cum ea intentione, ut homo benè utatur tam libertate, quàm aliis entibus. *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*; Nec dubitatur de 2. & 3. nisi enim Deus permitteret, & nisi concurreret physicè, & immediatè ad entitatem physicam actuum omnium nostrorum, non possent in nobis fieri; id patet ex dictis in Physica de concursu immediato primæ causæ. Restat igitur quæstio de *morali causalitate*, quam constanter negant catholici omnes, nec opus esset de hoc disputare, nisi hanc hæresim diu profligatam contra Simonem Magum, Marcionem, Mahometanos, Albigenses, & alios ab inferis resuscitassent Lutherani, & Calvinistæ. Nam inquit

inquit Lutherus, [1] *Quomodo potest se homo ad bonum præparare, cùm nec in potestate sua sit vias suas facere malas, nam & mala opera in impiis Deus operatur*, &c. & Calvinus: [2] *Non nisi sciente, atque ordinante Deo cecidit Adam, seque, & posteros perdidit*, &c. quod alibi [3] sæpè docent. *Cadit igitur homo Dei providentia sic ordinante*, & addit, *necessitatem peccandi ex Dei ordinatione injici*. Dicunt igitur, Deum instigare, monere, determinare, & prædestinare homines ad peccatum, & istud causari ab ejus præscientia.

CONCLUSIO I.

D*Eus in nullo vero sensu dici potest causa moralis peccati*. Est de fide contra prædictos, & alios hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto. [4] Nam, inquit Augustinus, *Per verbum non est factum peccatum, ideo dicitur, sine ipso factum est nihil*. Præterea. *Deus non potest esse causa substracti peccato; quia tunc faceret contra suam prohibitionem; prohibuit enim Adæ comedere... præterea quidquid Deus facit, propter se facit, & ex perfectissima charitate, quæ ipse est, facit; ergo ejus actus est ordinatissimus tam ex fine, quàm ex principio operativo*. Item, *Liberum arbitrium non errat in agendo, quando concordat suæ regulæ; regula ejus in agendo est voluntas divina*, &c.

Prob. 2. ex Scriptura. [5] Nam *Dei perfecta sunt opera; & omnes viæ ejus judicia. Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus, & rectus*. Et, *Non Deus volens iniquitatem, & non habitabit juxta te malignus*. Et, *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*. Et, *justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. Et, *Numquid iniquitas est apud Deum?* Et, *Deus vult omnes homines salvos fieri*; ergo non vult ullum perire per peccatum, nec ipsum peccatum, &c. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, &c. Quod etiam alii plurimi textus docent, quippè non possent verificari,

[1] *Assert.a.36.* [2] 1.*Inst.c.12.* [3] §.1.*L.3.c.23.*§.18.
[4] 2.*d.37.q.1.n.2.* [5] *Deuter.*

ri, si Deus ullo modo esset causa moralis peccati.
Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit Dionysius, [1] *illud confidenter dicamus, quod malum ex bono nequaquam est; & si ex bono sit, profectò malum non est;* &c... *non igitur ex Deo malum est, neque in Deo, neque simpliciter, neque secundum tempus.* Et Justinus martyr ex Platone asserit: [2] *Bonorum solus Deus causa est dicendus; malorum autem quamlibet aliam causam præter Deum quærere licet.* Nullum autem atrocius malum est peccato. Et Cyprianus. [3] *Neque enim mala facta de Spiritu sancto veniunt, sed de adversarii instinctu.* Et Ambros. [4] *malitia ex nobis orta, non à creatore Deo condita.* Et Augustinus: [5] *Boni tantummodò causa est Deus.... quoc irca mali auctor non est, qui in quantùm est, in tantum bona sunt, & nullius culpæ humanæ in Deum referas causam*, &c. Et [6] ita communiter docent omnes SS. PP.

Prob. 4. ex Concil. Arausic. II. *Aliquos esse prædestinatos ad malum divina voluntate non credimus: & si est, qui ita credit, in eum cum omni detestatione anathema dicimus.* Et ex Trident. [7] *Si quis dixerit mala opera ita ut bona Deum operari, non tantum permissivè, sed propriè, & per se, ita ut non minus sit propria Deo proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.*

Prob. 5. ratione Scoti. [8] Nam in tantùm Deus esset causa peccati, in quantùm concurrit immediatè cum voluntate creata ad omne positivum, quod est in actu malo; sed hinc non sequitur, quòd sit causa malitiæ, quæ est in actu; ergo non est. Prob. min. quando duæ causæ concurrunt ad unum effectum, defectus ejus potest esse ab una, & non ab alia; ergo malitia actus potest esse, & de facto est à voluntate creata absque eo, quod sit à Deo, qui cum illa concurrit. ant. patet de intellectu, & voluntate; Nam hæ duæ potentiæ concurrunt ad eandem volitionem, & potest esse, & est de facto peccatum à voluntate, & non ab intellectu. prob. cons. Nam Deus est de se, & necessariò impeccabilis, & indefectibilis.

Prob. 6.

[1] *Div. nom. 4.* [2] *Ora. 1 de Gentil.* [3] *Ep. 32.*
[4] *1. Exa. 8.* [5] *83. qq. 21.* [6] *De pecca mer. 17.*
[7] *c. 25. SS. 6. c. 6.* [8] *Ibid. T, vel q. 2. n. 14.*

Prob. 6. In tantum Deus posset dici causa moralis peccati concurrendo ad ipsum, in quantùm necessitaret ad ipsum physicè, aut moraliter, vel in quantum invitaret ad illud laudando, aut consulendo, aut præcipiendo, sed nihil horum facit; ergo &c. Prob. min. 1. quia si necessitaret physicè actus in homine non esset liber, & sic non esset peccatum; Et præterea, si non necessitat ad actum bonum, multò minùs ad actum malum; 2. de necessitate morali nulla ratio, vel auctoritas id probat; & certè voluntas est ex se satis inclinata ad malum, nec eget ad id determinari; imò Deus ab illo nos avertit per gratias suas excitantes, & adjuvantes. 3. patet de præcepto, & suasione; Nam ex ipsa Scriptura patet, quòd potiùs damnat, minatur pœnas, prohibet, punit peccata, & præmiat bona, & hortatur, & præcipit ea; ergo Deus nec physicè, nec moraliter impellit ad peccatum.

Objic. 1. ex Script. Deus dicitur ordinare, consulere, præcipere peccata, ut venditionem Joseph à fratribus; dicit enim [1] *non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*. Sic [2] *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David*. Sic [3] *Spiritus Dei decepit Achab, nam egressus est spiritus* (Dæmon) *& stetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum.... & dixit Dominus, decipies, & prævalebis, egredere, & fac ita*. Et Christus Judæ proditori præcipit, [4] *quod facis, fac citius*, & sic de aliis; v.g. quando Deus Oseæ præcipit, *sume tibi filiam fornicationis*, &c. sed hæc omnia erant peccata; ergo Deus præcipit, suadet, consulit peccatum; ergo est causa moralis ejus æquè, ac physica.

Resp. 1. posse opponi his, & similibus textibus alios plures, quibus prohibet similia peccata; ergo vel hæretici debent dicere, Deum non esse fidelem, constantem, nec veracem, nec sapientem, nec justum, quandoquidem contraria jubet, & punit, quæ jubet; vel ipsimet debent explicare hos textus sic, ut concilientur.

Resp. 2. neg. 1. ant. & conf. ex illis textibus deductam. Nam in 1. loco Joseph non adscribit Dei consilio, nec voluntati venditionem sui à fratribus, sed eleva-

[1] *Gen.* 45. [2] 2. *Reg.* 16.
[3] 3. *Reg. ult.* [4] *Jo.* 15.

elevationem suam ad eam dignitatem, ut provideret eis frumenta in illa miseria famis, & in eum finem permiserat Deus illam venditionem, & peccatum, & quidem non positivè, sed permissivè. 2. maledictio Semei in David potuit non esse peccatum. 1. si Deus eam præcepit; sed justa punitio, cujus voluit Deus hunc hominem fieri ministrum, & executorem, & 2. potuit esse sine peccato in illo homine tum ex ignorantia, tum ex aliquo motu indeliberato iræ, & animi perturbatione. 3. præterea si David putasset, hoc factum esse ex Dei jussu, non præcepisset Salomoni talem hominem punire. Igitur ly, *præcepit*, significat permissionem divinam, non autem jussionem positivam; alioqui maledictio non fuisset peccatum, nec punitio fuisset justa, quod dici non potest de Davide moriente. *Justa est hominis voluntas, qua vult id, quod Deus vult eam velle*, ait Anselmus: [1] *Injusta verò est, qua vult id, quod Deus non vult eam velle*. Idem est de 3. textu; significat puram permissionem Dei, aut illa deceptio non fuisset peccatum. Est ergo jussio, vel suasio purè permissiva. 4. quoad Judam autem Christus loquebatur *increpando, non jubendo*. Hæc ita intelligunt SS. Patres: nam inquit Damascenus. [2] *Modus est divinæ scripturæ permissionem Dei vocare ejus actionem*. 5. Oseas desponsavit sibi filiam fornicationum, & sic non peccavit.

Inst. non solùm hæc, & similia dicitur Deus suadere, & consulere, sed etiam excæcare, & indurare positivè in peccato; sed hæc non possunt explicari de pura, & simplici permissione; ergo non solum permissivè, sed etiam positivè peccatum est à Deo. Prob.maj.Nam *Induravit Dominus cor Pharaonis* [3] (in sua malitia) *ut non dimitteret populum ejus*. Et peccatores dicunt Deo apud Isaiam. [4] *Indurasti cor nostrum, ne timeremus te*. Et in Euangelio legitur; [5] *Propterea non poterant credere, quia iterum, dixit Isaias, excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*. Et David, [6] *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*; ideò ipse pro se orat, *Inclina* cor

[2] *Lib.ar.c.8.* [2] *4.fi. 4.*
[3] *Exo.7.* [4] *Isai.63.*
[5] *Jo.12.* [6] *Ps.114. & 118.*

cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam; ergo Deus indurat, inclinat positivè ad peccatum.

Resp. neg. maj. sc. de induratione, & excæcatione positiva, & neg.conf. prob. Nam hæc tantùm dicuntur de induratione, & excæcatione negativa, & permissiva, quatenus Deus non debet illis peccatoribus gratias efficacissimas, & extraordinarias, quibus illuminarentur, & emollirentur corda. Gratia inclinat positivè ad bonum, & avertit à malo, sic ergo intelligenda sunt hæc, & similia loca.

Objic. 2. ex Patribus. Nam Augustinus dicit, Christum *elegisse Judam ad effundendum suum sanguinem*, & voluntates nostras esse sub Dei potestate, *ut eas, quò voluerit, faciat inclinare, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pænas quibusdam ingerendas.* Et post exempla de induratione Pharaonis, [1] & de Semei... concludit; *Satis, quantum existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sivè ad bona pro sua misericordia, sivè ad mala pro meritis* [2] *eorum;* ergo Deus etiam positivè vult, & inclinat ad peccatum.

Resp.neg.conf. nec enim id prætendit Augustinus, sed tantùm quòd ex prævisione malæ voluntatis Judæ, & futuræ determinationis ejus ad proditionem, ex consequenti, vel comitanti decreto usus est ad consummationem operis Redemptionis:quippè Deus *novit benè uti etiam malis, ut per ejus opus damnabile illud, propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur.*

Objic. 3. Deus concurrit positivè, & per se ad actus malos; ergo & est per se causa peccati. Ant. patet ex Philosophia de concursu causæ primæ.Prob.conf.Nam voluntas nostra ideo est causa peccati, quia causat physicè actum ipsum malum; sed Deus pariter causat eundem actum positivè; ergo & idem peccatum.

Resp. neg. conf. & dist. maj. quia causat actum ut causa particularis, & cum obligatione non ponendi illum,con.maj.& neg.min. quia causat ut causa universalis, & cum obligatione non ponendi, neg. maj. & conf. homo ponit actum, quem tenetur non ponere,& ideo actus ille ponitur ab homine cum privatione recti-

[1] *De corrept.7.* [2] *De Gra.& ar.80.*

ctitudinis, quæ privatio est in actu, pro ut est ab homine: Deus autem non tenetur non ponere, imò ex lege, quam sibi volens imposuit de concurrendo cum voluntate nostra, tenetur aliquo modo illum ponere. Ideò tota difformitas ad legem est ab homine, & non à Deo.

Inst. Deus concurrit ad actum malum, sicut ad actum bonum; sed ita concurrit ad bonum, ut sit etiam causa ejus moralis; ergo ita est de peccato.

Resp. neg. maj. Nam concurrit ad actum bonum non solum physicè, efficiendo actum, sed etiam moraliter suadendo, præcipiendo, excitando, juvando, & quasi impellendo ad illum. Contra est de actu malo, prohibet, dissuadet, retrahit ab eo, & quantum est ex se, nollet concurrere nequidem physicè.

Inst. 2. Quod est causa causæ, est etiam causa causati; ergo si Deus est causa materialis peccati, seu actus physici, ita & peccati.

Respondeo dist. ant. & axioma, est causa causati in eodem genere, quo est causa causæ, con. in omni genere causæ, neg. ant. & cons. Deus est causa physica materialis peccati, seu entitatis actus, non autem moralis, ita nec moralitatis ejus, quæ non habet causam efficientem, ut diximus, cùm non sit ens positivum, sed privatio, quæ resultat ex obligatione non causandi eum, & hæc obligatio est tota in homine, ut dicebamus.

Objicies 4. Deus est causa omnis mali pœnæ; sed peccatum est aliquando malum pœnæ in homine ob aliud peccatum; ergo peccatum ut tale est à Deo. Min. patet ex Augustino.

Resp. dist. maj. Omnis pœnæ minùs propriæ, & præcisæ à malo culpæ, con. pœnæ propriæ, & connexæ cum malo culpæ, neg. maj. & dist. pariter min. est pœna alterius peccati impropriè, con. propriè, & cum culpa, neg. min. Nam de ratione pœnæ veræ, & propriæ est, quòd sit involuntaria, peccatum verò ut tale, & in ratione culpæ non est involuntarium, sed liberum; & ideò sub hoc respectu non habet propriam rationem pœnæ; Deus verò in pœnam peccati aliquando permittit quidem, ut homo cadat in alia peccata; sed hoc facit negativè, & permissivè, sivè retrahendo gratias, & deserendo, non autem

volen-

volendo positivè, nec impellendo. Sed de hoc aliàs.

CONCLUSIO II.

D*Eus se solo non potest infundere habitum vitiosum in homine*. Videtur communior, non tamen illam reperio apud Scotum.

Prob. 1. Per habitum vitiosum intelligimus qualitatem per se inclinantem ad actum peccati; sed Deus se solo non potest talem habitum infundere homini; ergo nec habitum vitiosum. Prob. min. quia sic Deus verè vellet causare peccatum, sicut vult illuminare, quando producit lucem; sed hoc repugnat Dei sanctitati; ergo &c. 2. Quia sic homo posset velle contrahere talem habitum; quia licitè potest velle habere id, quod Deus illi potest velle. 3. Quia sic effectus primarius talis habitus esset, & non esset peccatum; sed hoc implicat; ergo & illud. Prob. maj. esset peccatum, ut supponitur, non esset autem, quia esset intentum, & volitum à Deo, saltem in causa ejus per se; nam Deus non potest velle id, quod per se inclinat ad peccatum, quia velle est ipsum peccatum; sed quod est volitum, & intentum à Deo, non potest esse peccatum; ergo non esset, & esset peccatum.

Objic. 1. Deus se solo potest causare homini cognitionem intensissimam objecti mali, v.g. voluptatis ex esu carnium in die veneris; ergo & habitum vitiosum: ant. supponitur ex Philosophia. Prob. cons. habitus vitiosus non magis inclinat ad peccatum, quàm talis cognitio; ergo ex eo capite non magis repugnat Deo, quòd se solo infundat talem habitum, quàm talem cognitionem.

Resp. neg. cons. & ant. prob. Nam ille habitus per se inclinat ad peccatum, ut supponitur, illa verò cognitio inclinat tantùm per accidens; nam de se posset tam inclinare ad contemptum, quàm ad amorem talis voluptatis, aut saltem sistere posset voluntas in illa cognitione; nec enim supponitur infundi à Deo, nec de suo fine primario ad sic inclinandum, bene verò habitus.

Resp. 2. ex suppositione, quòd illa cognitio æquè per

per se inclinaret ad peccatum, æquè repugnaret, eam à solo Deo infundi ex hoc capite.

Objic. 2. Quemcumque habitum infundat Deus homini, peccatum non erit à Deo, sed erit ab homine, ergo ex ratione peccati non repugnat habitum vitiosum infundi à Deo; nam ideò præcipuè dicitur repugnare, quia sequeretur, peccatum esse à Deo, & ab eo intendi. Prob. ant. Nam ille habitus inclinaret quidem, sed non necessitaret ad peccatum, & esset liberum homini peccare, aut non peccare; ergo totum peccatum esset ab homine.

Resp. dist. ant. erit ab homine quoad actum, conc. quoad inclinationem, & intentionem, neg. ant. & cons. prob. Nam Deus infundere non potest habitum per se, & primariò inclinantem ad malum sine intentione, ut ita inclinet, quod repugnat summæ Dei sanctitati, & bonitati.

Objic. 3. Habitus vitiosus stat cum gratia, & non est peccatum: nam per gratiam justificantem non statim destruitur habitus vitiosus per longum usum contractus; ergo non repugnat, talem habitum infundi à Deo solo. Prob. cons. non magis repugnat Deo producere primò, & se solo talem habitum, quàm illum conservare se solo; sed potest se solo illum conservare in homine illo; ergo &c. Prob. min. Nam quidquid potest cum creatura, potest se solo facere.

Resp. neg. cons. & maj. prob. imò & min. Nam si conservat habitum malum jam contractum, id facit ut causa universalis, & quoad entitatem physicam, & præter intentionem primariam, contra quam homo illum contraxit peccando; at quando illum se solo produceret, aut etiam se solo conservaret, videretur se solo inclinare ad peccatum, & quidem ut causa particularis.

Inst. Non magis tūc Deus esset causa peccati, quàm nunc concurrendo ad materiale peccati; sed nunc non est causa peccati; ergo neque tunc. Prob. maj. Nam æquè esset liberum homini non peccare; & tota obligatio agendi conformiter ad legem, & ponendi rectitudinem in actu esset in homine; ergo totum formale peccati esset ab homine, & in homine.

Resp. neg. maj. & cons. prob. Nam cùm Deus concurrit

currit ad entitatem physicam actus mali, quæ dicitur materiale ejus, id facit, ut causa universalis, & quasi determinatus consequenter ad suam legem de concurrendo ad omnem actum liberum, & contra primariam suam intentionem, quæ est, ut homo benè utatur libertate, & aliis facultatibus suis, non inclinat, nec suadet, sed potiùs avertit, & deterret eum ab actu; sed per infusionem illam habitus inclinaret, & quasi moveret, & impelleret se ipso voluntatem ad peccandum ex ipsa ratione, & primario fine talis habitus.

Objic. 4. Ille habitus non magis inclinaret ad peccatum, quàm appetitus sensitivus; sed Deus se solo dat hunc appetitum; ergo & dare posset illum habitum.

Resp. neg. maj. Nam ille appetitus non inclinat per se ad peccatum, quia tam inclinat ad bonum usum, quàm ad malum; non ita esset de illo habitu, qui supponitur ex primario fine, & per se inclinare ad malum. Item Deus dat appetitum, ut causa universalis, & juxta exigentiam naturæ, iste autem habitus esset præter, vel contra exigentiam naturæ rationalis.

Inst. Posset Deus cum habitu vitioso infundere virtuosum, qui tam inclinaret ad bonum, quàm ille ad malum, sicut medicus potest propinare venenum sic attemperatum, ut inserviat ægris, ut patet de theriaca; ergo saltem in tali casu posset Deus se solo dare habitum vitiosum.

Respondeo neg. maj. Nam æquè semper repugnat divinæ sanctitati, & bonitati causare se solo, & in particulari, ac directè habitum inclinantem ad malum sive solum, sivè cum alio habitu; paritas autē de medico non valet: nam ex veneno, & alia materia temperante fit antidotum, & desinit esse venenum. S: ex illis duobus habitibus, & actibus diversis fieret unus mixtus, esto, sed essemus extra hypothesim.

Inst. Deus concurrit ad omnes actus, quibus generatur habitus vitiosus; ergo & se solo potest illum facere: potest enim se solo quidquid facit cum creatura: continet enim totam causalitatem plurium actuum, & causarum.

Resp. dist. ant. Concurrit ad materiale, & ut causa universalis, & cum odio peccatorum formaliter,

con. ut causa particularis, & cum inclinatione, vel intentione ad formale peccati, neg. maj. & conf. & ratio negati patet ex dictis.

Objic. denique. Deus potest producere media quæcumque ad suam justitiam manifestandam; sed talis esset iste habitus; ergo est possibilis Deo. Prob. min. Nam qui resisteret huic habitui, majorem gratiam mereretur apud justitiam Dei remunerativam, & qui succumberet, graviter puniretur à justitia punitiva; ergo &c.

Resp. dist. maj. media decentia, con. repugnantia, neg. maj. & min. Nam ex dictis patet, hunc habitum dedecere, & repugnare divinæ sanctitati, & bonitati. Nam, ut docet D. Jacobus, *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*.

QUÆSTIO II.

De aliis causis peccatorum.

HAnc breviter perstringemus, quia ex iis, quæ diximus de voluntarietate, & libertate actuum humanorum, de ignorantia, concupiscentia, & passionibus, & tentationibus dæmonum facilè patebit, quomodo hæc omnia causent peccata.

Certum est igitur 1. quòd inter causas extrinsecas annumerantur dæmones, qui tum suggestionibus, tum imaginativæ, & humorum alteratione nos vehementer ad peccatum movent, & impellunt, ut patet ex tractatu de Angelis; vim tamen voluntati non inferunt; ideoque semper liberi remanemus ad resistendum, vel consentiendum, & peccatum semper est à nobis.

Certum est 2. quòd objecta externa, quæ sensibus, vel intellectu percipimus, etiam ab extrinseco nos movent, & alliciunt, sed occasionaliter.

Certum est 3. quòd inter causas internas propria hominis voluntas est sola causa efficiens peccati, quatenùs in suis operationibus liberis non conformatur legibus, nec rationi rectæ sibi ab intellectu præsentatæ, & hoc vel agendo, quod prohibitum, vel omittendo, quod agendum, & præceptum exhibetur.

4. Cer-

4. Certùm eſt, quòd habitus vitioſi concurrunt ad actus malos phyſicè, ſicut virtuoſi ad bonos. Dico, *phyſicè*, & ad entitatem actuum, nam tota moralitas eſt à voluntate, habitus enim concurrunt, ut cauſæ naturales, & quidem ſubordinatæ voluntati, nec enim inferunt ei neceſſitatem.

5. Quòd aliæ facultates hominis etiam concurrunt effectivè ad idem, ſed ut cauſæ phyſicæ, & inſtrumentales, quantùm ad externas, appetitus verò ſenſitivi, & concupiſcentia concurrunt etiam inclinando, imò & fortiter trahendo ad bonum delectabile, & avertendo ab honeſto, & ex eis elevantur paſſiones, quæ ſæpiùs rationem offuſcant, aut præveniunt, aut debilitant, ne attendat ad legem, aut ne ſatis màturè conſideret agenda, ut diximus de paſſionibus.

6. Quòd ignorantia plurimum influit in peccatum, & aliquando ſic illud cauſat, ut penitùs excuſet à culpa, & hoc patet ex dictis de voluntario, & involuntario, aliquando minuit, & fortè aliquando auget, quod ut clarius fiat, ſit

CONCLUSIO I.

IGnorantia vincibilis aliquando cauſat peccatum, *non quidem directè, ſed indirectè*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Voluntas agit per cognitionem intellectualem, & ideò ratione errante ipſa rectè non vult, & peccatum ejus ex errore rationis dicitur peccatum ex ignorantia*; ergo ex Scoto [2] ignorantia aliqua cauſat peccatum, non quidem invincibilis, quæ cauſat involuntarium, ut docet alibi; ergo vincibilis, & antecedens, ut jam notavimus alibi.

Prob. 2. ex Scriptura, quæ peccata ex ignorantia ſæpè damnat, ut cùm dicitur. [3] *Noluit intelligere, ut benè ageret*, & ſtatuuntur ſacrificia pro peccatis ex ignorantia. Quod confirmat D. Paulus [4] dicens, quòd Sūmus Sacerdos ſemel in anno immolabat *pro ſua, & populi ignorantia*: & Oſeas [5] multa peccata tribuit ignorantiæ, dicens; *non eſt veritas, non eſt ſcientia Dei in terra, & ideò maledictum, mendacium, homicidium, & adulterium inundaverunt.*

X 2 Con-

[2] *2. d. 43. q. 2.* [2] *4 d. 30. q. 1. A. n 2.*
[3] *Pſ. 31.* [4] *Levit. 4.* [5] *Hebr. 9.*

Confir. ex D. Bernardo, qui ex allatis textibus concludit, *Si ignorantia nunquam est peccatum, cur dictum est in Epist. ad Hebræos: Quia in 2. tabernaculo semel in anno solus Pontifex intraret non sine sanguine, quem offerret pro sui, & populi ignorantia, si peccatum ignorantiæ nullum est? Non ergo peccavit Saulus, quòd persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem hoc fecit ex incredulitate. Benè itaque faciebat, quòd erat blasphemus, & persecutor. Non ergo debuit dicere, misericordiam consequutus sum, sed mercedem recepi, quippè quem ignorantia reddebat à peccato immunem*, &c.

Prob. 3. quia ignorantia vincibilis est aliquo modo volita; ergo & peccatum, quod ex ea nascitur: nam qui vult causam, vult & effectum, undè hæc dicitur etiam affectata, quia est volita ex nimio affectu peccandi. Talia peccata dici possunt etiam ex malitia, & directè volita, quando volumus aliquid ignorare, ut liberiùs peccemus. Nam tunc volitio peccandi est potiùs causa ignorantiæ, quàm è contra: non tamen hìc loquimur de ista, sed de vincibili purè ex negligentia inquirendæ veritatis, aut advertentiæ.

Prob. 2. p. Nam privatio non habet influxum positivum; sed ignorantia est privatio scientiæ, & cognitionis; ergo non potest influere directè, & positivè, sed indirectè, & per accidens, quatenùs removet cognitionem præcepti, aut malitiæ, quæ latet in actu, & quæ non lateret, sed cognosceretur, & averteret voluntatem à peccato, saltem prout homo videtur affectus, & dispositus.

CONCLUSIO II.

IGnorantia vincibilis non est speciale peccatum ab eo, quod causat. *Est Scotistarum, maximè Poncii, & Frasseni.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] quatenùs docet, ignorantiam juris divini non excusare à peccato, nec à censuris, & aliis pœnis illi annexis. Et non dicit, quòd illa ignorantia sit in se peccatum. Loquitur autem ibi [2], de iterante Baptismum ex ignorantia.

Prob.

[1] 243. comm. n. 29. [2] 4. d. 6. q. 8. n. 1.

Prob. 2. Ideò talis ignorantia esset in se peccatum, vel quia opponeretur alicui speciali virtuti, aut virtutibus ut sic, quoad modum specialem; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. min. 1. non speciali virtuti: nulla enim talis assignari potest, præter studiositatem; sed hæc virtus non obligat ad omnia scienda, sed tantùm tradit modum comparandi scientias; ergo hæc ignorantia non opponitur ulli speciali virtuti. 2. non omnibus in communi, & ut sic; alioqui esset etiam peccatum commune.

Confir. quia non apparet in hac ignorantia specialis malitia præ aliis, v. g. præ invincibili, nisi quatenùs adesset obligatio specialis ex speciali præcepto sciendi ea, quorum est ignorantia, aut quatenus inferret periculum peccandi circa illa; sed neutra ratio facit, ut ipsa sit in se peccatum speciale; ergo non est. Prob. min. quia obligatio illa faceret, ut in ea esset peccatum ex malitia inobedientiæ, & illa causalitas non haberet aliam malitiam, quàm peccatum inde causatum; ergo ex neutro illo capite hæc ignorantia est peccatum in se, & speciale.

Prob. 3. Ideò ignorantia est peccatum, quatenus dedecet rationem, & est contra debitum; sed prout est causa peccati, non est contra debitum speciale, & diversum ab eo, contra quod est peccatum; ergo nec malitia talis ignorantiæ habet malitiam diversam à malitia peccati. Prob. min. illa ignorantia esset contra debitum, quo tenemur scire aliquid ratione studiositatis, aut fidei, vel quo tenemur vitare periculum, & malum ex ea venturum; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. min. non 1. quia sic ignorantia non habebit aliam malitiam, quàm quæ est in omissione studiositatis, aut obligationum fidei, seu malitiam vitiorum illis virtutibus oppositorum. Non 2. quia tota etiam malitia talis ignorantiæ sumitur ab ea, quæ est in illis peccatis, & malis, quæ ex illa prævidentur futura; ergo ex neutro illo capite sequitur specialis malitia in illa ignorantia. Hęc ratio ferè coincidit cum pręcedentibus.

Objic. 1. Qui obit aliquod munus, v. g. Judex, aut Confessarius tenetur scire, quæ sunt sui muneris, ne in ejus exercitio peccet; ergo ejus ignorantia specialem habet deformitatem.

Resp.neg. conf. Nam si judex per ignorantiam vincibilem peccet in ministerio justitiæ, peccata erunt contra justitiam, & ita de aliis ministeriis, ex se peccata erunt contra illas virtutes, quarum transgredientur regulas sibi in illis officiis præscriptas, vel contra obedientiam, vel charitatem, &c.

Objic. 2. Omnis Christianus debet scire articulos fidei, & præcepta Dei, & Ecclesiæ; Religiosus suam regulam; Sacerdos rubricas breviarii, & Missæ; ergo ignorantia illarum rerum erit in illis peccatum speciale; sed non potest illud pertinere ad aliam speciem, quàm ignorantiæ; ergo ignorantia vincibilis eorum, quæ sciri debent, est speciale peccatum.

Resp. neg. subsumptum. Nam illud peccatum reducitur ad easdem species peccati, ad quas pertinēt transgressiones obligationum fidei, religionis, præceptorum, & officiorum divinorum, quando ex illa ignorantia in illis peccatur. Undè religiosus, qui negligit scire suam regulam, peccat contra illam, quia censetur nolle illam observare.

Quæres, *an ignorantia vincibilis excuset à peccato*.

Resp. id decidendum ex dictis de involuntario ex ignorantia, nec placet ea hìc repetere; ex iisdem patet, quid dicendum de ignorantia invincibili antecedente, aut comitante.

DISPUTATIO IV.

De proprietatibus peccatorum.

INTER proprietates peccatorum præcipuæ sunt *connexio*, vel *distinctio*; *gravitas*, & *levitas*; *æqualitas*, vel *inæqualitas*, de quibus hac disputatione aliqua sunt dicenda.

QUÆSTIO I.

De connexione peccatorum, an omnia sint inter se connexa.

JAm diximus, an, & quomodo peccata distinguantur ad invicem, tum specie, tum numero. Cum his autem

autem distinctionibus posset stare aliqua cōnexio eorum, ita ut hoc ipso, quòd quis committeret unum aliquod mortale, v. g. fornicationem, aut furtum fieret reus omnium aliorū, & eodem supplicio puniretur, ac si omnia, vel plura de facto committeret.

CONCLUSIO.

P*Eccata non sunt inter se necessariò connexa*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Nam singuli actus mali habent proprias malitias; quia sicut nati sunt habere proprias bonitates, & convenientias, vel conformitates sive eidem regulæ, sive aliis, sic singuli habent proprias carentias*; sed peccata non haberent sic distinctas malitias, & proprias, si inter se connecterentur; nam unum semper haberet malitias omnium aliorum; ergo &c.

Prob. 2. quia potiùs aliqua sunt aliis contraria, & ferè se excludunt; ergo tantùm abest, ut sint connexa, quin potiùs ad invicem repugnant. Prob. ant. Nam prodigalitas, & avaritia sunt contraria; illud temerè dispergit bona, istud irrationabiliter, & iniquè retinet, atque congregat.

Prob. 3. Nam multorum peccatorum objecta sunt disparata, ita ut unum appetatur sine alio; v. g. objectum furti, & blasphemiæ sic distinguuntur, ut qui furatur non necessariò blasphemet; ergo qui illicitè circa unum operatur, non necessariò circa aliud operatur, nec peccat.

Confir. ex dicendis de virtutibus. Nam illę non necessariò connectuntur; ergo ita est de vitiis, & peccatis, & quidem à fortiori. Nam quia bonum est ex integra causa, ita ad bonum virtutis videretur requiri, ut omnes virtutes concurrerent, de quo suo loco.

Objic. ex Script. [2] *Qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*; ergo in uno peccato comprehenduntur cętera omnia.

Resp. neg. conf. Nam Apostolus ibi loquitur de peccato comparativè ad legem, quam tenemur totam implere; & qui peccat in uno legis puncto, violat legem, & offendit legislatorem, qui unus est, & amit-

X 4 tit

[1] *Quod.* 18. *n.* 17. *T.*

tit totam ejus gratiam, & charitatem, quæ una est, & indivisibilis essentialiter, non gradualiter, nec extensivè. *Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & non occides.* Illa igitur omnia dicuntur de totalitate legislatoris offensi, & gratiæ, seu charitatis, imò & visionis Dei, ac beatitudinis, quæ tota amittitur uno peccato mortali, nec aliud pro nunc circa hoc dicendum occurrit.

QUÆSTIO II.

De gravitate, æqualitate, & inæqualitate peccatorum. An omnia sint paria.

QUantitas, seu gravitas peccati attenditur penes modum, & mensuram malitiæ, prout magis, aut minùs opponitur rectæ rationi, ac legi divinæ, & dicitur gravitas per metaphoram sumptam à ponderibus, quia peccatum suo quasi pondere deprimit hominem deorsum, avertens eum à Deo, & inclinans ad creaturam.

Hæc gravitas duplex est 1. *essentialis*, quam habet peccatum ex sua differentia essentiali, & *specifica*: ut furtum, & blasphemia. 2. *accidentalis*, quæ advenit actui jam in sua specie peccati constituto, ut sacrilegium furto advenit ratione loci, vel rei sacræ. Hæc rursus duplex est 1. *intensiva*, quæ venit ab intensione actus, qui est intensior, vel remissior, aut ex majori, vel minori applicatione, & conatu voluntatis. 2. *extensiva*, quam habet vel ex majori, vel minori duratione, vel ex majori, vel minori quantitate, seu multitudine objectorum, vel rerum, circa quas versatur, & aliarum circumstantiarum, aut ex majori, vel minori libertate, vel advertentia.

His suppositis, quæritur 1. an omnia peccata sint æqualis gravitatis, & malitiæ, ut voluerunt Stoici, & Joviniani, & alii hæretici? Et 2. undè petatur illa inæqualitas.

CON-

CONCLUSIO I.

P*Eccata omnia non sunt æqualia in gravitate, seu malitia sive essentialiter, & in specie, sivè accidentaliter, & in individuo*. Est communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Apparet, quomodo unum peccatum sit gravius alio, sive intelligatur secundum distinctam speciem gravitatis sivè secundum distinctam gravitatem, & in eadem specie. Quia actus eo modo, quo debet habere bonitatem majorem sive in specie, sive intensionis in specie, eodem modo, si caret bonitate debita, est pejor privativè. Etsi habet conditionem aliquam positivam repugnantem, est pejor privativè*. Idem patet ex dictis [2] cum eo de gravitate peccati Adæ comparativè ad alia.

Prob. 2. ex Script. [3] Nam Judæis dicebat Hieremias: *Pejus operati sunt, quàm patres eorum, & major effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum*. Et, [4] *Pro mensura delicti erit & plagarum modus*. Et Christus de Juda dicebat Pilato, *Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet*. Et Apostolus, [5] *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes*, &c. ergo ex Scriptura dantur peccata graviora, & leviora.

Prob. 3. ex SS. Patribus, [6] quos citavimus supra pro divisione, & existentia peccati venialis, & mortalis: singulariter autem S. Hieronymus hunc errorem contra Jovinianum impugnans ait; *Non licet à virtutibus paululum declinare, & omnia peccata sunt paria, ejusdemque criminis reus est, qui panem esurienti surripuerit, & qui occiderit hominem. Tu quoque* (Joviniane) *maximorum scelerum reus teneris*, &c. Et Augustinus [7] de paritate peccatorum, *Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani, quam eorum vanitatem in Joviniano ille, qui in hac sententia Stoicus erat, de Scripturis Sacris dilucidissimè convicisti*. Sc. laudat Hieronymum, quòd convicerit de hoc errore Jovinianum.

Prob. 4. ratione, tum quia evidens est, graviùs peccare qui occidit hominem, aut blasphemat in Deum,

[1] *Quod.* 18. *n.* 17. *A.A.* [2] 2 *d.* 21. *q.* 2. *B. n.* 3.
[3] *c.* 7. *Thren* 4. [4] *Deut.* 23. [5] *Jo.* 16.
[6] *l.* 2. [7] *Ep.* 29. *ad Hier.*

quàm qui occidit bovem, aut gallinam ejus; & qui furatur centum nummos, quàm qui unum, &c. 2. certum est, quòd privationes sumunt malitiam à bono, quod tollunt; sed bona, quibus opponuntur peccata, sunt inæqualia; ergo & ipsa peccata. Prob. min. Nam reverentia Deo debita est majus bonum, quàm quę debetur homini; ergo irreverentia in Deum est majus peccatum, quàm irreverentia in hominem.

Objic. 1. Omne peccatum est contra rationem, & legem, cujus rectitudo est indivisibilis; ergo omnia peccata sunt paria. Nam sicut in physicis qui transgreditur lineam nihil interest, quòd parum, aut multum distet à linea; ita est in moralibus, quando transgreditur lineam legis, aut rationis, non attenditur ad magis, aut minus.

Resp. dist. ant. Est contra rationem, quæ est indivisibilis generalissimè sumpto nomine peccati, & legis, con. in specie, vel individuo, neg. ant. & conf. Namsicut ratio, & præceptum in aliquibus est majoris, & in aliis minoris momenti, ita transgressiones aliquarum legum sunt graviores. Generalissimè ergo peccata omnia prohibentur à recta ratione, & lege, sed non æqualiter.

Inst. Peccatum dicit privationem rectitudinis debitæ; sed tales privationes non habent magis, & minus; ergo nec peccata. Prob. min. Nam una privatio non magis tollit rectitudinem, quàm alia; ergo non habet magis, & minus.

Resp. neg. maj. & dist. min. in ratione privationis ut sic, & genericè, con. in ratione hujus, vel illius privationis, & in specie, vel individuo, neg. min. Nam sicut una forma est excellentior alia, & una rectitudo est melior, & urgentior, & majoris momenti, quàm alia, inde privatio sumit gravitatem, aut levitatem malitiæ.

Objic. 2. Peccata omnia mortalia æqualiter avertunt à Deo, & æqualiter puniuntur; ergo æqualis sunt gravitatis. Nam *pro mensura delicti erit & plagarum modus*. Prob. ant. nam in hoc conveniunt omnia, quòd sunt aversiones à Deo, & conversiones ad creaturam, & omnia puniuntur totali privatione gratiæ, & gloriæ, & pœna damni; ergo &c.

Resp.

Resp.neg. ant. & conf.prob. Nam 1. quædam avertunt à Deo directè, & immediatè, ut odium Dei, & quæ opponuntur virtutibus Theologicis; quædam verò indirectè, ut quæ opponuntur virtutibus moralibus; & quædam avertunt cum majori intensione malitiæ, & cognitionis; quædam cum leviori advertentia, & remissiori actu. 2. licèt omnia privent totali gratia sanctificante quoad entitatem; non tamen æqualiter ex parte hominis demerentur indignationem, & inimicitiam Dei. 3. Idem est de pœna damni, saltem quantùm ad appendicem illius pœnæ. Nam pœna sensus, & vermis non erit æqualis, juxta illud: [1] *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*.

CONCLUSIO II.

INæqualitas peccatorum petitur aliquando vel ex oppositione cum nobiliori virtute, vel 2. ex objecto præstantiori, vel 3. ex graviori, & urgentiori præcepto, vel 4. ex aliis circumstantiis.

Prob. 1. ex Scoto cit. Nam in 2. loco dicit, [2] *Gravitas peccati vel concluditur ex hoc, quod opponitur magis intensæ bonitati, vel quia bonitas opposita est magis necessaria; sc. quia peccatum tale est magis contra plura præcepta, ac magis ardua*; & inde probat, quòd peccatum Adæ non fuit maximum, quia *non fuit directè contra maximum bonum*, sc. contra Deum, sed formaliter contra bonum creatum; & vides, gravitatem peti etiam ab objecto, & virtute, & lege. Et addit, quòd *peccatum potest aggravari ex circumstantia accidentali propter excellentiam personæ*, &c. Item *propter fortitudinem, & possibilitatem resistendi*, &c.

Prob. 2. quoad 1. p. Nam inquit Arist. *Pessimum optimo contrarium est*. Et S. Thom. [3] *Optimum in moralibus est optima virtus, pessimum autem gravissimum peccatum*; ergo quod opponitur optimæ virtuti est gravissimum peccatum. Prob. ant. vitium, & virtus specificantur ab objectis; ergo quò nobilius est objectum, eò nobilior est virtus; ergo & vitium,

X 6 &

[1] *Apoc*. 18.
[2] 2.*d*.21.*q*.2.*D*.*n*.3.
[3] 1. 2. *q*. 73. *a*. 4.

& peccatum inde crescit, quia contrariorum eadem est ratio; &, ut dicebat Scotus, *privationes specificantur à bono, quod tollunt.*

Hinc probata manet 2. p. de gravitate ex objecto. Nam sicut objectum specificat nobiliorem virtutem, ita & gravius peccatum. Unde gravius est peccatum odisse Deum, quàm proximum.

Prob. 3. p. Nam evidens est, quòd inobedientia gravior est contra duo, vel tria præcepta, quàm contra unum, & contra præcepta Dei, quàm contra humana, & quò fortiùs, & sub gravioribus pœnis præcipitur, eò etiam gravior est transgressio, &c.

Probatur denique 4. pars. Nam sine dubio gravius est peccatum in Deum directè commissum, quàm in hominem ex circumstantia personæ: item in loco sacro, quàm in prophano, ex circumstantia loci, &c. ergo crescit etiam aliquando ex circumstantiis; de quo omnes conveniunt, ut videre est apud Casuistas.

Dixi, *aliquando*, non enim omnia, & semper ex illis capitibus necessariò sunt mensuranda. Nam in aliquibus casibus peccatum gravius est contra virtutem aliquam moralem, quàm contra Theologicas; v. g. gravius peccatum est blasphemia in Deum, quàm omissio amoris Dei tempore, quo præcipitur, licèt illud sit contra religionem, & istud contra charitatem, & præceptum positivum. Sic gravius est homicidium, quàm omissio sacri die dominico, licèt istud sit contra religionem, illud contra aliud membrum justitiæ. Conclusio igitur intelligenda est de virtutibus, & objectis, & præceptis per se loquendo, non ex accidenti.

Objic. con. 1. p. Peccatum illud est gravius, quod magis prohibetur; sed aliquando actus contra virtutem inferiorem magis prohibetur, quàm contra altiorem; ergo non bene petitur gravitas major ex altiori virtute, cui opponitur. Prob. min. omissio curæ infirmi spectat ad partem justitiæ inferiorem religione, cui opponitur auditio sacri; ergo &c.

Respond. 1. dist. min. & ant. prob. Contra virtutem oppositione privativa, con. oppositione positiva, & contraria, neg. min. & ant. loquimur de oppositione contraria nobiliori virtuti, non autem de purè pri-

privativa. Sic odium Dei semper est pessimum præ omnibus aliis, quia contrariè opponitur charitati, & Deo, & sic de cæteris.

Resp. 2. neg. min. & ant. prob. Nam istud exemplum, & casus non est ad rem: nam curatio infirmi in gravi necessitate spectat ad charitatem æquè, ac ad justitiam; & præterea in casu gravioris præcepti actus omnes illi, quamvis materialiter spectent ad diversas virtutes, tamen formaliter spectant ad virtutem obedientiæ, quæ obligat magis, & minùs secundum vim præcepti.

Objic. 2. Bestialitas, & Sodomia spectant ad temperantiam; & furtum ad justitiam; sed illa peccata sunt graviora furto, licèt justitia sit dignior temperantia; ergo gravitas peccati non mensuratur ex virtute opposita.

Resp. neg. maj. pro 1. parte. Nam illa duo peccata sunt opposita non soli temperantiæ, sed etiam legi naturæ, & bono speciei humanæ, cujus ordinem, & propagationem frustrant, & depravant. Uno verbo, aliunde, & multiplici capite sumunt malitiam; & non ita est de furto, prout jacet in objectione.

Sufficit ergo, ut aliquando malitia peccati crescat, & mensuretur ex oppositione ad virtutem, vel à deordinatione ab objecto, vel à præcepto, vel à circumstantiis, & ut notat Arriaga, difficile est hoc in puncto assignare regulam unam certam.

Aliqui tamen Theologi tradunt istas, & assignant hæc capita, ex quibus mensuratur major, aut minor gravitas. 1. ex objecto, cui actus magis, aut minùs disconvenit. 2. ex dignitate virtutis, cui actus, vel omissio repugnat. 3 ex natura ipsa, seu materia peccatorum; nam spiritualia graviora sunt corporalibus. 4. ex causis; nam quæ fiunt ex malitia sunt graviora his, quæ ex infirmitate, aut ignorantia. 5. ex circumstantia personæ, in quam peccatur, v. g. graviùs peccatur in sacerdotem, quàm in laicum. 6. ex circumstantia peccantis, quæ magis, aut minus ingratitudine notatur, & magis scandalizat. 7. ex nocumento proprio, vel alieno, quod prævideri potest, aut debet. 8. ex conditione præcepti strictiùs obligantis. Cætera vide apud Casuistas. Hæc indicasse sufficiat.

Circa quantitatem peccati posset quæri, *an sit infinita, maximè in peccato mortali;* sed de hoc diximus supra.

De gravitate, aut levitate ex circumstantiis, & quomodo hæ influant, patet ex dictis de malitia actuum humanorum.

Quæres, *An gravius sit peccatum, quod deficit à medio virtutis moralis, quàm quod excedit illud;* v. g. prodigalitas, & avaritia, quæ opponuntur liberalitati.

Resp. etiam in his difficilem esse regulam certam, dici tamen potest, quòd in iis virtutibus in medio consistentibus, quæ ordinantur principaliter ad dirigendum hominem in bonum, ut liberalitas, quæ inclinat ad largienda bona, gravius est deficere, quàm excedere medium illud: sic avaritia, quæ deficit, gravius est peccatum, quàm prodigalitas, quæ excedit. In his verò, quæ præcipuè avertunt à malo, ut temperantia, quæ moderatur appetitum circa delectabilia ne excedat, in his graviùs peccatur per excessum: sic ebrietas majus est peccatum, quàm austerior abstinentia potus necessarii: & ratio videtur clara, nam in his magis deviatur à fine talium virtutum.

DISPUTATIO V.

De effectibus, & pœnis peccatorum.

QUamvis peccatum sit formaliter nihil, seu privatio pura, seu non ens, habet tamen notabiles effectus, & auctorē suum subjicit gravissimis pœnis. Inter effectus peccati numerātur *Corruptio naturæ, & gratiæ, animæ macula, reatus pœnæ, & ipsamet peccata.* De 1. diximus ab initio, ubi de peccato originali, quo sensu peccatum sit corruptivum naturæ, & quomodo opponatur gratiæ; de 3. etiam diximus, in quo hæc macula consistat, & de peccato habituali; restant igitur pauca d cenda de *reatu pœnæ, & de peccato*, an sc. unum possit esse effectus alterius, de pœnis ipsis aliqua tangemus, si quæ addenda fuerint iis, quæ diximus de pœna dæmonum in tr. de Angel s.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De reatu pœnæ.

REatus duplex distinguitur, sc. *culpæ*, & *pœnæ*. 1. est ipsum peccatum, prout reddit peccantem indignum gratia, & amicitia Dei, & odio ejus dignum propter offensam. 2. est dignitas ad pœnam propter culpam; nisi enim adesset culpa, non esset propriè pœna; nam pœna propriè dicitur malum naturæ, aut voluntati contrarium ob culpam commissam inflictum; nam si non esset voluntati contrarium, non esset malum, & si non esset propter culpam, esset malum, vel tormentum, sed non pœna; quippe hæc illud malum est, per quod vindicatur, & punitur peccatum, & quidem in ipso peccatore; nam mala, quæ tolerantur pro alienis peccatis, non sunt propriè pœna, sed passio, ut mors Christi D. qui pro peccatis alienis mortem subiit. Reatus ergo pœnæ non est culpa, sed effectus culpæ; non est etiam pœna, sed meritum, seu dignitas pœnæ, & sic mediat inter culpam, & pœnam ipsam.

Pœna igitur largè sumitur pro quolibet malo, seu incommodo, quod displicet, seu quod involuntariè quis patitur; sed propriè dicitur de illis malis, quæ involuntariè patimur propter peccatum, quod per illa punitur: & hæc adhuc duplex est, sc. *positiva*, ut pœna ignis, & dolor, quem causat; & *privativa*, quæ consistit in pura privatione alicujus boni, ut dejectio à sede, vel officio, vel dignitate ob demeritum.

CONCLUSIO I.

P*OEnas improprias Deus inferre potest innocentibus, non autem proprias*. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto [1] in Reportatis dicente, quòd *pœna propriè dicta est aliquid inflictum ad puniendum in vindictam alicujus malefacti*. Unde August. *Et si Deus fecisset hominem in miseria*, sc. in pœna impropriè dicta, *adhuc fuisset laudandus; non enim fuisset vituperandus, eo quòd non fecisset sibi injuriam*; ergo licèt

[1] 2. *d*.19. *n*.9.

licèt Deus sine injuria possit inferre pœnas ad incommoda naturæ, non potest tamen inferre pœnas proprias innocentibus, & è contra docet, quòd *illud, quod est pœna, in quantum est ordinativum culpæ, sic est à Deo, quia ipse ordo est à Deo*.

Prob.2. quoad 1. p. ex Scriptura. Nam ideo Abacuc [1] videtur conqueri de Deo, *quare respicis contemptores, & taces conculcante impio justiorem*? Et patet ex historiis Job, [2] & Tobiæ. Item Christus de cœco nato fatetur, quòd *neque hic peccavit, nec parentes ejus, ut cæcus nasceretur, sed ut manifestentur opera Dei in illo*; & D. Paulus[3] de Sanctis Christianis: *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt in occisione gladii, egentes, angustiati .... quibus dignus non erat mundus*; & sancti iidem optant sibi immitti tribulationes in hac vita, ut per eas mereantur coronam gloriæ.

Prob.3. Nam certum est, dari pœnas præservativas, & medicinales, quas Deus infert, aut permittit ex charitate potiùs, quàm ira, ut electos probet, & perficiat, & à peccatis præservet.

Prob.2. p. ex Script. Nam, ut dicebat Eliphas amicus Job, [4] *Quis unquam innocens periit? quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, flante Deo periisse*. Et, [5] *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. E contra verò de innocentibus, *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum*, &c. *injusti punientur; & tribulatio, & angustia in omnem animam operantis malum*. Et, *Peccatores persequitur malum*; ergo veræ pœnæ supponunt culpam, & quidem necessariò, ita ut quodvis malum non habeat rationem pœnæ, nisi propter peccatum. *Item ipsum quoque qui non debet puniri condemnare exterum æstimata tua virtute*.

Confir. ex Augustino. [6] *Iniquitas omnis pœna si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur*. Et Tertullianus. [7] *Omne delictum aut venia expungit, aut pœna, venia ex castigatione, pœna ex damnatione*.

Prob.2. ratione Scoti. Nam pœna dicit ordinem essen-

[1] *Abac* 1. [2] *Job*.9. [3] *Heb*.11. [4] *Job*.4. [5] *Ps*.36. [6] *Retra*.9. [7] 1. *pudic*.2.

sentialem ad culpam; quia est ordinativa culpæ; & hic ordo est à Deo; ergo Deus non potest pœnas veras infligere, nisi ratione culpæ: unde inquit S. Fulgentius. [1] *Peccator, quia ordinem in se non servavit divinæ institutionis, ordinem divinæ ultionis non effugiet*.

Objic. ex Script. [2] Deus punit filios innocentes ob peccata aliena, v. g. parentum: unde conflagratio Sodomorum, cædes Jericho, Chananæorum, & Madianitarum fuerunt veræ pœnæ, & tamen illas passi sunt plurimi innocentes, maximè infantes. Item, [3] *Ego sum Deus æmulator reddens iniquitatem Patrum super filios in 3. & 4. generationem*. Sed alii sunt innocentes; ergo Deus punit innocentes.

Resp. neg. conf. Nam in illis casibus mortes, & alia illa mala non habent rationem pœnarum, nisi respectu parentum, qui in filiis puniuntur, quando ipsos ab illis aufert, sic cùm ipsosmet parentes punit infligendo eis sterilitatem; undè punit Davidem morte infantis ex Bersabea in adulterio procreati. Ad illos autem textus Scripturæ respondent Hieron. & August. filios puniri non tam pro parentibus, quàm cum parentibus; quia sc. peccata parentum imitantur. Versio Chaldaica legit: *visitans peccata parentum in filios transgressores*: quando filii sequuntur peccata patrum.

Inst. In jure civili, in criminibus læsæ Majestatis, puniuntur etiam filii reorum, licèt innocentes, ut patet *L. quisquis C. ad L. Juliam*; ergo id non repugnat Deo, qui jurisdictionem habet infinitè superiorem.

Resp. neg. ant. Non enim id fit de omnibus filiis, sed de masculis adultis, qui æstimantur participes peccati patrum; alioqui lex non esset justa. Unde illam refert Innoc. III. sine approbatione C. *urgentes. De hær.*

Colligis ergo, quòd mala, quæ Deus infligeret, aut permitteret in filiis innocentibus, non haberent rationem supplicii, nec propriæ pœnæ. Ideò dicitur: [4] *Filius non portabit iniquitatem patris*. Et, *Unusquisque onus suum portabit*. [5] Et, *Omnes vos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit in suo corpore*, &c.

Col-

[1] *De fid.* 21. [2] *Deut.* 5. [3] *Exo.* 20.
[4] *Ezech.* 18. [5] *Gal.* 6.

Colligis 2. mortem, & crucem Christi non fuisse propriè pęnam respectu ipsius, sed pęnam satisfactoriam, quæ non dedecet innocentes, qui satisfactiones offerunt, & patiuntur pro reatibus alienis.

CONCLUSIO II.

Omne peccatum infert reatum pœnæ, veniale quidem reatum pœnæ temporalis, mortale verò reatum pœnæ æternæ. Est communissima quoad omnes partes.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [1] Nam *ad deletionem peccati regulariter requiritur pœna, vel punitio voluntaria;* illa sc. per justitiam, & non est voluntaria patienti; ista per virtutem pęnitentiæ, quæ est voluntaria; ergo omne peccatum infert reatum pęnæ; nam culpa ordinatur ad pęnam.

Prob. 2. ex Script. ubi dicitur, quòd *injusti punientur*. Et Deus ad Cain, [2] *Nonne si benè egeris recipies, si autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* Et Sapiens, [3] *Peccatores persequitur malum*. Et Apost. [4] *Scimus, quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt*, &c.

Confir. ex SS. Patribus. Nam inquit Fulgent. [5] cit. *Quia ordinem in se non servavit divinæ institutionis, ordinem divinæ non effugiet ultionis*. Et August. [6] *Iniquitas omnis parva, magnave sit, puniatur necesse est aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante*. Item, *Non efficit anima perversè utens creaturis, ut ordinationem effugiat creatoris .... qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in pœnis*. &c.

Prob. 3. quia sicut bonis operibus merces, sic peccato pęna debetur ex justitia, quæ *suum unicuique reddit:* at peccatum est essentialiter pęna dignum, alioqui non esset peccatum; ergo, &c.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto. *Dico, quòd peccato veniali, sive hìc puniendo, sive in inferno, sive alibì, non debetur nisi pœna temporalis.... quia secundum se est talis offensa, quæ secundum se punitur per temporalem sufficientem*.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit S. Gregor. [7] *De*

[1] 4. *d*. 14. *q*. 1. *M*. *n*. 10. [2] *Gen*. 4. [3] *Prov*. 13. [4] *Ro*. 2. [5] *Desi*. 21. [6] *Ep*. 120. [7] 3. *dial*.

De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo, quod veritas dicit, quia si quis in S. Spiritũ blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro, in qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse relaxari: scilicet leves, & veniales etiam post mortem punientur temporaliter.

Prob. 3. ex dictis supra, quòd venialia non excludant gratiam sanctificantem, & quòd reperiantur in justis. Nam certum est ex fide, quòd justi non privabuntur pro semper vita beata; & sicut hæc peccata stant cum gratia, ita & cum jure ad gloriam; &, ut brevi dicemus, si veniale junctum peccato mortali non punitur per æternitatem, à fortiori se solo non sic punitur. Denique in hoc maximè consistit differentia venialis à mortali, quòd illud non meretur mortem animæ, sicut istud. Confir. per sequent.

Prob 3. p. 1. ex Scoto; [1] qui quærens, *an pænitentia debita pro ipso mortali possit solvi in futuro, & sic remitti?* respondet, *de primo istorum tanquam de certo tenetur, quòd non*, de peccato mortali, *quia pro ipso non dimisso* (in præsenti) *pœna debita est pœna damnationis, quæ non remittetur*, &c.

Prob. 2. ex Script. [2] ex qua colligitur, peccantem graviter addici pęnis æternis damni, & sensus. *Discedite maledicti in ignem æternum*. Et de pęna damni post enumerata gravia peccata concludit Apostolus, [3] *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Et, [4] *Bonum est tibi debilem introire ad vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam*, in ignem inextinguibilem, & de peccatis in Spiritum S. dicitur, quòd *non remittentur nec in hoc sæculo, neque in futuro*. Et in Apocalypsi [5] dicitur: *Timidis, & incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus pars illorum erit in stagno ardenti igne, et sulphure*, &c.

Prob. 3 ex Patribus. Nam inquit Hieron. *His, qui peccant graviter, ignis conflagrans est, atque consũmens, qui autem levia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis munditiam restituat*, & patet ex dictis de

[1] *Ibid. B n.* 2. [2] *Matth.* 25. [3] 1. *Cor.* 6. [4] *Mar.* 9. [5] *Apoc.* 21.

de inæqualitate peccatorum. Et Haimo: [1] *stipendium peccati*, (id est remuneratio peccatorum) *mors est æterna*: non tamen de omnibus peccatis intelligendum est, sed de criminalibus, de quibus dicit Joannes, [2] *Est peccatum ad mortem , non dico pro hoc , ut quis roget*.

Prob.4. ratione. Nam peccatum mortale avertit ab ultimo fine, & peccat contra bonum æternum; ergo justè punitur malo æterno. Sic ratiocinatur August. *Factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum*. Huic conclusioni lucem afferent dicenda in sequentibus.

CONCLUSIO III.

POEna peccati mortalis non est infinita intensivè, sed extensivè. Est communis.

Prob.1. ex Scoto. [3] Nam, inquit, *possibile esset Deo etiam secundum strictum rigorem justitiæ laxare pœnam intensam, secundum quod sufficienter responderet culpæ, etiam si natura esset statim annihilanda; ergo quòd pœna æterna sic infligitur, non est, quia æternitas sit de ratione pœnæ, in quantùm æqualiter punitiva, sed accidit propter æternitatem personæ punitæ, et culpæ remanentis. Et istud magis salvat, quomodo secundum modum delicti erit plagarum modus, loquendo de intensione, quæ per se requiritur in pœna, extensio infinita sibi accidit ex causis prædictis*. Vides, intensionem pęnæ esse finitam, quæ in momento expleri potest, extensionem verò infinitam, sc. duratione æternitatis, quia sic durat persona, & culpa.

Prob 2. quoad 1.p. ex Script. [4] Nam pęna proportionatur culpæ, juxta illud: *Quantùm glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum*: imò & Deus punit potius citra, quàm ultra condignum, tum quia est justissimus, tum quia *miserationes ejus supra omnia opera ejus*. Et, *Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas*. Et, *Superexaltat misericordia judicium*, & patet ex 1. disp. malitiam peccati intensivam non esse infinitam; nec fortè creatura est capax pęnæ, seu

do-

[1] *Gen.8. pent.* [2] 1. *Jo*.5. [3] 4.*d*.46.*q*.4. *Q*.*n*.20. [4] *Apoc*.18.

doloris intensivè infiniti, cùm sit ipsa in se finita; ergo pęna peccati mortalis non est intensivè infinita.

Prob.2.p. Nam patet ex dictis, reatum peccati mortalis esse reatum pęnæ æternæ quoad durationem; sed duratio æterna est infinita; ergo pęna illa est infinita extensivè.

Prob.2. ex Scoto citato. Nam peccatum mortale, quantum est de se, deviat ab ultimo fine, & privat hominem peccantem omnibus donis gratuitis, & reddit eum indignum omnibus auxiliis divinis, sine quibus resurgere non potest à peccato; ergo quantum est de se, peccatum mortale durat in æternum; ergo & pęna ejus, quantum est ex parte peccatoris, & peccati durat per æternitatem. Id significat Scotus dicens, quòd *non ideo pœna æterna infligitur, quasi æternitas sit per se de ratione ejus, ut æqualis sit culpæ, sed hoc accidit ei propter immortalitatem personæ punitæ, et propter culpæ remanentis æternitatem.*

Dices, hinc sequi peccatum etiam veniale sic posse puniri; nam continet etiam aversionem à Deo, & demeretur gratiam, sine qua non potest satisfacere, & mereri condonationem ejus; ergo ratio illa non probat de peccato mortali potiùs, quàm de veniali; ergo cùm pęna venialis non sit infinita extensivè, ita nec mortalis.

Contra. Nam veniale non excludit gratiam sanctificantem, non aufert principium vitæ, nec infert mortem animæ, ut facit mortale; ergo non est eadem ratio de utroque.

Dices 2. Saltem veniale conjunctum cum mortali hoc præstaret; ergo pœna ejus esset pariter infinita ob eamdem rationem.

Contra. Nam illud demeritum gratiæ, & vitæ, & carentiæ donorum omnium, derelictionis veniret semper à peccato mortali, non autem à veniali; ergo nunquam pęna venialis esset æterna, saltem de se, an autem per accidens, & ob illam conjunctionem pęna venialis esset æterna, dicemus brevi.

Objic.1. Pęna debet proportionari culpæ; sed culpæ cum pęna æterna nulla est proportio; ergo pęna peccati mortalis non est æterna. Prob.min. finiti ad infinitum non est proportio; sed culpa est finita etiam duratione; nam brevissimo tẽpore committitur; ergo &c.

Resp.

Resp. neg. min. utramque, vel dist. 2. Culpa actualis est brevissimæ durationis, con. culpa habitualis, & quoad maculam, seu reatum, & quantum est de se, neg. min. Nam ut dicebam in his, qui decedunt ante condonationem, perseverant habitualiter in peccato, & peccatum ipsum, quantum est de se, ponit hominem in statu irreparabilitatis, quatenus sc. reddit eum indignum omni gratia, & dignum, qui deseratur à Deo, & sic impotentem resurgendi à peccato. Certè in nulla justitia duratio pęnæ commensuratur durationi culpæ. Pro momentaneis peccatis, v. g. pro homicidio punitur homicida morte, quæ erit perpetua, saltem usque ad resurrectionem universalem: sic alia puniuntur triremibus, aut carceribus, aut exiliis perpetuis, &c.

Objic.2. Si culpa, & pęna deberent commensurari, pęna deberet esse infinita etiam intensivè; nam reatus est infinitus in se propter infinitatem Dei offensi; sed conf. est contra nos; ergo malè ex illa commensuratione arguitur æternitas pęnæ peccati mortalis.

Resp. neg. maj. & dist. rationem ejus: reatus est infinitus extrinsecè, & quasi extensivè, con. intrinsecè, & intensivè, neg. reatus habet suam gravitatem intrinsecam, & intensivam à suis principiis elicitivis, à malitia, & conatu voluntatis, à cognitione, & modo, quo offenditur persona, à qua sumit gravitatem extrinsecam.

Inst. Offensa Dei ratione offensi est ordinis habentis sub se infinitas offensas minores, seu inferiores, & inferiores in infinitum; ergo & ipsa est in se infinita. Prob. conf. Nam singulæ inferiores merentur suas pęnas; ergo pęna offensæ mortalis æquivalet infinitis pęnis; sed pęna æquivalens infinitis est in se intensivè infinita; ergo &c.

Resp.1. Nos jam respondisse supra ad simile argumentum, ubi agebatur de malitia peccati mortalis, neg. conf. utramque; nec enim valet in moralibus hæc calculatio, imò neque in physicis; alioqui quodlibet quantum, etiam minimum, esset actu infinitum, quia esset divisibile in partes minores, & minores in infinitum.

Resp.

Resp. 2. argumentum nimis probare. Nam sic probaretur etiam infinitas intensiva reatus, & pęnæ peccati venialis, quia & ipsum offensa Dei est, & sic sub se habet infinitas offensas minores. Sequitur ergo tantùm, quòd mortale est altioris ordinis, quàm inferiora; sed non quod sit intensioris entitatis; nam potest dari actus venialis, qui sit intensior aliquo mortali, & tamen reatus pęnæ non erit tantus.

Objic. 3. Privatio beatitudinis infinitæ est pęna infinita intensivè; sed per unum mortale homo privaretur infinita beatitudine, si eam meruisset ante illud; ergo ejus pęna est infinita intensivè. Prob. min. Nam mortale ex se privat animam omni gratia, & omni jure ad gloriam, quantumcumque sit.

Resp. neg. maj. vel dist. esset pęna infinita extrinsecè, & terminativè, con. intrinsecè, & formaliter, neg. maj. & conf. intensio intrinseca pęnæ attenditur juxta intensionem, & gravitatem doloris, ac cruciatus; & sic pęna ista mensuraretur ex intensione cognitionis de beatitudine, & doloris, quem ex ejus privatione perciperet; non verò ex perfectione intensiva ipsius beatitudinis, vel objecti; quæ perfectio non se habet nisi objectivè, & extrinsecè ad illam pęnam.

Resp. 2. Argumentum nimis probare. Nam probaret etiam ex levissimo veniali pęnam posse esse infinitam intensivè, v. g. Si cui promitteretur unio hypostatica Verbi, modò abstineret à levissimo veniali; nam per illud veniale privaretur hoc beneficio, quod est infinitum.

Inst. ex ipso Scoto. Unum mortale est gravius malum, quàm annihilatio; unde potiùs esset ferenda annihilatio, quàm unum mortale; & per istud peccator meretur annihilari; sed annihilatio est pœna infinita intensivè; ergo, &c.

Resp. neg. min. Non enim majus malum intrinsecè est annihilatio, quàm magnum bonum sit existentia hominis; hæc autem non est bonum intrinsecè infinitum in nullo ente creato; imò inferni pœna est major ipsa annihilatione; ergo hæc non est infinita, sicut nec illa. Prob. ant. ex dicto Christi de Juda, *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

Objic. 4. Pęna intensivè infinita durans per horam non est major, quàm pęna finita, verbi gratia, ut

duo

duo durans per æternitatem; sed peccatum mortale meretur pęnam æternam; ergo pęna peccati mortalis est infinita simpliciter. Prob. maj. Nam pœna illa unius horæ, licèt infinita, esset eligibilior, quàm pœna æterna, ut duo; ergo ista est major, & potiùs infinita, quàm illa.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Nam pœna illa æterna per totam æternitatem non erit nisi pœna ut duo; horaria autem illa est intrinsecè infinita in se, licèt limitata quoad durationem. Quòd autem ista esset optabilior, venit ex electione libera hominis, qui sicut posset eligere febrem vehementissimam unius horæ, vel diei potiùs, quàm levissimam unius anni, ita & in casu allato.

QUÆSTIO II.

An peccatum veniale conjunctum cum mortali puniatur in inferno pœna æterna.

Suppositis iis, quæ modò diximus de reatu peccati mortalis, quòd sit pœnæ æternæ, & venialis, quòd sit pœnæ temporalis, restat non levis difficultas, an saltem quando quis moritur habens veniale cum mortali, pœna, quam meretur pro veniali, & quæ huic peccato respondet, futura sit infinita: An verò sit finienda expleta duratione, qua duraret, si cum solo veniali decessisset, & sola illa duratura sit per æternitatem, quæ correspondet peccato mortali? Nam suppono, pœnas temporales deberi 1. pro peccatis mortalibus, & venialibus etiam remissis quoad culpam, ut dicetur suo loco. Et 2. quòd peccatis venialibus per se non debentur, nisi pœnæ temporales, ut diximus. Rursus pœnæ, quæ restant solvendæ post mortem, vel sunt illæ, quæ debebantur pro venialibus, & mortalibus remissis, & quæ non fuerunt solutæ à viventibus, vel quæ debentur absolutè pro venialibus non remissis in hac vita. Priores illas putant aliqui finiri in inferno, cùm quis moritur in peccato mortali, antequam eas solverit, non autem illas, quæ debentur ab iisdem pro peccatis venialibus non remissis ante mortem quoad cul-

culpam, sed illas in æternum duraturas cum pœnis peccati mortalis, cum quo moritur. Alii volunt, omnes pœnas in inferno esse perpetuas.

CONCLUSIO.

EST negativa, sc. *Pena peccati venialis etiam in inferno est temporalis*. Ita Scotistæ cum aliis contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd peccato veniali, sivè hìc puniendo, sivè in inferno, sivè alibi, non debetur nisi pena temporalis nec per se, nec per accidens... nec est inconveniens, pœnam debitam veniali habere terminum in inferno*, &c. Et similiter docet de pœnis, quæ remanent solvendæ pro mortalibus in alia vita, post remissam culpam ipsorum mortalium præteritorum, & idem docet alibi.

Prob. 2. Pœnæ illæ omnes sunt temporales per se; ergo non possunt fieri æternæ. Ant. supponitur ex omnium consensu. Nam pro veniali absolutè, & per se non debentur nisi temporales, nec etiam pro mortali remisso quoad culpam. Prob. conf. Nam si fierent æternæ, hoc esset per accidens, sc. propter conjunctionem actualem cum reatu peccati mortalis; sed hæc conjunctio id non debet causare; ergo &c. Prob. min. quia Deus non punit ultra condignum; sed ex illa conjunctione peccati venialis, nec culparum remissarum reatus non mutatur quoad dignitatem majoris pœnæ, ergo &c. Prob. min. homo ille ante mortem potuisset satisfacere pro illis pœnis temporalibus per opera temporalia, quia non erat reus, nisi pœnarum temporalium, etiam post commissum mortale; ergo per adventum, & conjunctionem peccati mortalis non mutatus est ille reatus quoad hæc; ergo quoad hæc non potest puniri pœnis æternis; alioqui punirentur illa peccata ultra condignum, quia punirentur ultra pœnas taxatas ab ipso Deo; quod repugnat ejus clementiæ, & justitiæ. Prob. 1. conf. Nam ex adventu novi peccati mortalis non crescit malitia, nec revivscit reatus aliorum præteritorum; aut remissorum tam venialium, quàm mortalium durante vita; ergo multò

[1] 4. d. 21. q. D. n. 6. d. 15. c. 9.

multò minùs post mortem; quia tunc non est capax meriti, vel demeriti.

Dices 1. ob id maximè pœnas illas non finiri post mortem, quia in eo statu non sunt satisfactoriæ, quia non sunt voluntariæ.

Contra. Eædem pœnæ in Purgatorio sunt temporales, & satisfactoriæ per satispassionem: ergo & in damnatis.

Dices 2. quòd sunt ita satisfactoriæ propter statum gratiæ sanctificantis, quæ dat illis pœnis vim expiativam.

Contra. Nam pœnæ illæ tam sunt non voluntariæ, & non meritoriæ in statu purgatorii, quàm in statu damnationis; ergo status gratiæ quoad hoc nihil facit, & sicut non impedit, quin isti debeant satispati *usque ad novissimum quadrantem*, ita nec quin illi possint satispati quoad illa debita.

Dices 3. quòd damnatus perseverat habitualiter saltem in peccatis omnibus, cum quibus moritur, propter odium Dei inclusum in peccato mortali, ideòque debet pro omnibus æternùm puniri.

Contra 1. quia sequeretur, peccatum veniale per mortem in tali casu aggravari, saltem extensivè, & in hoc esset deterioris conditionis, quàm mortale, sed cons. est absurdum, & falsum; ergo &c. Prob. maj. nam graviùs puniretur.

Contra 2. Nam peccata damnatorum remissa non reviviscunt ad pœnam, licèt ex odio Dei in eis omnibus sibi fortè complaceant; ergo licèt sibi complaceant habitualiter in istis, quæ non remissa sunt quoad pœnam, non sequitur, quòd crescat reatus pœnæ, nec ipsa pęna.

Prob. 3. specialiter de veniali non remisso quoad culpam. Nam si istud deberet puniri in inferno pœna æterna sibi correspondente, ideò id esset, quia culpa perseveraret habitualiter, & moraliter per æternitatem; sed hæc ratio nulla est; ergo &c. maj. patet; nam qui moritur in peccato veniali, & mortali non remissis, moritur cum ea voluntate saltem habitualiter, & moraliter, cum qua peccavit, & sic ista perseverat. Prob. min. tum quia eadem esset ratio de illo, qui moritur cum venialibus solis, & non retractatis per ullum actum pœnitentiæ; sc. nunquam

quam finiretur culpa, nec reatus pœnæ, & tamen nullus dicet, illum puniri pęna æterna. 2. quia in eo, qui moritur cum solo reatu pęnæ, illa voluntas non durat, & tamen multi ex adversariis volunt pęnas, & reatum pęnæ illius durare cum aliis pęnis æternis debitis pro peccatis mortalibus finalibus; ergo duratio illa prætensa voluntatis, & peccati non causat æternitatem pęnæ pro veniali. 3. quia falsum est, reatum culpæ in venialibus durare post solutas pęnas temporales illi taxatas.

Confir. hoc, quia qui moreretur in statu peccati originalis cum solis peccatis venialibus, puniretur pęna æterna sensus pro istis, & pęna damni pro illo, nam venialia tam habitualiter durarent in eo per æternitatem, quàm si moreretur cum mortalibus; sed conf. est falsum; ergo & ratio illa de perseverantia voluntatis, seu culpæ venialis, ob quam pęna ejus deberet esse æterna.

Objic. 1. In inferno nulla est redemptio, nec consolatio: sed hoc esset falsum, si ibi aliquando aliqua pars pęnæ remitteretur aut finiret; ergo nulla pęna semel inflicta remittitur, sive sit pro peccato veniali, sive pro aliis remissis in vita quoad culpam. Maj. est receptissima tum ex Scriptura, tum ex Patribus, & Theologis. Min. prob. Nam damnati illi sentirent aliquod levamen, & diminutionem in pęnis suis; ergo &c.

Resp. dist. maj. Nulla est redemptio quoad plenam liberationem ex illis miseriis, nec quoad gratiam, seu remissionem liberalem pœnarum, quæ ibi solvendæ sunt: con. quoad diminutionem pœnarum aliquot post rigorosam satispassionem, neg. maj. & rationem ejus: nec enim id unquam voluerunt Scripturæ, aut Patres in bona Theologia: nulla ergo est speranda redemptio pro damnatis quoad pęnam damni, nec quoad pęnas sensus correspondentes peccatis mortalibus finalibus, nec gratiosa remissio in pęnis debitis pro aliis peccatis, pro quibus ante mortem non satisfecerunt; nam pro his solvent totum debitum usque ad novissimum quadrantem; reddent universum debitum; nec etiam sentient ullum levamen ex fine illarum pęnarum, propter vehementiam aliarum, quæ respondent peccato mortali fina-

li, & maximè pęnæ damni, quæ est essentialior, & major cæteris sine compaiatione, sicut gutta mellis non leniret amaritudinem maris.

Inst. Damnati sunt extra statum gratiæ, & meriti; ergo non possunt solvere debita sua, nequidem per satispassionem: nam est quoddam satisfactionis genus; ergo pęnæ omnes ibi erunt æternæ.

Resp. neg. conf. & rationem ejus, maximè de satisfactione, seu satispassione ordinativa culpæ: nam satispassio non habet ullam rationem meriti, non est reconciliativa; nec requiritur gratia ulla, vel acceptatio creditoris, quam possit rejicere, saltem ex justitia, sicut est de satisfactione in statu viæ, quæ est per modum meriti, & ideò semper intervenit gratia aliqua Dei ex meritis Christi, & acceptatio gratuita.

Inst. 2. Si spes esset in damnatis de diminutione pęnarum, possemus orare pro illis, & offerre sacrificia, & opera satisfactoria, ut fit pro animabus purgantibus; sed hoc falsum est; ergo &c.

Resp. neg. maj. & disparitas est de animabus purgantibus, quòd istæ sunt in communione Sanctorum, & capaces participationis suffragiorum Ecclesiæ militantis, sicut & gratiarum triumphantis, non autem damnati.

Objic. 2. Ut pęna sit satisfactoria, debet esse aliquo modo voluntariè oblata, aut tolerata, sed tales non sunt pęnæ ullæ inferni; ergo nullo modo, & nunquam sunt satisfactoriæ, sed semper durare debent. Prob. min. Nam potiùs eas patiuntur cum odio Dei, blasphemantes eum, & impatientissimè.

Resp. neg. maj. Nam ex justitia debemus acceptare summam debitam, & taxatam etiam ab inimicis; ita est de pęnis in satispassione, etiamsi invitè, & coactè persolvant.

Objic. 3. Reatus pęnæ non cessat, dum durat reatus culpæ, sed iste in damnato durat in æternum; ergo & reatus pęnæ, & pęna ipsa. Maj. patet ex Patribus, & Theologis, qui dicunt, ideò pęnam peccati mortalis esse æternam, quia culpa ejus durat in æternum. Prob. min. quia damnatus permanet in sua malitia obstinatus, sicut in momento mortis; nam *ubi ceciderit lignum, ibi erit*: seu, Peccatum morta-

non remittitur in inferno; ergo nec veniale.

Resp.neg. maj. Nam ubi semel pęna tota, quæ est taxata ex justitia pro aliquo peccato, soluta est, cessat debitum illud pęnæ; nam qui totum debitum exolvit, nihil debet. Pęna autem taxata pro venialibus est temporalis secundum existentiam eorum physicam, non secundum moralem, sive culpa duret moraliter, sive non, nulla ampliùs debetur pęna, postquam integrè soluta est pęna temporalis, & maximè in inferno, ubi retractatio, vel perseverantia non valet ad meritum, nec demeritum, sicut fur postquam semel flagellatus est, nec tamen penitet criminis, non iterum flagellatur ob perseverantiam moralem, seu ob defectum pęnitentiæ de furto commisso. Uno verbo, hi reatus sunt separabiles: nam in purgatorio est reatus pęnæ sine reatu culpæ, quæ remissa est per contritionem, vel sacramentum, & in inferno est culpa sine pęna, & in paradiso bonum opus sine præmio; nam blasphemiæ, & odia damnatorum Deus non punit, sicut nec præmiat bona opera beatorum.

Imo notat P. Hiqueus, aliquos Theologos putasse dari in inferno aliquam pęnæ relaxationem. Nam Chrysostomus [1] videtur docere, suffragia vivorum prodesse damnatis quoad levamen aliquod ad tempus in pęnis, & Damascenus dicere videtur, Trajani animam liberatam precibus D. Gregorii, quod videtur tolerare Augustinus, & Prudentius. Alii, ut Præpositivus, putant post aliquot tempus pęnas suspendi usque ad resurrectionem. Gilbertus Pictaviensis docet, [2] aliquid de pęnis remitti per suffragia vivorum. Altisiodorensis putat, saltem per illa damnatos juvari ad confortationem in tolerantia. Alii putant, mitiùs eos puniri diebus Dominicis, sed hæc falsa sunt in doctrina Ecclesiæ.

[1] *Hom.33.Matth.S.de cura min.*
[2] *Enchir.110.*

QUÆSTIO III.

An reatus culpæ sit separabilis à reatu pęnæ, seu, an possit remitti culpa remanente debito pęnæ.

Hanc separabilitatem supposuimus in quæstione præcedenti, nunc ad pleniorem hujus materiæ intelligentiam speciatim examinanda est, licèt remitti posset ad tr. de Pęnitentia, aut de Purgatorio.

CONCLUSIO.

Non semper remittitur reatus pęnæ, saltem totius, cum reatu culpæ. Est communis inter Catholicos, & de fide contra Hæreticos Lutheranos, & Calvinistas, qui docent, post remissionem culpæ nihil remanere luendum à peccatore, quia tota pęna remittitur ex merito passionis Christi.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] Nam ibi apertè docet, *pęnam debitam veniali habere terminum in inferno*, sc. esse temporalem, & quòd *ex quo in remissione priori peccatorum* (mortalium) *commutabatur debitum pœnæ æternæ in debitum pœnæ temporalis, nunquam iste est debitor pro illis, nisi pęnæ temporalis*. Hoc idem docet, aut supponit semper.

Prob. 2. ex Concil. Flor. [2] in litt. unionis, ubi dicitur: *Si vere pęnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignos pęnitentiæ fructus de commissis fecerint, & omissis, eorum animas pęnis purgatorii post mortem purgari*, &c. Idem definitur in Trident. [3] *Si quis dixerit, totam pęnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pęnitentium non esse aliam, quàm fidem, qua apprehenditur Christum pro nobis satisfecisse* (ut docent prædicti hæretici) *anath. sit*. Et infra: [4] *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet pęnitenti ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pęnæ temporalis exolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro .... Anath. sit*. Id etiam definierat Concil. Provinciale Senonense in decretis fidei. Et idem colligi-

[1] *4.d.15.q.1.D.n.9.* [2] *ss.ult.*
[3] *ss.ult.* [4] *ss.6.can.14.*

ligitur ex aliis Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, ut Lateran. IV. sub Innoc. III. ut patet ex cap. *omnis utriusque sexus*, & ex Alexandrino III. & Clem. IV. c. *In primis*, de Pęnit. &c.

Prob. 3. ex Script. qua constat, Deum post dimissam culpam imposuisse peccatoribus pęnas temporales, ut notant P.P. [1] Concil. Trid. Nam Adæ [2] condonavit pęnam æternam pro inobedientia debitam; sed temporalem reservat dicens, *In sudore vultus tui vesceris pane....* & mulieri, *In dolore paries filios*, &c. Item Christus D. monet, *Facite fructus dignos pænitentiæ*. Isti autem fructus inutiles essent, aut saltem non necessarii, si remissa culpa, nulla pęna superesset luenda, non essent fructus pęnitentiæ, sed virtutum ad meritum, non ad satisfactionem, nec ad pęnitentiam pertinentes.

Prob. denique, quia non esset purgatorium, nec necessaria suffragia Ecclesiæ pro defunctis, & indulgentiæ, sed anima statim post mortem evolaret in Cęlum, quæ alibi ostendentur contraria doctrinæ fidei.

Objic. 1. ex Script [3] *Sine pænitentia sunt dona Dei*; ergo donum gratiæ justificantis, & remissionis nihil relinquit pœnæ subeundæ.

Resp. dist. ant. Sine pęnitentia, & mutatione consilii ex parte Dei condonantis culpam, & pro infantibus in baptismo, con. sine pęnitentia ex parte peccantis adulti agenda, ut satisfaciat, neg. ant. Nam adultis etiam baptizatis dicitur, *Pęnitentiam agite*, & *convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Sensus igitur Pauli est, Deum condonare sine pęnitentia, id est misericorditer, & liberrimè: de qua misericordia non pęnitet.

Objic. 2. Antiquiores Patres primitivæ Ecclesiæ non agnoscunt talem pęnam, nec Ecclesia etiam modò potest scire, quanta illa sit; ergo gratis asseritur.

Resp. neg. ant. quoad 1. p. & conf. quoad 2. Nam patet ex tota traditione, imò & ex Scriptura pęnitentiæ, & satisfactionis necessitas, etiam post remissionem peccatorum, quoad culpam. Vide d. 3. de pęnitentia in jure Canonico. Et certè licèt quantitas non sciatur, nisi à solo Deo, non sequitur, quin ab ipso exigatur.

[1] *ss*. 14. c. 8. [2] *Gen*. 3. [3] *Rom*. 11.

Objicies 3. Satisfactio Christi oblata pro peccatis omnium fuit sufficiens, imò & superabundans; ergo non potest asseri necessitas satisfactionis nostræ *sine injuria Redemptoris*. Nam, inquit Lutherus, *Qui hoc dicit, Christum negat, Euangelium blasphemat, Deum de mendacio arguit, remissionem peccatorum negat, & illa fides est Turcarum*, &c.

Resp. neg. conf. Nam licèt Christus superabundanter satisfecerit, ejus tamen merita sunt nobis applicanda per opera nostra; [1] *Per passionem consummatus factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi*, ait Paulus: & Christus ipse præcipit doceri baptizatos *servare omnia, quæ mandavit*, &c, ut idem Apostolus dicit alibi, *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Et, *Si compatimur, conglorificabimur*: & denique Ecclesia interpres fidelis Christi sponsi, & domini sic interpretatur voluntatem ejus; ergo ad plenam remissionem peccatorum requiruntur satisfactiones, & opera, per quæ nobis applicentur merita Christi satisfactoria.

Objic. 4. Pœna illa temporalis vel debetur præter æternam, vel cum æterna; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. min. non præter æternam, alioqui idem peccatum bis puniretur, & duplici pœna. 2. non simul cum æterna; alioqui una remissa remitteretur æterna; nam qui remittit majus, condonat & minus.

Resp. neg. maj. Nam temporalis debetur loco æternæ, quæ per condonationem remittitur, & commutatur in temporalem, Deo sic statuente, ne misericordia sit sine ulla justitia; hæ siquidem virtutes divinæ *obviaverunt sibi*, &c.

Reliquas hereticorum cavillationes vide apud Controversistas, & apud Eminentiss. Card. nostrum Lauream de Pœnitentia, & de 4. novissimis.

Dixi autem in conclusione, *non semper remitti reatum saltem totius pœnæ*; nam certum est reatum pœnæ sive per contritionem, sive per Sacramentum, & alia opera pietatis magna ex parte remitti.

QUÆ-

[1] *Heb. 5.*

QUÆSTIO IV.

Utrum peccatum unum sit pœna alterius peccati.

CErtum est apud omnes 1. quòd peccatum formaliter ut peccatum, est summè malum peccatori. 2. quòd voluntariè ab eo committitur. 3. quòd non est, nec esse potest à Deo. 4. quòd non potest satisfieri per illud Deo pro ullo peccato; & sic non est pœna satisfactoria. Hæc autem videntur repugnare pœnæ propriè dictæ. Nam hæc debet esse involuntaria reo, & patienti, & ab alio infligi, aut saltem imponi, & esse aliquo modo satisfactoria, aut saltem exoneratoria, seu liberatoria ex parte rei apud offensum, aut creditorem. Propterea videtur dubitari, an peccatum possit habere rationem pœnæ in peccatore tum respectu sui, tum respectu alterius peccati præcedentis.

Suppono autem, peccatum respicere peccatorem ut agentem, & ut patientem, quia est quid immanenter causatum, seu productum; nam ab homine fit, & in homine recipitur, ipsique inhæret. Sic peccator se habet ad peccatum activè, prout illud facit, passivè autem, prout illud recipit.

Distinguendum etiam inter *materiale*, quod est actus realis, ut in peccato commissionis, vel interpretativus, & negativus, ut in peccato omissionis, & *formale*, quod est privatio rectitudinis debitæ. Porrò ex hac privatione peccator denigratur, gravatur, spoliatur gratiis, donisque gratuitis & contrahit reatum pœnæ æternæ, aut temporalis, & per illos actus positivos, vel omissiones contrahit habitus vitiosos inclinantes ad similes actus, vel ad similes omissiones, saltem quatenùs minùs inclinatur ad actus debitos.

His suppositis, quærimus hìc 1. an ipsum peccatum in peccatore habeat aliquam rationem pœnæ? 2. An saltem unum peccatum posterius dici possit aliquo sensu effectus, & pœna prioris?

CONCLUSIO.

Peccatum ipsum est aliquo modo pœna peccantis, imò & pęna alterius peccati præcedentis, saltem aliquando.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd omne peccatum est pœna, & unum peccatum potest esse pęna alterius,* &c. ecce utramque partem conclusionis, quam probat, & explicat satis fusè P. Macedo [2] juxta mentem Doctoris, & S. Thomæ, quos hic concordantes putat.

Prob. 1. quoad 1. p. ex Script. quæ sæpiùs docet peccatum esse pœnam peccantis; ut cùm dicit Sapiens, [3] *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Et de peccatore intelligi potest illud, [4] *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Labor igitur,* inquit August. *est semen iniquitatis, peccatum autem est conceptio laboris.* Rursus idem Propheta de peccatore dicit: *Captio, quam abscondit, apprehendit eum, & in laqueum cadat in idipsum;* & plus torquebatur à suis peccatis, quam ex parte Dei irati. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum:* Et Isaias, [5] *Allisisti nos in manu iniquitatum nostrarum.* Quod ex aliis innumeris Scripturæ locis colligitur, sc. peccatum ipsum maximam esse pœnam.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit August. [6] *Jussisti domine, & sic est, ut omnis inordinatus animus pęna sit sibi.* Item, *Neque id momentum est dedecus culpæ sine dedecore justitiæ,* sc. ipso momento, & actu, quo admittitur culpa, tenetur pœna justitiæ, seu maculæ. Item. [7] *Ad iram Dei pertinet justam, quidquid cæca, & indomita concupiscentia faciunt libenter mali, & quidquid manifestis, apertisque pœnis patiuntur inviti.* Item., [8] *Sic esse putate malitiam, sicut ignem, accendere vis aliud aliquid; ergo illud, quod admoves, prius ardet; & nisi ardeat, non accendit.* Et

[1] 1.*d.*37.*q.*2.*CC.n.*22. [2] *coll.*9.*differt.*14.*S.*9.
[3] *Prov.*5. [4] *Ps.*34.& 37.
[5] *Isa.*67. [6] 1.*Confes.*12.
[7] 3.*lib. arb.* [8] *Enchir.Ps.*37.

Et Chrysost. [1] *Magnum est supplicium peccare*. Et D. Bernardus loquens de Adamo. *Conscientia erat illi carcer*, &c.

Prob. 4. ex ipsis Philosophis. Nam inquit Cicero. [2] *Præter culpam, & peccatum homini nihil accidere potest, quod sit horribile, aut pertimescendum*. Item: *Semper hac opinione tractus fui, ut eum, qui nihil commiserit, sibi nullam pęnam timere existimarem*. Et Seneca. [3] *Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quàm te ipsum; alium enim potes effugere, te nunquam; nequitia autem ipsa est sui pęna*. Item, *Summa peccati pęna est peccasse: honestarum enim rerum pretium in ipsis est*. Sic vilitas, & malitia est in ipso peccato. Certe ex ipsa peccati conscientia manant curæ, angores, dolores, timores, & animi cruciatus, qui peccatorem quiescere non sinunt. *Heu* (inquit Lucanus) *quantùm misero pęnæ mens conscia donat*; & de se ipso canit Ovidius: *Facto torqueor ipse meo, estque pati pœnam, quam meruisse, minus*. Et Plautus: *Nihil est miserius, quàm hominis animus conscius*. Quod Scriptura docet de Cain dicente, *Omnis, qui invenerit me, occidet me*: hoc illi suggerebat fratricidium suum.

Confir. ex D. Thoma. *Cùm peccatum sit actus inordinatus, homo, qui peccat, contra ordinem agit, & ideo deprimitur ab eo ordine; quæ quidem depressio pęna est*. Secundum tres ordines potest homo puniri. 1. quidem subditur humana natura ordini proprię rationis. 2. ordini exterioris hominis gubernantis...... 3. subditur universali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille, qui peccat, àgit contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem divinam. Unde triplicem pœnam incurrit, unam quidem à seipso, quæ est conscientiæ remorsus, &c. ergo peccatum ipsum est pęna.

Prob. denique ratione. Privatio rectitudinis, & honestatis, dedecus, & labes sunt sine dubio graves pęnæ, & mala gravia naturæ rationali, & quidem involuntariè; sed omne peccatum est formaliter privatio illa, & dedecus, & labes, & macula, & inhonestas,

[1] *Hom.* 6. [2] 5. *Ep.*
[3] *De mor.*

stas, & malum; ergo & pœna gravissima, non quidem activè, prout actus committitur; sed passivè, prout in anima recipitur, & immanent illæ maculæ, ac sordes.

Confir. Nam sicut virtutis actus per se ipsum animam ornat, & condecorat, ita & actus vitii eam deturpat; ergo sicut virtus est corona, & merces virtuoso, ita peccatum est pœna peccatori.

Confir. 2. Nam si culpa formaliter, & per se non esset pęna, & mala, posset amari per se, & formaliter, ut culpa; sed cons. est absurdum, & falsum: nam patet de vera pœnitentia, quòd nihil magis odit, quàm culpam ipsam juxta illud; *Peccatum meum contra me est semper*; ergo nihil est magis malum, & pęna in peccato, quàm ipsa formaliter culpa.

Confir. 3. Nam ex omnium consensu peccatum formaliter est summum malum, & causa, & fons omnis pœnæ; ergo in se est etiam pœna tam formaliter, quàm virtualiter. Prob. cons. non enim esset summum malum, nisi in se contineret malitiam pœnæ; nec causaret pęnam, nisi eam virtualiter contineret.

Prob. 2. p. ex Script. & Augustino, qui hoc probat ex Scriptura his verbis: *Nonnulla esse peccata, quæ pęnæ sunt peccatorum, verissimum est. Ita Paulus: Propter hoc tradidit illos in passiones ignominiæ, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit. Vides causam, propter quam traditi sunt*: [1] *dixit quippe, quid mali antea fecissent, & adjunxit, propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum*, &c. & postquam numeravit plura peccata, quæ ex aliis nascuntur, concludit: *Ita & peccata sunt ista, & pęnæ præcedentium peccatorum.... fit peccatum consequens pœna peccati*. Hùc facit illud Psalmi. [2] *Et appone iniquitatem super iniquitatem*, &c. & illud: [3] *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Et S. Gregor. [4] *Peccatum, quod per pęnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum, & pœna peccati, aut peccatum simul & causa, & pęna peccati*. Quid clarius? & S. Thom. [5] *Aliqui puniuntur à Deo, dum permittit eos in aliqua peccata profluere*. Idem docet S. Bonaventura pluribi.

Prob.

[1] 3. *con. Julia*. 2. [1] *Ps*. 68.
[3] *Apoc*. 22. [4] *Hom*. 11. [5] *Ezech*.

Prob. 2. quia per peccatum unum demeretur homo deseri à Deo per gratiæ, & donorum subtractionem, per quæ faciliùs vitaret sequentia peccata; & præterea debilitatur habitus virtutis; fit ratio obscurior; voluntas ad malum pronior per habitus vitiosos ex actibus malis contractos; ergo sic unum peccatum potest esse alterius pœna. Ant. patet ex Augustino citato: *Fit peccatum consequens pena peccati* (præcedentis) unde *fit homo reus, cedit, consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur, nascitur inde* (ecce pœnas ulteriores) *perversitas cordis, cecitas mentis, qua cor superbum digna animadversione punitur.*

Scotus propiùs stat ab Augustino dicens, quòd penæ privativæ, qualis est subtractio gratiæ, [1] *non sunt à Deo efficiente, quia non sunt effectibilia, nec deficiente primo, sed tantùm propter demeritum voluntatis in actu peccati, non coagendo voluntati nunc ad illud bonum habendum, ad quod operatus fuisset, quantum est ex se. Talis ergo pœna est à Deo non infligente, nec vel efficiente, vel deficiente primò, sed deserente, id est naturam, quæ deficit, relinquente in suo defectu, & in omnibus defectibus consequentibus ad illum defectum: ubi includuntur multæ carentiæ perfectionum convenientium tali naturæ. Sic ergo pœna, quæ est peccatum, non est à Deo efficiente, vel deficiente primò, sed tantùm est à Deo deserente voluntatem ratione primi, quæ deserta à Deo cadit in 2. demeritum.* Illa ergo derelictio est pena primi peccati, & causa secundi. Quomodo autem fit à Deo, & concordet cum libertate creata, ut 2. peccatum sit ei liberum. dicam Deo dante in tr. de gratia actuali. Vide dicta in tr. 1. de induratione.

Interim moneo, Scotum nunquam intendisse, quòd Deus retrahat à peccatore omnem penitus gratiam, & auxilium, quo possit vitare peccatum absolutè; nam semper adsunt gratiæ sufficientes; sed tantum retrahit auxilia efficaciora, quibus facilius homo resurgeret ex primis peccatis, & vitaret posteriora. Hæc tamen Deus ex se paratus esset conferre, nisi obstarent peccata.

Objicies 1. contra utramque partem. Omnis pœna debet esse justa, & à Deo; sed hoc non convenit pec-

[1] *ibid. D D.n.24.*

peccato ratione sui, vel alterius peccati; ergo peccatum non potest esse pęna in se, vel in alio. Prob. min. peccatum enim neque est justum, neque est à Deo.

Respondeo dist. maj. est à Deo positivè, aut permissivè, con. positivè, & semper, neg. maj. est enim falsa, ut patet ex Scriptura, & Patribus citatis. Nam Deus permittit peccatum, quod est sui pęna, ut diximus.

Objicies 2. Culpa est malum voluntarium, & pœna est malum involuntarium; ergo culpa non potest esse pœna; alioqui idem esset, & non esset voluntarium.

Respondeo dist. ant. est malum voluntarium activè, seu elicitivè, con. passivè, neg. ant. & conseq. Nam, ut dictum est, culpa est libera elicitivè, & sub hoc respectu non habet rationem pœnæ, sed prout recipitur passivè in ipsa anima peccante.

Inst. Quod sequitur naturaliter, & physicè ex actu voluntario non habet rationem pœnæ; sed illa receptio deordinationis sequitur naturaliter, & physicè ex actu inordinato; ergo illa non est pœna. min. patet. nam passio, & actio naturaliter connectuntur, & sunt correlativa. Prob. maj. Nam quod sequitur naturaliter actionem voluntariam, est etiam voluntarium, quod repugnat pœnæ.

Resp. neg. maj. & prob. ejus. Nam illa connexio naturalis inter tales actiones, & passiones non impedit, quin illæ sint voluntariæ, & istæ involuntariæ; sicut qui se ipsum feriret, ut feriret inimicum, adhuc cum dolore, & nolens sentiret vulnus suum: sic qui peccat, ferit, & vulnerat animam suam activè, sed ægrè, & involuntariè patitur vulnus suum, & deordinationem peccati.

Inst. 2. Si passio illa deordinationis, & vulneris esset pœnalis, causaret dolorem, & tristitiam; sed hoc dici non potest; ergo nec quòd sit pœnalis. Prob. min. Nam ille dolor esset pœnitentia, quæ destrueret ipsum peccatum; ergo, &c.

Respondeo neg. min. & ant. prob. Non enim omnis dolor, vel pœna est dolor, vel pœna pœnitentiæ virtutis, & salutiferæ, ut patet ex mille exemplis. Judas ex dolore, & horrore peccati sui *laqueo se suspendit*, ille dolor fuit vehementissimus, nec tamen

men salutaris, sed novum peccatum.

Objicies 3. Illa passio deordinationis est peccatum ipsum formale, vel effectus peccati formaliter; sed neutro modo dici potest pęna peccati; ergo &c. Prob. min. non peccatum formaliter; nam ejus receptio est permanentia in peccato, quæ permanentia est voluntaria; ergo non est pœna: non 2. nam sic peccatum ipsum formaliter non esset sui pœna, sed pœna esset effectus ejus ab eo realiter distinctus, de quo non est quæstio.

Respondeo neg. min. & ant. prob. quoad 1. p. Nam illa passio deordinationis, seu privationis rectitudinis debitæ est ipsum formaliter peccatum passivè, prout receptum in anima peccantis, sicut est ipsum formaliter peccatum activè, prout liberè volitum, & causatum à peccante: sub hoc 2. respectu non est pœna, sed sub illo priori, sc. ut passivè receptum; quòd autem permaneat, aliud est.

Objicies specialiter con. 2. p. Omnis pœna est ordinativa culpæ, id est pęna ordinat, quod in culpa est deordinatum; sed culpa sequens non ordinat præcedentem, sed potius addit ei novam deordinationem; ergo illa non est pęna istius.

Respondeo dist. min. non ordinat, quatenus est culpa præcisè, con. quatenus est pęna ejus, neg. min. in 2. culpa duo sunt respectus, & duæ rationes 1. ratio culpæ, & secundum hanc non ordinat, sed addit novam deordinationem, & culpam, 2. ratio pœnæ, & sub hac ratione ordinat priorem culpam, & ob id eam permittit Deus.

Inst. Si peccatum 2. esset pęna primi, Deus istud non puniret, nam Deus non punit bis idem peccatum; sed conf. est falsum; ergo, &c.

Respondeo neg. maj. Non enim omnis pœna est satisfactoria, ut patet de illo, qui ex ebrietate dolet, aut qui vulneravit se, ut feriret hostem; sicut nec omnis pęnitentia est meritoria, ut dicebamus.

Objic. 2. Omnis pęna debet esse justa; sed nullum peccatum formaliter est justum; ergo nullum peccatum potest esse pęna alterius. Prob. maj. Nam omne peccatum formaliter est iniquitas, & nemo punit injuriam sibi illatam per novam injuriam ex parte rei;

sed

ſed inde magis offenditur, & augetur jus puniendi, & ulciſcendi.

Reſp.diſt. min. eſt iniquitas activè reſpectu peccantis, aut perſonæ offenſæ, con. paſſivè, & reſpectu ejuſdem peccantis, neg. min. & ant.prob. Nam cùm Deus permittit peccatorem in nova peccata cadere in pœnam præcedentium, hic peccator reatum ſuum auget, privat ſe novis bonis, magis denigrat ſe, & novas ſubit pœnas, ſicut & nova cumulat peccata.

Dixi autem in concluſione, *peccatum eſſe aliquo modo pœnam ſui, & etiam aliquando præcedentium*, 1. quia abſolutè, & per ſe loquendo, & ſumpto nomine pęnæ in rigore id dici non poteſt. Nam in neutro caſu pęna eſt ſatisfactoria, nec abſolutiva, nec directè inflicta à Deo in vindictam culpæ. 2. quia dici etiam non poteſt de omni peccato, quòd ſit pęna præcedentium, ut patet de illis, quæ committuntur poſt pęnitentiam, & remiſſionem præcedentium, vel quæ nullam habent inter ſe connexionem, vel quæ ex pura malitia committuntur, non obſtantibus divinis auxiliis in contrarium inclinantibus, &c.

QUÆSTIO V.

An peccatum lædat naturam.

JAm diximus tract. [1] ſuper. quòd per peccatum Adæ natura humana non evaſit phyſicè deterior, ſed ſolùm moraliter, & privativè, modò id examinamus de peccatis perſonalibus. Imò [2] & de hoc jam aliquid tetigimus ſuprà, ubi de conſtitutivo peccati, ideo reſtant pauca hic addenda.

CONCLUSIO.

N*Atura humana multas ex peccatis perſonalibus contrahit læſiones, non tamen in ſubſtantialibus, & intrinſecis ſuis, ſed in extrinſecis, & accidentalibus*. Eſt de fide quoad 1. p.

Prob.

[1] *Diſp*. 4. *q*. 6. [2] *D*. 1. *q*. 5.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Concedo, quòd peccatum non corrumpit aliquid naturale, quod est intrinsecum naturæ, quia, secundum Dionysium, naturalia in damnatis remanent splendidissima*: fatetur tamen, quòd in aliquibus vulneretur; nam, inquit, *In creatura sunt relationes ad Deum in ratione triplicis causæ, efficientis, exemplaris, & finalis, & hoc in actu primo, & non possunt istæ relationes corrumpi manente natura creaturæ.* (Ecce naturam quoad substantialia, & intrinseca.) *Alio modo potest considerari voluntas in actu secundo, & sic nata est habere modum, speciem, & ordinem in actu 2. & ista tria possunt corrumpi manente voluntate integra in actu* 1. quantùm ad naturalia, &c. Et infra distinguit inter vulnerationem, & mutilationem, & concedit, quòd natura vulneratur quidem per peccatum; sed non mutilatur, quia vulneratio *dicit divisionem continui, & non ablationem alicujus partis, sicut mutilatio. Sic nihil aufertur à natura subjecti, cùm peccat, sed ibi est aliqua inhabilitatio ad bonum opus, & semper major, quanto graviùs, & pluries peccat*; sc. destruuntur boni habitus, & contrahuntur vitiosi; ergo in his accidentalibus læditur voluntas, cui sunt accidentalia, & extrinseca, non verò in intrinsecis.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Script. Nam apud Jeremiam [2] peccator petit sanari à Deo, [3] *Sana me Domine, & sanabor.* Et David, [4] *Sana animam meam, quia peccavi tibi*; ergo per peccatum homo infirmatur. Sic etiam dicebat, *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* [5] Et Christus ipse comparat peccatorem homini à latronibus *spoliato, vulnerato, & semivivo relicto*. [6] Imò & ipsum peccatum est quædam mors animæ, seu mortalis infirmitas. [7] *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et peccatores ægroti dicuntur, qui egent medico. *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* Denique peccatum facit hominem debilem ad bonum; *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, non est qui faciat bonum.* Et Job [8] fatetur, quòd ex peccato *factus est sibimetipsi gravis.*

Prob. 3. ex Concil. [9] Arausic. II. ubi definitur, *hominem*

[1] *Repor. 2. d. 35. 7.* [2] *Jere. 17.* [3] *Ps. 40.* [4] *Ps. 37.* [5] *Luc. 19.* [6] *Matt. 9.* [7] *Ps. 27.* [8] *Ps. 27.* [9] *Can. 1. SS. 6. c. 1.*

nem per peccatum secundum corpus, & animam in deterius commutatum. Et ex Trid. dicitur, *Liberum arbitrium per peccatum mansisse viribus attenuatum*.

Confir. ex communi Patrum, & Theologorum sensu, qui omnes agnoscunt peccatum, ut causam primam omnium laborum, ærumnarum, & infirmitatum, & mortalitatis nostræ. *Quoniam per peccatum mors*.

Prob.4. ratione, quia, ut dicebamus ex Scoto, homo factus est à Deo rationalis cum naturali propensione ad bonum honestum, sed per omne peccatum deviat ab illo bono, *deviat à modo, specie, & ordine*; ergo in hoc læditur, & infirmatur quoad actum secundum.

Prob. 2. p. ex Scoto cit. adducente testimonium S. Dionysii de dæmonibus, qui per peccatum, & nequidem in inferno, naturalem ingenii splendorem amiserunt; sed homines minùs peccant; ergo &c.

Prob. 2. tum 1. quia perfectiones naturales, & intrinsecæ humanitatis sunt ejus proprietates inseparabiles; tum 2. quia si per unum peccatum corrumperetur, aut minueretur natura humana, posset tandem aliquando penitùs destrui, & annihilari, sed conf. est falsum, & absurdum; ergo &c. Prob. maj. ex Scoto. Natura humana, & omne ens creatum est quid finitum; ergo per ablationes sæpiùs iteratas perfectionum intrinsecarum, & substantialium, tandem exhauriretur, & totaliter destrueretur; tum 3. quia natura humana secundum animam est incorruptibilis substantialiter, nec ab ulla creatura potest corrumpi, aut alterari substantialiter; ergo peccans non potest per actum suum aliquid de sua natura destruere.

Prob. 3. p. ex dictis de peccato originali. Nam certum est 1. per peccatum mortale amitti demeritoriè gratiam sanctificantem, & minui auxiliantem, & contrahi habitus vitiosos, qui magis resistunt gratiis actualibus, & dictamini rationis, & destrui habitus vitiosos, quibus inclinamur, & juvamur ad bonum; sed hæc sunt extrinseca, & accidentalia naturæ; ergo in accidentalibus, & extrinsecis læditur per peccata Personalia.

Confir.

Confir.ex Script.cit. de homine per latrones ſpoliato,&c.vulnerato. Nam SS. Patres hanc Parabolam explicant de homine peccatore,qui per peccata ſpoliatur bonis gratiæ, imò & donis pluribus naturaliter acquiſitis, & læditur in facultatibus animæ, quatenus illæ fiunt debiliores tùm ad reſiſtendum tentationibus, ac motibus concupiſcentiæ,tùm ad operanda bona,ad quæ excitatur per gratiam, aut quæ dictat ratio.

Denique conveniunt Patres, & Theologi, quòd peccatum obſcurat intellectum, depravat voluntatem, inflammat concupiſcentiam, &c. ſivè privativè, ut dicebamus, auferendo gratias, & dona ſupernaturalia, ſive demeritoriè, & deſtruendo habitus acquiſitos, depravando humores corporis, quibus moderantur, vel inflammantur paſſiones, per quas offuſcatur, aut turbatur ratio, & infirmatur voluntas.

Objic. 1. Ille homo, in quo Chriſtus repræſentat peccatorem, verè jacet vulneratus in naturalibus,non autem purè ſpoliatus; ergo homo per peccatum non tantùm vulneratur privativè per amiſſionem donorum, ſed etiam vulneratur poſitivè in natura ſua.

Reſp. neg. conſ. abſolutè, vel diſt. ant. vulneratur poſitivè per pravos habitus, quibus debilitatur, & retardatur à bono, & minuitur inclinatio ad virtutem, con.per læſionem intrinſecam quoad ſubſtantiam facultatum intellectus, & voluntatis, neg.ant. Nam in hac Parabola nihil aliud ſignificatur, quàm privatio gratiæ,& donorum,& læſio, ſeu depravatio per habitus vitioſos, quibus retardatur à bono, & inclinatur ad malum.

Objic. 2. ex Concil. cit. liberum arbitrium dicitur *attenuatum*, & homo *ſecundum corpus, & animam in deterius commutatus*; ſed hæc non poſſunt ſalvari de ſola læſione quoad accidentalia, & extrinſeca; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam illa Concilia docent apertè, liberum arbitrium minimè *extinctum eſſe, licèt viribus attenuatum, & inclinatum*, quod fit per privationem gratiæ, & donorum, & maximè juſtitiæ originalis, qua retinebantur appetitus, & reparabatur voluntas.

Plura videbimus, ubi de gratiæ neceſſitate: vide etiam dicta de Peccato originali,& de actibus humanis.

DIS-

DISPUTATIO VI.

De peccatis, seu vitiis capitalibus.

PECCATA *capitalia* dicuntur ea, in quæ, velut capita præcipua, reducuntur alia omnia sive mortalia, sive levia, seu venilia, & de his pauca pro coronide hujus tractatus adnectenda sunt.

QUÆSTIO I.

An, quid, & quot sint peccata, quæ dicuntur Capitalia.

NOmine peccatorum capitalium dicuntur ea, quæ sunt principalia, ad quæ reducuntur alia, vel ex quibus, velut ex fontibus, oriuntur alia, S. Gregorius ea vocat capitalia, quatenus ex eis fluunt cætera, & illa comparat ducibus, ista verò exercitibus, qui ducem sequuntur. Quidam dicunt ea *capitalia*, [1] quasi mortalia, sicut crimen dicitur capitale, cui annexa est pęna capitis, seu mortis, sed immeritò; nec enim omnia de se sunt mortalia; sed in singulis potest peccari venialiter, ut videbimus. Sic ergo vocantur, quia sunt velut capita, ex quibus alia descendunt.

Porrò eorum existentiam supponunt omnes Theologi scholastici, & morales, certum enim est, quòd aliqua sunt vitia, ex quibus alia plura fluunt, & dependent, sicut membra corporis dependent in actibus suis à capite, quod patebit agendo de singulis. Nec in hoc immoramur.

Conveniunt etiam communiter de septenario eorum numero, sed non de ratione, cur non sint plura, vel pauciora.

CON-

[1] 31.*mo.* 31.

CONCLUSIO.

Peccata, seu vitia capitalia naturaliter cognita sufficienter numerantur hæc septem, superbia, invidia, acedia, gula, avaritia, luxuria, & ira. Possunt tamen aliter dividi, sc. in plura, vel pauciora.

Prob. 1. ex Scoto [1] qui licèt dicat, hanc divisionem non esse sufficientem, tamen eam admittit per quandam reductionem, scilicet *comparando ea ad actum concupiscentiæ*. Undè agnoscit eam divisionem, *ut famosam, & communem* putans eam attendi penes delectabilia appetitui sensitivo, ut sunt peccata carnalia, qualia sunt *luxuria, gula, vel etiam acedia per contrarium*: aut, ut placent voluntati, ut *superbia, invidia, & ira*: vel penes appetibilia propter utilitatem, ut *avaritia*, quæ respicit divitias, & bona temporalia. Tamen notat infidelitatem, & desperationem non contineri sub ullo istorum, &c. Denique putat peccata dividi posse per oppositionem ad 10. Præcepta divina; sed hoc non negamus; sed tantùm dicimus, hanc divisionem *famosam, & communem* esse, & indè sufficientem.

Dixi, *naturaliter cognita* propter peccata, quæ cùm opponantur virtutibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis, non cognoscuntur, nisi per illas, sc. supernaturaliter.

Dixi etiam, *moraliter*, quia illa sumuntur præcipuè per oppositionem ad virtutes morales, non autem ad Theologicas, ut prævenirem objectionem, quæ fieri posset ex Scoto cit. de infidelitate, & desperatione.

Dixi 3. sufficienter: nec enim diffiteor, imo assero, quòd possent dividi in plura, vel pauciora capita, ut docet Scotus; sed sequor communem, & tritam viam.

Prob. 2. ex Patribus, [2] maximè ex S. Gregorio, qui hæc 7. memorat, sc. *inanem gloriam, iram, invidiam, vel acediam, tristitiam, Gastrimurgiam, seu gulam, seu ventris ingluviem, & luxuriam*, & hæc putat nasci ex superbia, *quæ est initium omnis peccati*. Et S. Chrysost. hæc putat figurata in 7. *populis, qui*

[1] *2. d. 6. q. 2. Q. 16. & d. 42. q. 5.* [2] *L. 31. mor. c. 31.*

qui terram promissam Israel tenebant. Et Magister addit, *nullum esse malum, quod non ab aliquo ipsorum trahat originem*.

Prob. 3. Nam omne peccatum venit ab inordinato rerum caducarum amore, quo fit, ut bona quædam vehementiùs cupiamus, & quæ iis videntur contraria, fugiamus. Sic ardentiùs amamus propriam excellentiam, & præeminentiam *ex superbia*, & displicet aliorum prosperitas, superioritas, vel æqualitas *ex invidia*. Vel insatiabili cupiditate quærimus divitias ex *avaritia*. Vel in potu, & cibo corporis voluptates ex *gula*, & *luxuria*, aut spiritualia bona negligimus ex *pigritia*, seu *acedia*, aut in eos, qui aliqua ex his bonis videntur nobis negare, vel auferre, insurgimus ex *ira*. Nec enim aliunde venire videntur peccata, saltem ordinariè, nisi ex illis capitibus.

Igitur omnis peccator vel omnibus præeminere cupit inordinatè, & est *superbus*, aut si quos videt superiores, vel æquales, dolet, & est *invidus*; aut excandescit in eos, quos putat sibi adversos, ut *iracundus*, aut mollescit in via salutis, seu virtutis, ut *piger*, aut ardentius quærit divitias, ut *avarus*, aut immoderatè farcit ventrem, ut *gulosus*, aut nimium indulget venereis, ut *luxuriosus*.

Confir. ex Script. Nam S. Joannes dicit; *Nolite diligere mundum ... nam omne, quod in mundo est, aut concupiscentia carnis est*, ut gula, luxuria, & pigritia fugiens laborem virtutis, velut contrarium delectationibus carnalibus, aut *concupiscentia oculorum*, ut *avaritia*, & *invidia*, aut *superbia vitæ*, ut amor gloriæ mundanæ, & *ira* immoderata in obsistentes.

Noster Alensis[1] hujus divisionis plures causas assignat. *Tres sunt vires animæ*; inquit, vegetabilis, sensibilis, & rationalis, triplex est bonum inferius, ut bonum carnis, ad quod se habet anima secundum duplicem actum vegetabilis, sc. nutritivæ, & generativæ; quantum ad actum nutritivæ attenditur *gula*, quantum ad actum generativæ attenditur *luxuria*. 2. est bonum exterius, ad quod se habet anima secundum vim motivam sensibilem: est enim bonum in prosperis, ad quod ordinatur secundum concupiscibilem

[1] *p.2.q.152.n.43.*

lem, est iterum bonum in adversis; ad quod ordinatur secundum irascibilem. In 1. peccatur per *avaritiam*, in 2. per *iram*. 3. Est bonum interius, secundum quod debet rationalis ordinari ad Deum, ad proximum, & ad seipsum. Per inordinationem amoris ad id, quod est supra se, venit superbia; quia non vult subesse, cui debet, vel eo modo, quo debet: per inordinationem ad id, quod est intra se, accipitur *acedia*, cùm homo minùs diligit bonum internum, quàm externum. Per inordinationem ad bonum externum venit *avaritia*. Alii id accipiunt per tres animæ vires motivas, & quoad actus earum, sc. concupiscibilis, irascibilis, & rationalis. Tribuunt concupiscibili duos actus, sc. appetere bonum, & ordinare motus carnis ad bonum. 1. actus impeditur per duo vitia, per *acediam*, quæ est tædium boni interioris, & per cupiditatem *avaritiæ*, quæ est appetitus boni exterioris. Alius verò affectus similiter impeditur per duo vitia, per *luxuriam* respectu generativæ, & per *gulam* respectu nutritivæ.. Irascibili pariter tribuunt duos actus, sc. applaudere bonis, & detestari mala, & à 1. actu impeditur per *invidiam*, & à 2. per *iram*... Rationali verò tribuitur rectè judicare, vel eligere, quæ impediuntur per unum vitium, quod est *superbia*. Alia media proponit ex aliis, quæ videri possunt apud eundem Doctorem irrefragabilem.

Objic. 1. *Initium omnis peccati superbia*. Et, *Radix omnium malorum cupiditas*; ergo sunt tantùm duo peccata capitalia, sc. superbia, & avaritia.

Resp. neg. conf. Nam hæc sunt latè intelligenda, non strictè, & ad litteram. In omnibus quidem peccatis reperitur aliquid cupiditatis, aut superbiæ, sed non sequitur, quòd nulla alia peccata fiant, nisi velis sub nomine superbiæ comprehendere omnia peccata ex rebellione appetitus contra rationem, aut leges divinas, & humanas, & sub nomine cupiditatis deordinationes omnes appetitus sensitivi.

Objic. 2. D. Gregorius duo sola genera peccatorum agnoscit, spiritualia, & carnalia, sub quibus meliùs continentur omnes species; ergo nō benè tot assignantur.

Resp. neg. conf. Non enim negamus, dari ampliora, & superiora genera peccatorum: ideò dicimus

posse

posse assignari plura, aut pauciora, sed per illa 7. melius explicantur ordinaria capita.

Objic. 3. ex Scoto. Peccata contra fidem, & spem Theologicam non pertinent ad ullum ex illis, & meliùs dividerentur per oppositionem ad 10. præcepta divina; ergo hæc divisio non est bona ex mente Scoti.

Resp. neg. conf. quoad 1. p. ant. Nam loquimur de peccatis contra virtutes morales, & de naturaliter cognitis, quales non sunt infidelitas, & desperatio. Idem est de peccatis per oppositionem ad præcepta, & præterea per istam oppositionem peccata omnia facilè reduci possunt ad ista 7. sicut & ipsa 10. Præcepta reduci possunt ad duo, sc. ad amorem Dei, & proximi, in quibus pendet universa lex, & Prophetæ.

QUÆSTIO II.

De superbia.

Superbire dicitur quasi *super alios ire;* & superbia duplex est: *Propria*, sc. immoderatus affectus excellentiæ ad alios relatæ, quibus præcellere, seu præesse cupimus; & *Impropria*, sc. quæcumque nimia complacentia ex magna æstimatione sui, & perfectionis, quam cupit, aut putat habere. Undè August. dicit, quòd *sibi placens immoderatè est superbus.* Et hanc complacentiam negat Scotus esse veram superbiam, sed luxuriam quamdam spiritualem, ut vidimus aliàs. Agimus hìc de vitio superbiæ propriæ, & vitiis ab ea dependentibus.

CONCLUSIO.

Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, & est vitium capitale.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui hoc peccatum sic definit, sicut & S. Augustinus, & S. Bernardus, & alii, sc. *propriæ excellentiæ appetitum.*

Prob.

[1] 14.*civ*.13.7. *d*.6.*q*.20.
[2] *Ibid.* N.

Prob. 2. Nam sic explicatur hujus vitii natura secundum genus, in quo cum aliis vitiis convenit, & differentiam, qua ab aliis distinguitur. Dicitur 1. *appetitus inordinatus*, loco generis, & certè non quilibet amor excellentiæ, & præcellendi est vitium, sed inordinatus, & hoc vel in gradu intensionis, quando plus, seu ardentiùs amatur, quàm deceat, & tunc opponitur humilitati, quæ cùm sit virtus moralis, consistit in mediocritate circa appetitum honoris. 2. *Propriæ excellentiæ*; per quod differt ab aliis, quæ non peccant in eadem materia.

Hanc deordinationem, seu perversitatem in quatuor modis ponit [1] Gregor. 1. cùm superbus, quem vocat arrogantem, *bonum, si quod habet, à semetipso se habere existimat*. 2. *si illud sibi datum desuper credit, & pro suis meritis se accepisse putat*. 3. *cum se habere jactat, quod non habet*. 4. *Despectis aliis, singulariter appetit habere, quod habet*, undè ipsi aptatur hoc carmen.

A se, pro meritis, falsò se præ omnibus effert.

3. Dixi, *super alios*; quia, ut notabam, ex vi nominis *superbus* dicitur, qui super alios ire cupit, & quidem inordinatè, v. g. sine ratione, ac merito; &, ut notant Scotistæ, si ille amor sistit in ipsa excellentia, seu virtute, aut pulchritudine absolutè per complacentiam sine ordine ad alios, dicitur *Philautia*, seu *amor sui*, quem vocat Scotus *luxuriam spiritualem*; sicut amor inordinatus in carnis delectatione dicitur *luxuria carnalis*.

Confir. Nam humilitas est virtus moderatrix appetitus propriæ excellentiæ, & honoris, & continet hominem, ne prætergrediens gradum suum inordinatè appetat alienum excellentiorem; conciliat quippè vilem sui æstimationem, & subjectionem ad omnes cum moderato retinendæ suæ dignitatis studio; ergo superbia illi opposita per excessum est immoderatus talis excellentiæ, & honoris amor respectivè ad alios, quibus ambit se præferre. Nam, inquit Chrysostomus, [2] *Arrogans, atque superbus majorem se cæteris arbitratur, & neminem se esse digniorem affirmat, nec ita magno quisquam poterit honore afficere, quin cupiditate majori agitatus parum sibi* colla-

[1] *Cit.* [2] *Ho.66.Matt.*

collatum putet, cùmque laudem ab hominibus quærat, spernit eos, & contemnit.

Confir. 2. ex Parabola de Pharisæo dicente;[1] *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri .... jejuno bis in sabbato*, &c. sc. quærit exaltari ex aliorum depressione. Item ex præcepto Christi, *Cùm invitatus fueris ad nuptias, recumbe in infimo loco*, &c.

Prob. 2. p. de vitio capitali. Nam illud capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur; sed talis est superbia; ergo &c. prob. min. 1. ex Script. [2] *Initium omnis peccati est superbia*. Unde inquit S. Gregor. [3] *Primæ hujus soboles de hac virulenta radice proferuntur, sc. inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria*. Et S. August. in illud Psal. *Emundabor à delicto maximo*, censet id intelligi de superbia, quia *delictum maximum est superbia, quod est primum recedentibus à Deo, & ultimum redeuntibus*. Et S. Isidor. [4] *Sicut superbia est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum*. Et Ambros. in illa verba, [5] *Superbi iniquè agebant*, dicit, *Maximum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde manavit nostri origo delicti*. Et S. Tho. docet, [6] alia peccata ex hoc vitio posse oriri, 1. *ordinando, seu imperando illa in suum finem*, 2. *ex contemptu in leges divinas, & humanas, quibus illa prohibentur*.

Igitur filiæ superbiæ sunt 1. *inanis gloria*, quæ est inordinatus appetitus manifestandi apud homines propriam excellentiam ad captandam ex ea humanam æstimationem, & laudes, etiam indebitas. Vanum est enim quærere laudem ex operibus virtutum, maximè si non sint veræ virtutes.

2. *Jactantia*, quæ est inordinata manifestatio propriæ virtutis per verba, & quidem supra meritum, & veritatem. Dicitur *manifestatio*, in quo differt à superbia, quæ non est manifestatio, sed appetitus excellentiæ, & à *vana gloria*, quæ non est quidem actualis manifestatio, sed appetitus ejus, sive ab ipsomet super-

[1] *Luc.* 18. [2] *Eccle.* 10.
[3] 31. *mor. c.* 31.
[4] *L. de sum. bono.*
[5] *In Ps.* 118. [6] 2. 2. *q.* 161 *a.* 8.

superbo, sive ab aliis fiat. 2. *Inordinata*, quia non est semper peccatum virtutes suas ostendere, sc. ex bono fine. Sic Paulus sæpe seipsum laudat. 3. *supra meritum*. Sic enim appetitur injusta, & falsa laudatio; quod non fit sine peccato. Et à fortiori, quando superbus jactat se de malo, vel cum injuria Dei, aut proximi detrimento, ut Pharisæus; nam tunc enorme, & duplex est peccatum, aut multiplex propter scandalum.

3. *Præsumptio*, quæ est appetitus gloriæ ex temeritate, seu ex aggressu rerum supra vires; ut cùm appetuntur officia, & dignitates, quarum non sumus capaces; quod grave est peccatum secundum gravitatem periculi, & mali inde imminentis, aut venientis. Hoc dici potest ambitio, si respiciat dignitatem indebitam, vel mediis indebitis habendam.

4. Addit S. Bernardus [1] *Curiositatem*, qua superbus inquirit studiosiùs, quæ de se dicantur, ut indè glorietur, & ad satietatem, ut intendit, exaltetur.

5. *Inepta lætitia*, quam concipit ex aliorum defectibus, & depressione.

6. *Arrogantia*, qua sibi arrogat, & tribuit bona, quæ non habet. 7. *Defensio* peccatorum, qua nimis affectat excusare veros defectus, & peccata. 8. *Simulata confessio*, quando sub prætextu, & specie humilitatis peccata accusat, ut excuset. 9. *Inobedientia*, seu *Rebellio* contra superiorum mandata, quibus subesse recusat, & ab æqualibus ineptè, & irrationabiliter dissidet, & inferiores contemnit, aut perturbat. 10. denique *libertas peccandi*, quia cùm per superbiam homo elevetur etiam contra Deum, quem non timet, sicut nec homines, facilè, & sine retinaculo currit in profundum iniquitatis.

Plura vide apud morales, & asceticos.

Z 2 QUÆ-

[1] *De Grad. Humil.* § 1.

QUÆSTIO III.

De invidia, acedia, & avaritia.

DE invidia diximus, ubi de charitate, cui vitium hoc opponitur, sicut & acedia. Nunc agimus de illis, prout sunt vitia capitalia; & quærimus, quid illa sint, & eorum progenies.

CONCLUSIO I.

INvidia est tristitia inordinata, seu dolor de alieno bono, quod videtur propriæ excellentiæ diminutivum, & est vitium capitale.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quòd *invidia est tristitia de prosperitate alicujus, quatenus bonum alterius putatur diminutivum boni proprii. Ideo non cadit in Deum, quia bonum suum diminui non potest ex bono alterius.* Et illam recenseri permittit inter capitalia vitia.

Prob. 2. ex PP. & Philosophis, qui sic communiter definiunt invidiam; ut S. Aug. [2] & alii; est *tristitia, seu odium, seu dolor de alieno bono.* Æmulatio *est dolor animi, cùm alius pervenit ad rem, quam duo, pluresve appetebant, & nisi ab uno haberi non potest.* Et alibi dicit, [3] eam esse *odium felicitatis alienæ. Amando enim quisque suam excellentiam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus, quòd eis non æquetur.*

Prob. denique ex mente communi omnium Theologorum, imò & Philosophorum, qui hoc vitium sic explicant.

Confir. ex Scriptura [4] quæ loquens de invidia fratrum Joseph significat, eam venisse ex eo, quod iste *à patre plus cunctis filiis amaretur;* & quòd ex somniis ejus præsagiebatur ejus super eos principatus. *Numquid Rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ? hæc ergo causa somniorum invidiæ, & odii fomite ministravit;* ergo ex Scriptura, peccatum invidiæ consistit

[1] 1. *Metaph. c. 2. n. 31. 2. d. 6. q. 2. Q. & d. 42. q. 5.*
[2] *Ep. ad Gal.* [3] *Gen. litt. Lu. c. 4.*
[4] *Gen. 37.*

sistit in eo, quòd quis tristatur de bono alterius; nam sic illi Patriarchæ oderant, & tristabantur de prærogativis Joseph, qui plus amabatur à patre, & prævidebatur super eos regnaturus.

Dixi, *tristitiam inordinatam*, qua dolemus de bono proximi, quem vellemus eo privari, ne nobis fieret superior per illud, vel sit æqualis in opibus, vel honore, quia volumus singulariter excellere, & hoc est per se malum, & peccatum mortale, nisi excuset levitas materiæ, aut inadvertentia.

Dixi *inordinatam tristitiam*; quia si tristaris de ejus potestate, per quam est peccaturus, aut usurus in perniciem tuam, aut Reip. aut ne te injustè opprimat, vel Deum offendat, vel præcisè quia velles habere similia bona, &c. aut denique ex aliis motivis honestis, non est peccatum invidiæ, sed virtus zeli, aut æmulationis.

Prob. 2. p. Nam, ut dicebamus, vitium dicitur capitale, quando est causa, vel origo aliorum; sed talis est invidia: ergo &c. Prob. min. Nam ex invidia nascitur 1. *odium proximi*, quo dolemus de ejus bono, & volumus ei malum, ut malum ejus est. 2. *Susurratio*, qua occultè famam ejus lædimus, & seminamus verba discordiæ in ipsum, ne prosperetur. 3. *Detractio*, qua publicè id facimus, ut bonam de illo æstimationem deleamus, & famam denigremus. 4. *Gaudium* de illius malo, & adversitate. Et 5. *afflictio* de illius prosperitate, sine alio motivo, quàm quia displicet nobis ejus prosperitas. Nam si ex zelo justitiæ, aut gloriæ Dei, vel alicujus virtutis tristamur, non erit vitium invidiæ, sed motus zeli, qualis erat zelus David *super iniquos pacem peccatorum videntis*.

Vitium hoc directè opponitur charitati, quæ *non æmulatur*, non invidet, sed *congaudet veritati*, & justitiæ, sicut obligat ad amandum proximum, sicut nos ipsos, ita & gaudendum de bono ejus, sicut de nostro.

Dixi autem *dolorem de bono alterius*, *quod putamus boni nostri diminutivum*; quia, ut alibi notavimus, si dolemus de bono ejus absolutè, prout bonum ejus est, non tam est actus invidiæ, quàm odii, quo absolutè volumus illi malum, & nolumus bonum ejus.

Objic. 1. ex Philosopho, invidus tristatur propter

alios, non propter seipsum; ergo sic malè definimus invidiam, sc. quòd sit tristitia de bono alterius, quod putamus diminutivum boni nostri. Prob. ant. dicit enim, quòd invidia est, *quoniam similes boni aliquid adepti videantur, non ut quidquam sibi, sed propter illos*; ergo invidus non tristatur propter seipsum, quasi bonum ejus minuat de nostro, sed propter illum, quia nolumus ei bonum illud.

Resp. neg. 1. ant. & 2. cons. Nam sensus verus Philosophi est, quòd invidus tristatur de bono alieno, non quia inde aliquid timet sibi nocumenti, sed quia inde bonum suum proprium videtur minui. Nam qui tristatur de bono aliorum propter ipsos, non facit id propriè ex invidia, sed ex odio. *Quicumque odit aliquem, tristatur de felicitate ejus, non in quantum est excellentia quædam, sed in quantum est simpliciter bonum quoddam ejus, quem odit*, ait S. Thom. [1] Et, ut S. Gregor. docet [2] *invidere non possumus nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus*, & inde minuunt gloriam nostram, quam singulariter, & præ cæteris volumus æstimari.

Objic. 2. Tristari de bono alterius, prout est diminutivum nostri, est illud respicere ut malum nostrum; sed hæc tristitia non est actus invidiæ, sed timoris, ergo non bene sic definitur invidia per ordinem ad nos, sed ad proximum, cui nolumus bonum illud, de quo tristamur. Prob. min. Nam timor est passio veniens ex malo imminenti, & difficulter vitando; ergo, &c.

Respondeo dist. min. si malum sit imminens, & futurum, con. si spectetur, ut præsens, neg. min. & conf. Nam timor est de malo imminenti, & futuro; invidia verò respicit diminutionem boni nostri ut præsentem; ideo est dolor, non verò timor.

CONCLUSIO II.

Acedia est tædium, seu tristitia de bono spirituali, & divino acquirendo, vel conservando, quod est vitium capitale, & grave peccatum, si sit voluntarium.

Dico, *tristitiam animi*; quia certum est, opera spiritualia esse quidem laboriosa, dura, & sensibus ingrata;

[1] 2.2.q.36.a.1.ad 5. [2] *mor. c.3.*

grata; sed tædium, & tristitia de illis non est peccatum in illis, sed in voluntate, cui est materia meriti, si resistat illi repugnantiæ appetitus sensitivi.

2. *De bono spirituali divino*; nam vitia omnia tristitiam quidem causant de bono spirituali, quod est objectum singularum virtutum, & spectat ad singula vitia opposita; sed tristitia *acediæ* respicit specialiter bona divina, sc. beatitudinem, gratias, & opera, quæ sunt media necessaria ad eandem beatitudinem, & gratias acquirendas, aut conservandas, & in quibus ex amore carnalium delectationum torpet anima nostra, & languescit, & sub hoc respectu constituit rationem specificam hujus peccati.

3. *De bono divino acquirendo*, & prout ad nos pertinet; nam si bona illa spectentur in Deo ipso absolutè, tristitia illa erit peccatum odii Dei, & quidem pessimum. His suppositis ad intelligentiam conclusionis.

Prob. 1. p. Nam sic explicatur sufficienter natura hujus vitii secundum suam malitiam specificam, prout convenit, & distinguitur ab aliis vitiis: unde patet, illud esse peccatum ex genere suo grave, & mortale, si sit in voluntate. Nam, ut notabam, si maneat in solo appetitu sensitivo, renitente voluntate, aut non advertente intellectu, non erit peccatum formaliter: bene verò si deliberatè consentiat; quia sic opponitur spei Theologicæ, vel etiam charitati, qua debemus velle nobis ipsis beatitudinem, & media ad illam consequendam necessaria, & denique perfectionem spiritualem nostram.

Prob. 2. p. de vitio capitali: nam ex isto velut capite, & fonte manant alia plura, ut scribit S. Greg. [1] & 1. nascitur inde *Malitia*, quæ est voluntas impatiens gravedinis, ita ut odiat bona ipsa spiritualia, & personas, quæ nos ad illa opera invitant, vel urgent, ut prælati, magistri, imo & odit ipsam Religionem.

2. *Rancor*, qui est indignatio quædam cordis, etiam exterior contra eosdem, qui nos urgent ad illa exercitia religiosa.

3. *Evagatio mentis*, quatenus ex tædio spiritualium rerum ab illo se se distrahit homo, ut se se applicet delectationibus terrenis, & illicitis: ut cum ex tædio

[1] *Ibid c. 47.*

missæ, prædicationis verbi divini, & aliorum officiorum dies festos insumimus ludis, venationibus, comessationibus, &c.

4. *Pusillanimitas*, qua quis se permittit timori difficultatum apparentium in bonis operibus, & ideo ab illorum exercitio, & executione retrahitur, & refugit.

5. *Torpor*, qui est negligentia voluntaria, & omissio rerum præceptarum, & hęc regulariter est peccatum mortale, nisi excuset levitas materiæ.

6. *Desperatio*, seu diffidentia consequendi salutem, & finem beatitudinis per media præscripta; quia sic imaginamur illum ex pigritia, velut opus difficillimum, & quasi impossibile.

Hæc autem monstra superabis, si audias Spiritum S. dicentem de sapientia, quòd [1] *non habet amaritudinem conversatio illius, sed lætitiam, & gaudium*: & Psalmistam, [2] *Gustate, & videte, quia suavis est Dominus*: & Apostolum, *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum*, &c.

Gravitas hujus vitii pensatur ex malis, quæ secum affert, ut docent Scripturæ, & Patres. 1. est *paupertas* spiritualis, imò & temporalis: nam *egestatem operata est manus remissa*. Et in Euangelio, Talentum aufertur servo inutili, & pigro, [3] *nam habenti dabitur, & abundabit, & non habenti auferetur, quod habet*, &c. sc. Deus repetit gratias ab illis, qui non operantur in eis ad augmentum. 2. [4] *vilitas, & contemptus, inde in lapide luteo lapidabitur piger*, sc. pigritia facit hominem contemptibilem, & luteum. 3. *pusillanimitas*, & timor, *qui deiicit pigrum*, sc. ex sublimitate perfectionis, & virtutis. 4. *Corruptio*, seu *putredo spiritualis*, ut contingit in aquis stagnantibus, & quæ non moventur, sed torpent; [5] *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt...non est, qui faciat bonum*. 5. *Vitiorum accumulatio*, sc. ex inertia, & torpore scaturiunt velut vermes, & ranæ, & Bufones universa vitia; De pigro dicebat sapiens, [6] *Per agrum hominis pigri, ecce totum repleverunt urticæ*, & aliæ plantæ pungentes. 6. *subjicit* hominem *opprobriis*,

[1] *Sap.* 8. [2] *Ps.* 33. 6. *al.* 5. [3] *Prov.* 10.
[4] *Eccl.* 22. [5] *Ps.* [6] *Prov.* 24.

briis, v. g. somnolentiæ. *Usquequò dormies piger?* Et ignorantiæ bestiali, quasi nesciat vivere; ideo ad formicam mittitur docendus. [1] *Vade ad formicam piger*, sc. ad vile, & minimum animal.

CONCLUSIO III.

Avaritia est appetitus inordinatus habendi; & est vitium capitale.

Prob. 1. ex Scoto dicente, eam [2] *non versari, nisi circa appetibile utile, quod ordinatur ad appetibile secundum se*, sc. ad voluptatem, vel honorem.

Dicitur 1. *Amor*, quia principaliter residet in voluntate, seu appetitu spirituali, quo inordinatè afficimur circa bona temporalia, maximè circa divitias. 2. *inordinatus*, quia tota hujus vitii malitia est inordinatio, quæ est vel in excessu talis amoris, vel circa modum habendi; sc. si velimus eas habere injustè, v. g. per rapinas, fraudes, usuras, &c. cùm enim res, circa quas peccatur per avaritiam, sint de se utiles, & habeant suam bonitatem, sc. utilitatis, & possimus illis uti licitè, imò & laudabiliter, ac meritoriè in pios usus, ut in eleemosynas, ita possunt licitè amari; ergo malitia avaritiæ consistit in illa deordinatione amoris. 3. *Habendi*, sc. accipiendi, seu acquirendi, vel retinendi, seu conservandi irrationabiliter, maximè in mensura, & quantitate, quia insatiabilis est; ideo avarus comparatur mari, quod *nunquam redundat*; vel inferno, & morti, quæ non satiantur. De avaro enim dicitur; [3] *Dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimplebitur....dicetur, væ ei, quia multiplicat non sua*. Et, *Avarus non implebitur*, & ideo dicitur quasi semper *pauper, & nudus*, licèt videatur dives, quia semper eget, & cupit. Id patet ex Euangelio [4] de divite avaro, qui plangit ex abundantia, & plenitudine horreorum, & ex abundantia messium non habens ubi congreget frumenta. Unde avari *abominabiles facti sunt, sicut ea, quæ dilexerunt*.

Dixi, *habendi*, sc. bona quæcumque terrena, & temporalia. Nam inquit S. Gregorius, [5] *Avaritia non*

[1] *Prov*, 6. [2] 1. *d*. 42. *q*. 5. [3] *Habac*. 2. [4] *Luc*. 12. [5] *Hom*. 16. *Euang*.

solùm pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Et S. August. *Avaritia, quæ græcè philargyria dicitur, non in solo argento, vel nummis... sed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur, intelligenda est.* Et in Euangelio describitur avarus, & enormitas avaritiæ in homine, qui habens horrea plena nescit, ubi congreget messem amplissimam, & inde lamentatur; ergo avaritia dicitur de quavis inordinata cupiditate habendi.

Quòd autem sit vitium, & peccatum ex suo genere grave, patet ex Scriptura citata, ubi dicitur homo ille stultus. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ parasti cujus erunt?* sc. graviter reprehenditur hoc vitium. Et alibi dicitur, quòd *avaro nihil est scelestius... nihil iniquius, quàm amare pecuniam... quia hic animam suam venalem habet.* Et Apostolus avaritiam vocat *idolorum servitutem*; ergo &c.

Confir. Gravitas peccati, & vitii pensatur ex objecto, cui anima servit; sed nihil indignius homine, quàm objecta, seu res, quibus homo per avaritiam servit; ergo &c. maj. patet, nam eò turpior, & iniquior est servitus, quò dominus, cui servitur, est indignior, & vilior. Prob. min. nam bona omnia, quæ per avaritiam inordinatè amantur, sunt magis extra, & sub homine, quàm objecta omnium aliorum vitiorum, v. g. quàm dignitates, & gloria, quibus servit per ambitionem, & superbiam, quàm voluptates sensuum, quibus servit per gulam, & luxuriam, &c. illa sunt super, aut circa, aut intra ipsum, pecuniæ verò, frumenta, armenta ovium, & boum sunt longè infra, & extra ipsum; ergo in nullo irrationabiliùs peccat, quàm per amorem inordinatum talium rerum. *Iste appetitus habet deformitatem majorem*, ait S. Thomas. [1]

Confir. ex ipsis Philosophis Ethnicis. Nam inquit. Tull. *Nihil est tam angusti animi, tamque parvi, quàm amare pecuniam.* [2] Et Arist. *Senectus, & impotentia facit avaros.*

Prob. 2. p. de vitio capitali. Nam inquit S. Thom. cit. [3] *Vitium capitale dicitur*, ex quo alia vitia oriuntur; sed plurima oriuntur ex isto; ergo &c. prob. min. ex

[1] 2.2.q.118.*a.5.* [2] 4.*Ethic.c.2.* [3] *Ibid. a.7.*

ex S. Greg. sæpe cit. & eodem S. Th. Cùm avaritiæ malitia consistat in excessu, & deordinatione appetitus habendi, illa inordinatio committitur vel in acquirendo, seu accipiendo, vel in retinendo bona illa: per excessum in retinendo nascitur *obduratio* contra misericordiam, ad quam avarus non emollitur, ut de bonis subveniat pauperi. 3. ex acquirendi affectu nascitur *inquietudo* per nimiam sollicitudinem, & curas superfluas accumulandi; nam *insatiabilis est aviditas*, & fames talium rerum, ut patet ex parabola citata de divite avaro. 4. *injustitiæ* plurimæ, quia usurpantur aliena per violentias, rapinas, dolos, fraudes, perjuria, & proditiones, ut contigit in Juda proditore Christi Domini sui pretio 30. denariorum; item per furta, usuras, & similia peccata, quæ ex nimio amore habendi nascuntur, & quamvis opponantur diversis virtutibus, unam tamen habent radicem istam.

Objic. 1. Omne peccatum respicit Deum, aut proximum, vel ipsum peccatorem; sed avaritia in nullo istorum peccat; ergo non est peccatum. Prob. min. 1. non in Deum, quia non opponitur virtutibus Theologicis, nec religioni. 2. non in proximum, quia non necessariò appetit, nec retinet aliena, sed sæpe sua, & sic nulli facit injuriam. 3. non in se ipsum, imò sibi providet, & indulget; ergo in nullo peccat.

Resp. neg. min. Nam per immoderatum illum affectum despicitur Deus, cujus amori hæc præponuntur, vel proximus læditur per injustè ablata, vel retenta, aut per immisericordiam debitam miseris; 3. peccat in se ipsum per excessum curarum pro caducis, & terrenis, pro quibus se fraudat rationabili quiete, & libertate, & magnis bonis spiritualibus, quæ postponit terrenis.

Objic. 2. Omne peccatum speciale opponitur speciali virtuti, & est in materia speciali; sed avaritia nulli speciali virtuti opponitur, nec est in materia speciali; ergo non est peccatum speciale, sed generale, & vagum. Prob. min. ex Augustino: [1] avaritia est appetitus inordinatus *non tantùm argenti, sed & in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur*; sed

[1] *De lib. ar.*

per talem cupiditatem peccatur contra omnes virtutes; ergo avaritia opponitur omnibus virtutibus; ergo est generale peccatum.

Resp. neg. min. 1. & 2. quia avaritiæ genus, aut species, sicut nec virtutis non petitur ex objectis materialibus, sed à formalibus, & finibus, sub quibus illa respicit, sc. quatenus illa bona amantur in propriam utilitatem avari, & sub hac formalitate spectantur à sola avaritia.

Objic. 1. con. 2. p. Vitium capitale debet opponi alicui virtuti capitali; sed avaritia non opponitur ulli virtuti capitali; ergo &c. Prob. min. opponitur liberalitati; sed hæc non est virtus capitalis, sed valde particularis; ergo &c. Prob. maj. liberalitas servat medium inter prodigalitatem, quæ peccat in excessu, & avaritiam, quæ peccat in defectu; ergo &c.

Respondeo neg. maj. absolutè; nec enim hoc necessarium est in vitio capitali, sed sufficit, ut ex eo nascantur alia peccata quomodocumque diversa.

Objic. 2. Vitia illa, seu filiæ pertinent ad alia plura genera; & opponuntur aliis pluribus virtutibus, quibus non opponitur avaritia; ergo non sunt ejus filiæ. Prob. ant. avaritia opponitur liberalitati; proditio verò opponitur prudentiæ, aut fidelitati, sicut & fraus, & fallacia; rapina, & furtum, & violentia opponuntur justitiæ; obduratio misericordiæ, & charitati; ergo &c.

Resp. neg. cons. Nec enim oportet, ut filiæ unius vitii capitalis opponantur eidem virtuti, neque ut ex objecto spectent ad idem genus peccati; sed sufficit, ut ab illo imperentur, & in ejus finem ordinentur. Ista autem omnia imperantur ab avaritia, & in finem ejus, sc. habendi, & retinendi per fas, & nefas bona temporalia.

Non dico tamen, quòd omnis actus avaritiæ sit peccatum mortale; nam ex materiæ levitate, aut ex aliis circumstantiis potest fieri leve, & veniale.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Gula, & Luxuria.

GUlæ nomen venit ab ea parte gutturis, per quam cibus, & potus transmittuntur in stomachum, & in quo percipiuntur sapores, & ex saporibus delectatio. Unde fit, ut excessus in hac delectatione, & in ejus appetitu vocetur vitium gulæ.

Luxuria autem ex nominis Etymologia dicitur quasi solutio, seu laxatio in voluptates, maximè in venereas, quæ animum hominis solvunt, & relaxant, & ideò de illis dicitur propriè luxuria, impropriè verò de omnibus excessibus. Unde Glossa in cap. 5. ad Galatas dicit, quòd luxuria est quælibet superfluitas, sed maximè dicitur de excessibus circa corporis cultum, & voluptates, imò & de animalibus, quæ luxuriari dicuntur, quando ludunt, vel coeunt, & de ipsis plantis, quando abundantiùs frondes, & ramos emittunt, & de agris, quando supra modum fructificant. Luxuria, inquit August. [1] *Satietatem, atque abundantiam se cupit vocari.*

Horum vitiorum naturam, & propagines hìc examinamus.

CONCLUSIO.

G*Ula est inordinatus amor, seu appetitus cibi, & potus; et est vitium capitale.*

Prob. 1. p. per singulas particulas. Dicitur *appetitus inordinatus*, quod ponitur loco generis, quia per id convenit cum aliis vitiis. 2. *cibi, et potus*, per quod differt ab aliis ex objecto formali, & materiali.

Porrò inordinatio ista attenditur 1. circa *substantiam* cibi, & potus, si appetuntur supra modum exquisita, & pretiosa, & lauta. 2. circa *quantitatem*, quando appetuntur, & sumuntur supra indigentiam. 3. circa *qualitatem*, quando quæruntur nimium delicata in præparatione. 5. circa ipsam *delectationem*, ex nimia complacentia in ipsa delectatione; nam *in vescendo non cibi genere, sed aviditate immoderata quem-* que A

[1] 2. *conf.* 6.

quæ culpandum ait Augustinus. 5. circa *tempus*, si sumantur tempore indebito. Hos excessus, & inordinationes exprimit hoc carmen: *Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè*. 1. Vox respicit tempus anticipatum. 2. cibi substantiam pretiosam, & delicatam. 3. quantitatem nimiam 4. modum, & affectum ardentiorem. 5. præparationem, seu qualitatem.

Hujus vitii gravitas pensatur ex ejus effectibus, quales sunt 1. *mentis hebetudo*; quia nimius cibus mentis vires aggravat, & aciem obtundit, & cor indurat, ne afflictis cōpatiatur. Gulosi enim sunt *velut irrationabilia pecora*, inquit S. Petrus; [1] & id patet de Epulone cum Lazaro. 2. *corporis infirmitas*; nam *in multis escis non deerit infirmitas*, & ipsa mors tam animæ, quàm corporis. 3. *Loquacitas*, & quidem inconsiderata, ut patet de Herode, qui inter epulas indiscretè promittens saltatrici, jubet decollari Joannem Bapt. 4. *inopia*, ut patet de prodigo, qui *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè*, & redactus est in necessitatem edendi cum porcis. 5. *Carnis luxuria*. *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere*; & apud Jeremiam; *Saturavi eos, et mæchati sunt*. 6. *Stultitia cordis*; nam inquit Sapiens, [2] *Quicumque cibo, et potu delectatur, non erit sapiens.... vinum, et ebrietas auferunt cor*.

Prob. 2. p. Nam gulæ duæ sunt partes principales, *Gastrimargia*, seu excessus in cibo, & *ebrietas*, quæ est excessus in potu, & ex his nascuntur 5. filiæ. *Mentis hebetudo, et sensuum*, propter fumositates ciborum, quæ ascendunt ex ventre in caput, illudque conturbant, & sic hebetant & sensus, & mentem, quæ in suis operationibus pendet à sensibus, & maximè à cerebro. 2. *Inepta lætitia*, &c. vaga, & incomposita, qua homo gaudet de rebus, quæ de se non sunt natæ causare lætitiam, ut sunt ludi illiberales, histriones, choreæ, cantus cantionum obscænarum, vel etiam impiarum, de quibus dicitur, [3] *In me psallebant, qui bibebant vinum*, & licèt hæc lætitia non semper sit peccatum, saltem ex objecto, tamen vix habetur sine peccato ex circumstantiis, & excessu.

3. *Scurrilitas*, quæ est excessus in jocis, & facetiis, & affectatione movendi aliis risum, & dicitur etiam

[1] 2. *Pe.* 2. [2] *Prov.* 10. [3] *Ps.*

etiam *jocularitas*, & in hoc peccatur maximè ex circumstantiis personarum agentium, quæ non servant decorem debitum vel audientium, & videntium, quæ sæpius indescandalizantur, & sæpè etiam ex parte materiæ, in qua jocatur: nam hæ facetiæ sæpiùs redundant in contemptum proximi, aut Dei, & sanctorum ejus, ac religionis; item ratione loci, quia in loco sacro; vel temporis, quod exigit mortificationem, & actus pœnitentiæ potiùs, quàm gaudii. Denique hæc prohibet Apostolus Christianis, [1] *Nec turpitudo, nec stultiloquium, nec scurrilitas nominetur in vobis.*

4. *Immunditia* vel in verbis, vel in motibus corporis, & animæ, quæ contingunt præcipuè ex crapula, & injectione excrementorum, ex vomitu, & aliis miseriis, quas parit nimietas cibi, & potus, & aliis impuritatibus nocturnis, quæ accidunt ex intemperantia illa.

5. *Multiloquium*, seu *garrulitas*, in qua rarissimè deest peccatum murmurationis cum læsione famæ alienæ tam absentium, quàm præsentium, unde nascuntur rixæ, inimicitiæ, contentiones, lites, duella, pugnæ, &c.

Ideò monet sapiens, [2] *Noli regibus dare vinum, quia nullum secretū est, ubi regnat ebrietas.* [3] Et, *Qui multis utitur verbis, lædet animam suam.* Et tam frequentia sunt multiloquii peccata, ut Scriptura dicat ex admiratione: *Beatus vir, qui non lapsus est in verbo.* Et certè quandoquidem per ciborum, & vini vapores obruitur cerebrum, debilitatur, & impeditur usus rationis, ac prudentiæ, sine qua non dirigitur lingua, ideò dicitur, *vinum, & mulieres faciunt apostatare sapientes*: & quòd [4] *præ vino, & ebrietate erraverunt*, & quòd [5] *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Et ipse sapiens statuerat [6] *in corde suo abstrahere à vino carnem suam, & animam suam transferre ad sapientiam, & devitare stultitiam.*

Notandum autem, quòd hæc æquè sunt pœnæ hujus vitii, ac ejus filiæ, & sequelæ, vel peccata; nec enim sunt peccata, nisi prævisa sint, & volita, nec in eis.

[1] *Gal.* [2] *Pro.* 30.
[3] *Eccle.* 23. [4] *Eccl.* 19.
[5] *Ps.* 8. [6] *Ose.* 3.

eis peccatur mortaliter, nisi adsit materiæ gravitas, saltem ex circumstantiis.

CONCLUSIO II.

L*Uxuria est inordinatus appetitus, vel usus delectationis venereæ, & est vitium capitale.*

Hæc definitio patet ex omnium consensu, qui per luxuriam nihil aliud intelligunt, quàm talis appetitus deordinationem. Dico *deordinationem*. Nam in ipso appetitu de se, & præcisè non est peccatum, potest enim esse licitus, ut est in matrimonio, sed ratio peccati est in ipsa deordinatione, ut cùm ille appetit, qui non debet appetere, sed fugere tales delectationes, ut qui voto castitatis ligatur, vel cùm appetit aliter, quàm debet, ut si appetat extra usum matrimonii, vel contra modum à natura præscriptum ad finem generationis, &c.

2. Dixi, *appetitus, vel usus*; nam aliquando est peccatum in ipso desiderio, vel cogitatione morosa, aliquando in ipso usu.

Gravitas hujus vitii patet 1. ex Scriptura, ut cùm Apostolus recenset [1] *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, &c. & addit, quòd *qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.* Et S.Petrus, *Novit Deus iniquos in diem judicii reservare, magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant*. Et ut loquitur Beda, *brevis est voluptas fornicationis, sed perpetua pœna fornicatoris*; ergo luxuria est enorme peccatum, quia graviter punitur.

Gravitas patet ex malis, quæ causat. Nam 1. obumbratur intellectus per hujus peccati caliginem, maximè propter vehementiam delectationis, in qua immergitur homo, & quæ impedit judicium. Ideò dicebat Daniel; [2] *Species decepit te, concupiscentia subvertit cor tuum*. Et Oseas, [3] *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor*.

2. Pervertit affectum, vehementia enim libidinis abripit voluntatem; [4] *Ignis est infernalis luxuria* (ait Hieron.) *cujus materia gula, cujus flamma super-*

[1] *Gal.5.2.p.2.* [2] *Dan.* 12.
[3] *Ose.4.* [4] *Ep.48.*

perbia, *cujus scintilla prava colloquia*, *cujus cinis immunditia*, *vel inopia;cujus fumus infamia*, *cujus finis gehenna*.

3. Excæcat mentem per voluptatis dulcedinem, ne cogitet judicia Dei.[1] *Averterunt sensum*, *& declinaverunt oculos suos*, *ut non viderent Cælum*, *nec recordarentur judiciorum justorum*. Loquitur de senibus luxuriosis in Susannam.

Species luxuriæ sunt, *simplex fornicatio*, quæ est concubitus soluti cum soluta. *Adulterium*, quod est concubitus cum uxorata. Incestus inter consanguineos, vel affines intra certos gradus; *Stuprum* cum virgine; *Raptus*, cùm fit ei violentia, & opprimitur, vel abducitur invita. Denique *vitia contra naturam*, ut *pollutio voluntaria*, *sodomia*, *bestialitas*, & eodem spectant *oscula*, *amplexus*, *tactus impudici*, &c.

Prob.2. p. de vitio capitali per enumerationem filiarum ejus, quæ ex sancto Gregorio[2]dicuntur octo,1. *cæcitas mentis*,quia vehementia appetitus delectationum venerearum impedit, ne cogitet de cœlestibus. 2. *Inconsideratio* ex eadem causa, quæ impedit, ne attendat ad ea, quæ decent statum, vel personam. 3. *Præcipitatio* ex eadem etiam causa; quæ sic rapit, ut præveniat consilium, & deliberationem. 4. *Inconstantia*, quia ex eodem ardore pressus citò deficit à prioribus consiliis, & propositis, & in suas immunditias recidit, ubi se se offert occasio. 5. *Amor sui*, quo sic amat seipsum, ut se sibi constituat finem ultimum suarum actionum, & inde sequitur 6. *Odium Dei*, quem respicit ut vindicem, & inimicum suarum delectationum, in quibus constituisuam felicitatem. 7. *Affectus præsentis vitæ*, cui sic afficitur per amorem, & cogitationem suarum delectationum carnalium, ut paratus sit renuntiare deliciis innocentibus alterius sæculi. 8. Imò & odium, seu contemptus earumdem; sc. ita immergitur homo in luto voluptatum istarum, ut horreat cogitare de cœlestibus, & præcipuè de morte, qua debet terminari, & finiri præsens vita.

Rationem hujus progeniei habes in S. Thoma, [3] & aliis. Nobis sufficiat monitum Sapientis, qui inducit

[1] *Dan.*11. [2] *Ibid.*
[3] 2.2.q.153.a.5.

cit tales homines sic loquentes. [1] *Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ. Ubique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra; hæc est sors nostra.* Hæc, inquam, suggerit verba, & affectus effrænis luxuria, ex quibus facile prævidentur monstra horrenda, quæ paritura est.

QUÆSTIO V.

De Ira.

DE hoc vitio jam diximus aliqua, ubi de passionibus; hic loquimur de illa, prout est habitus, vel actus ejus inordinatus, & oppositus mansuetudini, vel patientiæ, ut docet Scotus; sic pauca restant dicenda.

CONCLUSIO.

IRa, *de qua hic loquimur, est appetitus inordinatus vindictæ, & est vitium capitale.*

Prob. 1. p. ex Scoto dicente [2] quòd *actus adæquatus iræ est velle vindicare, seu nolle offendi;* & quòd *ille appetitus indiget moderari per habitum, ne immoderatè velit propellere offendens, vel ulcisci de illo;* ergo supponit, hoc vitium consistere in amore inordinato, & nimio vindictæ.

Dicitur ergo *appetitus*, in quo convenit cum aliis vitiis, & quidem *inordinatus*, per quod designatur vitiositas, seu malitia; nam in ratione passionis est indifferens de se ad medium, vel excessum, & per excessum degenerat in vitium, & peccatum. Amor vindictæ non est per se vitium, nec peccatum, sed potest haberi, & exerceri cum virtute, (etiam à sanctis, imò & ab ipso Deo) quippe *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam, & manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Et Joannes vidit animas innocentium, & martyrum sub altari, & audivit eas clamantes voce magna, *Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum,* &c. 3. dicitur *vindictæ*, per quod vitium istud differt.

[1] *Sap. 2.* [2] *3. d. 44. F. 10.*

differt ab aliis, quæ non respiciunt vindictam.

Quòd sit peccatum, & quidem grave patet ex Euangelio. Nam *omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*. Et Deus sibi reservat vindictam, ut retribuat. Unde sequitur, quòd, qui sic irascitur ad vindictam, usurpat Dei officium, & authoritatem.

Prob. 2. p. & simul confirmatur præcedens de ejus malitia, & gravitate per ejus filias. Nam, ut docet S. Gregor. [1] & alii communiter, filiæ ejus sunt 1. *cæcitas mentis*; nam ira oculum mentis excæcat, ita ut non videat, quid justum sit, vel injustum, juxta illud, [2] *Turbatus est à furore oculus meus*. Unde *ira viri Dei justitiam non operatur*. Et, ut docet Seneca, *duo impediunt consilium, festinantia, & ira*.

2. *Indignatio*, qua iratus eum, à quo se putat offensum, respicit ut indignum, à quo debeat hæc pati: & de illo scribitur; [3] *Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior*. Item reputat offensorem indignum sua familiaritate, & colloquio, etiam in his, ad quæ obligatur, & contemnit eum etiam cum scandalo.

3. *Tumor mentis*, non quidem ex superbia, sed ex ira, qua intumescit cor ex variis affectibus, & cogitationibus, quibus quærit vias ulciscendi, & nocendi adversario.

4. *Contumelia*, dum iratus effervescit, & effunditur in verba injuriosa, & dura, quæ respectu hominis dicuntur *contumeliæ*, & respectu Dei *blasphemiæ*.

5. *Clamor*, qui est confusa, & inordinata locutio, per quam ostendit ardorem iræ, & nimium appetitum vindictæ cum scandalo.

6. *Alienatio mentis*; nam ex ardore iræ homo quasi extra se rapitur, & exit, ita ut non se possideat. Ideò invitamur ad patientiam, ut possideamus animas nostras, & nobis dicitur; *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Et è contra dicitur, quòd iracundus, seu iratus fugiendus est, ut canis rabidus, & ut leo furens, & concitatus.

7. Denique *rixæ*, per quas nocumenta inferuntur inimicis ex ira.

Dixi autem, non omnem iram esse vitium, nec peccatum; nam ex justitia, & zelo laudabiliter irascimur. Deus.

[1] 5. mor. 33. [2] Ps. 6. [3] Pro. 29.

Deus ipse dicit de se, *Iratus est furor meus*: & David etiam de se dicit, *juravi in ira mea*; & utrumque tribuit Deo, dum orat, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Denique in Prę-latis, Superioribus, Magistratibus, & Regibus non tantùm laudabilis, sed & necessaria est, modò sit ordinata, & non excedat limites rationis, & justitiæ.

SUM-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS VII.

De virtutibus Moralibus, seu Cardinalibus.

POST virtutes Theologicas, quæ nos dirigunt ad Deum, & quibus in eum tendimus directè, & elevamur, agendum nobis est de Moralibus, quibus ad vitam civilem æquè, ac Christianam informamur. De his hic breviter, & quantùm sufficiat Tyroni Scholastico dicemus, pleniorem tractationem ad practicos, & casuistas remittentes.

DISPUTATIO PRIMA.

De existentia, quidditate, & proprietatibus virtutum moralium, seu Cardinalium.

DE nomine, existentia, & natura virtutis ut sic jam diximus ab initio tractatus præcedentis. Et certè virtutum existentiam nullus ignorat. Naturam autem pauci norunt, inquit Seneca, *Maximum nec habemus naturæ meritum, quòd virtus in omnium animos lumen suum mittit, etiam qui illam non inquirunt, eam vident. Omnes quidem confusè virtutem intuentur, & cognoscunt, exactè autem paucissimi.* Nos, quantùm per imbecillitatem ingenii licuerit, & quantùm dederit Deus per lumen gratiæ suæ, illas meditabimur. 1. In communi, & secundum rationem illarum genericam, tum in species descendemus.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An, & quid sit virtus moralis.

SUppono ex dictis aliàs, virtutem hìc significare qualitatem, seu habitum existentem in anima rationali, & inclinantem eam ad actus honestos, per quos homo fit bonus, & laudabilis, & dignus aliquo præmio. Et cùm dicimus *virtutem moralem*, non intelligimus quemcumque habitum sic inclinantem; hoc enim commune est omni virtuti tam Theologicæ, & per se infusæ, quàm acquisitæ, tam supernaturali, quàm naturali, sed intelligimus eas solas virtutes, quæ habent pro objecto, & fine honestatem, seu rectitudinem morum; & per actus honestos acquiruntur, non autem per solam infusionem divinam, ut virtutes Theologicæ, & supernaturales in substantia, de quibus egimus suprà.

Dicuntur morales, quia moribus, & consuetudine, sive usu, & frequentatione bonorum actuum solent acquiri, vel quia mores, seu operationes humanas dirigunt, ut sint bonæ, & laudabiles, & quia ad eas inclinant.

Dicuntur *Cardinales* apud Theologos, & maximè à tempore S. Ambrosii, quia istæ virtutes sunt omnium principales, ac primariæ, & velut *Cardines*, in quibus summa perfectionis creaturæ rationalis consistit, & velut cardinibus innititur, & cæteræ super illas volvuntur. Ideò S. Prosper [1] vocat eas *principales*, &, ut docet S. Gregor. [2] *ab eis structura*, seu ædificium perfectionis velut quatuor angulis dependet.

Porrò existentiam harum virtutum nullus negat inter Philosophos, vel Theologos. Ideo non immoramur in ea probanda, sed illa supposita ut certissima, quærimus earum quidditatem sub hoc nomine virtutum moralium.

CON-

[1] 3.*vi.contempl.*18. [2] 2.*mor.*27.

CONCLUSIO.

Virtus moralis, seu Cardinalis sufficienter describitur habitus electivus inclinans ad honestè vivendum, & conformiter ad regulas morum. In re videtur communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam inquit: *Nihil aliud in entitate dicit habitus, qui est virtus moralis, quàm conformitatem, & habitudinem ad rectam rationem.... virtus enim est habitus electivus medii, ut determinatur à recta ratione.* Diximus autem aliàs, quòd recta ratio, & dictamen ejus est prima, & immediata regula morum; ergo hæc descriptio est de mente Scoti.

Prob. 2. quia sic sufficienter explicatur natura talium virtutum, prout conveniunt cum aliis in ratione generica virtutum, & ab eisdem differunt in sua specie, & ordine suo; ergo &c. Prob. ant. 1. dicitur *habitus*, & quidem *electivus*, quod ponitur loco generis, quia in hoc conveniunt virtutes omnes, etiam Theologicæ. 2. dicitur etiam *electivus*, quia omnis habitus virtutis inservit voluntati ad operationes suas liberas circa bonum honestum, & juxta dictamen rectæ rationis. 3. dicitur *inclinans*, per quod jam incipit hæc virtus differre à supernaturali, & infusis per se; quia istæ non tantùm inclinant, sed etiam elevant potentiam, & dant illi simpliciter posse agere, ut diximus. 4. *Ad vivendum honestè, & conformiter ad rectam rationem*, seu *regulas morum*, per quod hæ virtutes differunt ab habitibus artium, qui non faciunt ad mores; quippe aliæ sunt regulæ artium, & scientiarum, quæ dirigunt facultates circa factibilia, vel intelligibilia; aliæ morum, quæ dirigunt voluntatem, ut sit bona.

Confirmatur ex aliis definitionibus virtutis moralis, quæ ex Philosophis, vel Theologis, aut Patribus dari solent: nam hæc coincidit cum illis; ut cùm dicitur ab Aristotele, [2] *habitus electivus in mediocritate consistens, à recta ratione præfinita, & determinata.* Quid autem sit illa mediocritas, diximus in tr. præcedenti. Dicitur etiam ab eodem [3] *virtus, quæ*

[1] *1.d.17.q.2.O.vel q.3.n.2.*
[2] *2.Ethic.6.* [3] *Ibid.*

quæ habentem facit bonum: unde ab Augustino describitur, [1] *bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & qua nullus malè utitur*, sc. reduplicativè, & quatenus est virtus. Nam fieri potest, ut eodem habitu, qui est pars materialis virtutis, utatur quis ad malum, sicut & bonum, ut mox patebit.

Objic. 1. Virtus ex Aug. consistit in actu; ergo virtus moralis non est habitus. Prob. ant. virtus consistit in bono usu liberi arbitrii; ergo consistit in actu.

Resp. neg. utrumque ant. vel sic dist. virtus actualis, con. virtus essentialiter, & secundum se præcisè, neg. ant. Augustinus ibi loquitur de actibus virtutis, non de virtute secundum essentiam, & in actu primo, quia sic est habitus inclinans ad bonum illum usum liberi arbitrii.

Objic. 2. Virtus naturalis dicitur potentia, seu facultas; sed virtus moralis est naturalis; ergo est facultas, non autem habitus.

Resp. dist. maj. virtus largè, & impropriè, con. propriè, & qualiter de illa hìc agimus, neg. maj. & conf. potentia dicitur quidem aliquando virtus, sed tunc virtus sumitur largè, & impropriè; hìc autem propriè pro habitu inclinante, & juvante potentiam ad operandum.

Objic. 3. Idem habitus, qui inclinat ad bonum honestum, potest etiam inclinare ad actum malum, & est indifferens ad utrumque; ergo virtus non rectè dicitur habitus inclinans ad rectè vivendum. Prob. ant. idem habitus temperantiæ, v. g. qui heri inclinabat ad abstinendum à vino, & rectè, potest hodie inclinare ad idem; sed heri abstinentia illa erat honesta, & hodie potest esse mala, & prohibita; ergo &c.

Resp. neg. ant. & dist. maj. Idem habitus materialiter, & physicè, con. idem formaliter, & moraliter, neg. maj. & min. Nam sicut abstinentia hesterna, & hodierna non est eadem formaliter, sed tantùm materialiter; ita nec habitus ad eas inclinans; heri erat bona, & hodie mala propter circumstantiam prohibitionis, & sic habitus inclinans ad hodiernam non est virtus.

Sic intelligendi sunt Scotistæ docentes eumdem habitum virtutis moralis inclinare indifferenter ad

[1] 2. *lib. ar.* 6.

ad actum bonum, & malum; sc. loquuntur de habitu materialiter, & nudè in sua entitate physica considerato, non autem formaliter, & reduplicativè secundum rationem virtutis, ut patet in exemplo objectionis.

Quæres, *quid intelligamus nomine rationis, & rectæ rationis.*

Resp. quòd ratio hìc sumitur ex communi usu; & in actu 1. pro ipso lumine mentis nato ostendere objecta, qualia sunt in se, sc. bona, aut mala, & in actu 2. est ipse actus mentis, quo sic ostendit objecta, & dictat illa esse mala, & fugienda, aut bona, & amanda. Uno verbo, ratio ex usu Philosophorum, & Theologorum est actus intellectus dictans, quid faciendum sit, vel omittendum. Et si dictat verè, ita ut id, quod dictat omittendum, sit verè malum, & quod dictat amandum, sit verè bonum, & faciendum, tunc dicitur *recta ratio*.

Distinguit etiam August. [1] *rationem* à *ratiocinatione*: nam inquit, *Ratio est quidam mentis aspectus; ratiocinatio est rationis inquisitio*.

Ex allatis definitionibus virtutis moralis patet, quòd finis ejus est moderatio appetituum, seu passionum humanarum, ut medium teneant inter excessum, & defectum, juxta dictamen rectæ rationis: & licèt id sit commune omni virtuti, ut ad mediocritatem quandam reducant actiones nostras; tamen hoc speciale est moralibus, non solum ut medium teneant in actibus, sed etiam circa objecta; quia cùm sint limitata in sua bonitate, & malitia, peccari potest circa illa per excessum, vel defectum, si ea prosequamur ultra, vel citra meritum, ut diximus aliàs de bonitate, & malitia morali.

QUÆSTIO II.

Quæ, & quot sint virtutes Cardinales.

Virtutes istæ multipliciter dividi solent à Philosophis, & Theologis. 1. Ratione subjectorum, seu potentiarum animæ, quas perficiunt; & sic aliæ sunt *intellectuales*, ut sapientia, scientia, & fides, quæ

[1] *De Spir. & An.*

perficiunt intellectum. Aliæ *appetitivæ*, quæ perficiunt voluntatem, ut fortitudo, temperantia, & justitia 2. Ratione principii effectivi; & sic aliæ sunt supernaturales simpliciter, & per se infusæ, quæ à solo Deo infunduntur supernaturaliter in animam, ut diximus de fide, spe, & charitate. Aliæ *acquisitæ*, & naturales, quæ per actus nostros frequentatos acquiruntur, ut morales istæ, de quibus solis hic agimus. 3. Ratione objectorum; & sic aliæ sunt *Theologicæ*, quæ immediatè, & directè respiciunt Deum. Aliæ purè *Morales*, quæ respiciunt immediatè objecta creata, & præcipuè actus humanos, ut temperantia, fortitudo, &c. 4. Istæ spectantur per ordinem ad personas; & sic aliæ sunt, quæ dirigunt operationes; & aliæ, quæ versantur circa passiones moderandas; & aliæ, quæ perficiunt operantem in ordine ad seipsum; ut eadem temperantia, & fortitudo; & aliæ, quæ dirigunt eundem operantem in ordine ad alios, ut justitia, quæ est virtus ad alterum. 5. Ratione perfectionis singularum; & sic aliæ sunt *Heroicæ*, quia sunt excellentes, ad quas communis hominum vita non attingit. Aliæ *communes*, quæ non ita excellunt. Agimus hic de solis moralibus, & quærimus quot illæ sint?

CONCLUSIO I.

Virtus moralis sufficienter dividitur in quatuor capitales, quæ sunt prudentia, fortitudo, justitia, & temperantia. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui sic probat sufficientiam divisionis virtutum acquisitarum, seu moralium circa creaturam. *Objectum, circa quod perfici potest viator, non potest esse nisi Deus, vel creatura; sed circa Deum sufficienter perficitur tribus virtutibus Theologicis .... Circa creaturam verò, non loquendo de speculativis, intellectus perfectissimè perficitur per prudentiam, si prudentia sit perfectissima.... similiter, quantùm ad appetitum, perfectissime perficitur tribus virtutibus moralibus, si sint perfectissimæ*, &c. ergo ex Scoto virtus moralis sufficienter dividitur in illas quatuor capitales.

Prob.

[1] *3. d.34. B.7.*

Prob. 2. Omnis habitus necessarius homini ad rectè operandum circa objecta creata, vel est in intellectu inclinans eum ad videndum ea, quæ sunt facienda, aut vitanda, & est *prudentia*; vel est in appetitu, seu voluntate, quatenus appetit sibi bona, & fugit mala, & ad hoc sufficiunt *temperantia*, & *fortitudo*; vel quatenùs amat alios, & appetit eis bona; & ad hoc sufficit *justitia*; ergo, &c.

Prob. denique; quia nulla est virtus moralis, quæ ad unum ex istis membris reduci non possit; ergo istæ quatuor comprehendunt omnes virtutes morales, & nulla ex eis superfluit; ergo hæc divisio est adæquata.

Confir. 1. ex Script. Nam inquit Sapiens [1] *Sobrietatem, & prudentiam docet, & justitiam, & fortitudinem, quibus utilius est nihil in vita hominum.* Ubi vides has quatuor virtutes ad vivum expressas.

Confir. 2. ex Patribus. Nam D. Gregorius [2] comparat eas quatuor angulis domus Job, quos concussit ventus, ut eam everteret. *In quatuor angulis domus ista subsistit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit.* Alii comparant eas quatuor fluviis Paradisi, ut Ambrosius, [3] & August. [4] *Nemo prohibet intelligi Paradisum vitam bonorum, & quatuor ejus flumina quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & justitiam.* Alii 4. ordinibus lapidum vestis sacerdotalis, ut Hieronymus, [5] &c.

Objic. 1. ex Phil. liberalitas, magnificentia, magnanimitas, amicitia, gratia, mansuetudo, affabilitas, veracitas, & urbanitas sunt veræ virtutes morales; sed istæ non comprehenduntur sub illis quatuor; ergo hæc divisio non est adæquata.

Resp. neg. min. Nam istæ singulæ ad aliquas ex illis facilè reducuntur, ut patebit ex dicendis de illis in particulari.

Objic. 2. Diversitas virtutum moralium petenda est ex objectis formalibus; nam ab ipsis specificantur, non autem à materialibus; sed objecta formalia plura sunt; ergo & virtutes morales. Prob. min. honestas humilitatis alia est ab honestate temperantiæ, & castitatis, & virginitatis, & fortitudinis; uno verbo,

[1] *Sap.* 8. [2] 2. *mor.* 27. [3] *c.* 6. & 17. *Luc.*
[4] 13. *civ.* [5] 21. *Ep. ad Fab.*

istæ omnes honestates formales non sunt eædem cum honestatibus illarum 4. virtutum; ergo, &c.

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam licèt illæ virtutes particulares habeant singulæ proprias honestates in sua specie diversas ad invicem, tamen continentur sub honestate generica alicujus ex illis quatuor, sicut species sub generibus continentur.

Inst. Charitas naturalis est vera virtus moralis; sed hæc non continetur sub ulla ex illis quatuor; ergo, &c. Prob. min. Nam per hanc charitatem diligitur Deus propter se, & alia propter ipsum; sed nulla illarum 4. continet, aut inclinat ad hunc amorem; ergo, &c.

Resp. neg. utramque min. Illa enim dilectio, prout respicit Deum, & proximum, facilè reducitur ad justitiam, aut ad aliquam ejus speciem divisivè, aut copulativè; prout autem respicit ipsum amantem, pertinet ad temperantiam, quæ moderatur hunc amorem, ne excedat, aut deficiat in appetendis sibi bonis.

Objic. 3. Ideò distinguimus temperantiam à justitia, quia hæc appetit bonum aliis, illa verò sibi; sed hæc ratio vana est; ergo justitia, & temperantia non distinguuntur; & sic non sunt quatuor virtutes morales. Prob. min. ex Scoto. Nam, inquit, *Per meum, ac tuum non variatur virtus*; ergo nec *mihi*, nec *tibi* diversificat justitiam à temperantia.

Confir. ex eodem motivo possum velle idem bonum mihi, & aliis, v. g. Castitatem, & jejunium: ergo & per eandem virtutem.

Resp. dist. maj. distinguimus ex eo capite, quasi ab extrinseco, à posteriori, & faciliori via, sine præjudicio differentiæ magis intrinsecæ, & essentialis, con. quasi a differentia sola, & intrinseca, neg. maj. & min. & cons. prob. Nam cùm Scotus dicit, quòd *meum, ac tuum non variant virtutes*, loquitur de habitu, & actu, qui respiciunt eamdem honestatem formalem, & intrinsecam; & id fatemur; at justitia præterquamquòd est ad alterum, respicit bonum, quod optat illi sub formali honestate diversa ab ea, sub qua appetit bonum fortitudinis, & temperantiæ, ut dicemus suo loco.

Per id patet responsio ad confirmationem. Justitia appetit bonum alteri formaliter, & reduplicativè,

pro-

prout est illi bonum, & hæc honestas est diversa ab his. sub quibus fortitudo, & temperantia respiciunt objecta sua. Cùm autem cupio pro aliis castitatem, sicut & mihi, habeo pro motivo formali immediato ipsius castitatis honestatem, non verò utilitatem alienam, saltem directè, sed ad summum indirectè, & per accidens.

Igitur omnis virtus moralis vel est *prudentia* in intellectu, in quo dictat, quæ sint facienda, vel omittenda; vel *justitia* in voluntate, quam inclinat ad rectè gerendum se erga alterum; vel *temperantia* in eadem, & in appetitu concupiscibili, quem moderatur circa appetibilia, & fugibilia, primariò in ordine ad se ipsum; vel *fortitudo* in eadem secundum appetitum irascibilem, quem inclinat ad prosecutionem boni proprii contra impedimenta eorum, aut ad sustinenda mala terribilia, & difficilia.

Dixi autem in conclusione, *sufficienter dividitur*; non enim negamus, quin aliter dividi posset virtus in communi, sc. in plura, vel pauciora membra, ut docet Scotus, [1] sed hæc sufficiunt nobis.

Porrò istæ Cardinales adhuc dividi solent 1. in *exemplares*, quæ sunt velut ideæ, ac exemplaria aliarum virtutum; & istæ sunt in Deo, *in quo sunt omnes virtutes morales sine accidentalitate*; & 2. *politicas*, quæ respiciunt bonum regimen Reip. qualis fuit spiritus ille prudentiæ datæ consiliariis Moysi, [2] *quos replevi spiritu prudentiæ* (inquit Deus) [3] *& excelsis illis hominibus, qui dicuntur prudentia sua præditi, & immorantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis*; & in Salomone, [4] *cui dedit Deus sapientiam, & prudentiam multam nimis*. 3. *Purgatorias*, quæ ad animi passiones purgandas, moderandas, & frænandas inserviunt; & hæ tales debent esse in hominibus, ut insurgentes hos motus subjiciant rationi, contra quam solent moveri: nam *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*, &c. 4. denique *animi purgati*, quas Platonici dicunt *contemplativas*, quia supponunt hominem liberum ab omni perturbatione, vel renitentia passionum, ut liberè, & expeditè, imò cum delectatione, & gaudio operetur actus omnium virtutum. Istæ dicuntur etiam

[1] 3. d. 33. *R.* 12. [2] *Exo.* 28. [3] *Eccl.* 44. [4] 3. *Reg.* 4.

Heroicæ. Talis fuit patientia Job, obedientia, & fides Abrahæ, cùm jussus est immolare filium suum: tales omnes virtutes Christi, & Mariæ Deiparæ.

QUÆSTIO III.

De connexione virtutum moralium inter se, & cum Theologicis.

VOlunt Stoici, quòd qui habet unam virtutem, habeat & cæteras omnes, sicut & qui habet vitium unum habeat omnia. Nos autem de peccatis diximus, ea non esse sic connexa, sed distinctissima. Videndum restat de virtutibus, an sic connectantur?

Possunt autem virtutes considerari in triplici statu, sc. in statu *imperfecto*, ut est virtus inchoata, & in gradu remisso, & sic est dispositio potiùs ad virtutem, quàm virtus vera. 2. in statu *perfecto*, & talis est virtus adulta, intensa, & firma circa suum objectum; v. g. perfecta temperantia in frænandis propriis concupiscentiis, & appetitibus voluptatum. 3. in statu *Heroico*, & superexcellenti, in quo sedatæ sunt omnes passiones, & ita subjectæ rationi, ut sine ulla difficultate voluntas sequatur dictamen rationis.

Item possunt singulæ considerari secundum propriam, & intrinsecam suam perfectionem in sua propria specie in ordine ad moderationem appetitus concupiscibilis circa delectabilia; vel quoad perfectionem extrinsecam, & per ordinem ad aliena objecta; v. g. eadem temperantia in ordine ad moderationem talis appetitus, etiam in casibus gravium oppositionum, & difficultatum, quæ vincendæ sunt, ut eliciat suos actus; nam tunc videtur egere auxilio fortitudinis.

Item Quæstio procedit maximè de habitibus talium virtutum: Nam de actibus non videtur posse negari, quin aliquando possit haberi actus unius virtutis, v. g. justitiæ, qui non sit ullo modo actus fortitudinis.

Denique virtutes comparari possunt vel appetitivæ cum intellectuali, sc. cum prudentia; vel appetitivæ inter se, aut cum Theologicis, [1] & maximè cum charitate, & quoad hoc jam diximus tr. super. quòd

[1] *Disp.* 10. *q.* 4.

quòd charitas non est forma intrinseca aliarum virtutum ita, quin istæ possint existere sine illa.

CONCLUSIO I.

V*Irtutes morales, etiam quoad habitum perfectum, non sunt ita connexæ, quin una possit haberi sine alia*. Est Doctoris cum suis contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Virtutes morales nec secundum genera, quæ communiter assignantur, justitia, fortitudo, & temperantia, nec secundum illa generaliora, quæ priùs assignavi, sunt necessariò connexæ .... quia una virtus est aliqua perfectio hominis, sed non totalis, sufficeret enim tunc una virtus moralis*, &c.

Prob. 2. ex Patribus; nam in Dialogo contra Pelagianos dicitur quidem, Philosophos sensisse, virtutes ita connexas esse, ut non possit haberi una sine aliis, *sed*, inquit ille S. Doctor, [2] *hæc fuit Philosophorum sententia, sed non Apostolorum. Neque enim mihi curæ est, quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat*. Idem patet ex August. [3] *Non enim ista divina sententia est, qua dicitur, qui unam virtutem habuerit, omnes habet, eique nulla inest, cui una defuerit. Sed hominibus hoc visum est multum quidem ingeniosis, studiosis, sed tandem hominibus* (qui falli possunt) *Unde pudicitia conjugalis* in fœminisque Religiosis, *cùm proculdubio virtus sit; non enim aut nihil, aut vitium est; non tamen secum habet virtutes*, &c. Et laudat Hieronymum, ad quem hoc scribit, *quòd in ipso opere splendido contra Jovinianum etiam hoc de Scripturis sanctis diligenter probavit*. Et idem ipse probat solidè in reliqua illa Epistola, &c. ergo ex Patribus virtutes non sunt necessariò connexæ; & si quidam aliquando videantur id sentire, loquuntur ex sententia Philosophorum, non ex sua.

Prob. 3. quia singulæ virtutes morales sunt perfectiones realiter inter se distinctæ; & nulla earum est pars alterius; una potest acquiri sine alia, nec adest ulla ratio connexionis earum inter se; ergo non sunt ita connexæ, quin una possit haberi sine alia, etiam in statu perfecto, & intenso. Ant. patebit solutione objectionum.

[1] 3. *d*.36. *B* 9. [2] L. 1. [3] *Ep*. 29.

Prob 4. Possunt haberi actus veri, & perfecti unius virtutis moralis, v. g. justitiæ absque actibus aliarum; v. g. potest quis velle reddere unicuique suum, quamvis immoderatè afficiatur circa venerea; ergo potest acquiri habitus justitiæ sine acquisitione temperantiæ. S. Tho. concedit ant. de habitu physicè, & in genere naturæ. Prob. conf. habitus isti acquiruntur per actus proprios circa objecta singularum; ergo per actus justitiæ non acquiritur habitus temperantiæ. Nam potest aliquis odisse retentionem alieni ex motivo honestatis justitiæ, & intemperanter ferri in voluptates cibi, & potius; potest alius esse perfectè moderatus circa venerea, & immoderatè appetens honores, aut divitias; ergo & potest acquirere habitum castitatis, & habitum ambitionis, aut avaritiæ; ergo & unam virtutem sine alia, etiam in genere moris.

Confir.1. Nam duæ virtutes specie differentes sub eodem genere, v. g. castitas conjugalis, & virginitas debent magis connecti, quàm duæ diversorum generum, ut justitia, & temperantia; sed virtutes sola specie differentes non sic connectuntur, quin una possit acquiri sine alia, etiam in gradu intenso; nam B. Anna v. g. fuit castissima, & non Virgo; ergo, &c.

Confir.2. Nam experimur in nobis majorem inclinationem, & facilitatem ad unam, quàm ad aliam, v. g. ad justitiam, quàm ad misericordiam, aut ad castitatem, quàm ad liberalitatem, vel humilitatem; ergo, &c.

Confir. 3. ex dictis de connexione virtutum Theologicarum; nam istæ non sic connectuntur, quin una possit haberi sine alia; v. g. fides sine charitate; ergo à fortiori morales possunt haberi separatim; nam istæ non infunduntur, saltem per se, sed acquiruntur seorsim, & successivè.

Objic.1. Patres docent virtutes omnes esse connexas. Nam, inquit Ambros.[1] *Sapientum definitione, in quo una virtus est, concurrunt cæteræ. Non potest sine justitia esse prudentia*. Et Hieron. [2] *Non semper eidem virtuti danda est opera; sed, sicut scriptum est, ibunt de virtute in virtutem, de alia transeun-*

[1] 2. *offic*.8. [2] *Ep. ad Fab.*

eundum est ad aliam; quia hærent sibi, & connexæ sunt, ut qui una caret, omnibus careat. Et id probat ex Script. & Philosophis, comparans hominem virtuosum citharæ, *cui si una virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce resonare. Philosophorum quoque sententia est, hærere sibi virtutes.* Et August. [1] *sic virtutes sunt in animo humano, quamvis alio, & alio modo singulæ intelligantur, nullo tamen modo ab invicem separantur*; ergo ex Patribus virtutes morales sic connectuntur, ut non possit haberi una sine alia.

Resp. neg. conf. Nam, ut patet ex verbis SS. Patrum, loquuntur ex mente non sua, sed Philosophorum. *Sapientum definitione*, ait Ambros. qui licèt unam virtutem communem dicat, adhuc quadripartitam docet. Et quoad Hieron. & August. vidimus eos nobiscum sentire.

Resp. 2. Patres, dum sic loquuntur, intelligendos esse de virtutibus non secundum se ipsas in sua perfectione specifica, sed in hominibus, qui ut sint perfecti, debent habere omnes.

Inst. S. Hieron. [2] non solùm Philosophos, sed etiam Scripturam citat; ut cùm ex S. Jacobo dicit, *cui una defuerit, huic omnes deesse virtutes*; ergo non ex sola Philosophorum mente, sed ex mente Spiritus Sancti dicit, omnes virtutes esse connexas.

Resp. neg. ant. Nam, ut vidimus, ipse in nostra est sententia, quam propugnavit contra Jovinianum, ut notat Augustinus.

Inst. 2. D. Gregor. [3] ex propria mente dicit: *Hoc sciendum est, quia quisquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet, cùm vitiis ex aliqua parte non subjacet .... una itaque virtus sine aliis vel nulla est omnino, aut imperfecta*; ergo nulla virtus est perfecta sine aliis.

Resp. dist. ant. ratione subjecti, seu hominis, & ad meritum vitæ æternæ, con. absolutè, & secundum se, neg. ant. Nam Gregor. vult solùm, quòd ad virtutem meritoriam homo careat peccatis, & habeat omnes virtutes, quæ ad bonitatem operis concurrere debent ex necessitate præcepti. Denique loquitur *de virtutibus, prout sunt habitus, qui sunt principia me-*

[1] *In c.16. Isa.* [2] *Ibid.* [3] *22. mor.1.*

rendi .... *habens temperantiam moralem non meretur, nisi comitetur humilitas; vel saltem si oppositum vitium inest ei*, inquit Doctor. [1]

Objic.2. Vera virtus non potest deviare à rectitudine circa suum objectum; sed unica virtus moralis sine aliis deviare potest; ergo una sine aliis non est vera virtus. Maj. patet ex August. [2] *Charitas, quæ deseri potest, nunquam fuit vera*. Prob. min. Temperantia v. g. non retineret hominem ab excessu in potu, urgente gravi tentatione, aut periculo, nisi juvaretur à fortitudine, & prudentia; & sic de aliis; ergo, &c.

Resp. neg. min. & ant. Nam temperantia semper, quantum est ex se, inclinaret sufficienter hominem ad abstinendum ab excessu, si vellet uti sua libertate.

Inst. Si vinceret tentationem illam, non temperaret se delectabiliter; ergo id non faceret ex solo habitu temperantiæ; quia de ratione habitus est, ut per eum operemur delectabiliter. Prob. ant. Nam per tentationem inclinaretur in contrarium.

Resp. dist. ant. Non temperaret delectabiliter per accidens, & ratione tentationis impellentis in contrarium, con. per se, & ex parte virtutis, neg. ant. & cons. nam contrarietas tentationis non destruit perfectionem intrinsecam temperantiæ circa proprium objectum suum. Indigentia verò auxilii aliarum, v. g. fortitudinis veniret ex tentatione, v. g. ut contemnat minas, & vincat timorem minarum, quibus urgetur ad potandum immoderatè, &c.

Objic.3. Vera virtus debet perducere hominem ad perfectionem; sed unica virtus id non potest; ergo non est virtus vera sine aliis. Prob. min. Nam homo temperans, si non est justus, & fortis, non est perfectus; ergo, &c.

Resp. dist. maj. ad perfectionem partialiter, & suo modo, con. maj. & neg. min. absolutè, & simpliciter, neg. maj. & cons. una enim virtus, v. g. temperantia per se debet reddere hominem solùm perfectè temperantem, non autem perfectum in omni genere virtutum; quis hoc somniaret?

Inst. Homo cum sola temperantia non est perfectus; ergo nec illa virtus sola, & sine aliis est perfecta.

Resp.

[1] *Ibid. D.* 10. [2] *Ser. de oper. miser.*

Resp. dist. ant. Non est perfectus absolutè, & simpliciter, con. non est perfectus in illa virtute, neg. ant. & conf. cum perfecta castitate est perfectus in ea, non autem in aliis omnibus, nec id necessarium est ad perfectionem castitatis in sua specie; sicut homo potest esse perfectus in Medicina, licèt non sit perfectus in Mathematica.

Igitur dupliciter intelligi potest, unam virtutem ab aliis dependere, ut sit perfecta 1. *extrinsecè*, quatenùs in consortio aliarum integrat perfectionem hominis, ut careat omni vitio, & in omni materia, & occasione inclinetur ad bonum, & benè operetur; & quatenus una virtus in consortio aliarum cum majori efficacia, & minoribus impedimentis elicit actus suos; v. g. mulier perfectè casta, justa, & fortis, & carens omni vitio faciliùs, & perfectiùs servabit castitatem; quia per has alias virtutes munitur contra tentationes timiditatis, avaritiæ, & injustitiæ, quibus trahi posset ad impudicitiam. Hoc sensu fateor connexas esse virtutes, & ab invicem dependere in actibus suis, sed hæc dependentia est extrinseca singulis. 2. *Intrinsecè* ita ut una sine alia non possit perfectè operari circa suum objectum ex sua ratione intrinseca, & formali. Hoc sensu negamus illam mutuam dependentiam, & connexionem; Nam sicut una non attingit objectum alterius, v. g. Misericordia non attingit objectum justitiæ, nec vicissim; sic singulæ seorsim possunt elicere actus suos in propria materia, illa miserendo pauperis, ista restituendo ablata, æquè ac si ambæ non essent in eadem anima.

Hoc patet ex S. Gregorio [1] de virginibus; nam 5. fatuæ tam verè dicuntur virgines, quàm 5. prudentes, licèt illæ carerent oleo humilitatis, aut charitatis, ac prudentiæ. Sic facies hominis absolutè dicitur pulchra, si omnes, & singulæ partes ejus, frons, oculi, nasus, os, labia, genæ sint optimè dispositæ, & formatæ. Si autem aliquæ deficiunt, aliarum venustas intrinseca non devenustatur. Sic in sensibus, si desit auditus, non deficiet visus, & quidem perfectus, &c. Totus autem iste homo non dicetur perfectus, benè verò illi sensus, & partes; v. g. tactus, visus, oculi, nasus, &c.

[1] *Ho.12. Euang.*

Objic.4. Homo non potest perfectè operari actus unius virtutis, v.g. castitatis, quin intermisceat actus aliarum, v.g. prudentiæ, & fortitudinis, saltem moraliter loquendo; ergo moraliter una virtus non est perfecta sine aliis.

Resp. ex dictis, dist. ant. per accidens, & extrinsecè, con. per se præcisè, & ex ratione sua intrinseca, neg. ant. v.g. si mulieri in occasione servandæ castitatis occurrat tentatio avaritiæ, egebit auxilio tum castitatis, tum liberalitatis, seu virtutis oppositæ avaritiæ; sed hoc erit extra rationem intrinsecam castitatis, & per accidens.

Objic.5. Virtutes omnes dicuntur concordes, & sorores; ergo sunt connexæ, & non separabiles. Ant. patet ex Phil. *Sorores ad invicem virtutes sunt*. Prob. conf. ex Ambrof. [1] cit. *Connexæ sibi sunt, & concatenatæ, ut qui unam habet, plures habere videatur*; ergo, &c.

Resp. neg. conf. Nam per hoc dicuntur *sorores, & concordes*, quia omnes in unum finem ultimum tendunt, & sese mutuò juvant in occasionibus, sed non sequitur, quin singulæ seorsim suum habeant objectum, & officium, & suos actus proprios.

CONCLUSIO II.

Virtutes morales appetitivæ non sic necessariò connectuntur cum prudentia, quin hæc possit haberi sine illis; sed non appetitivæ sine prudentia. Est etiam communis Scotistarum contra eosdem.

Prob.1. ex Scoto. [2] *Potest dici, quòd rectum dictamen simpliciter stare potest in intellectu absque recta electione illius dictati in voluntate; & ita cùm unicus actus rectæ rationis generet prudentiam, generabitur prudentia in intellectu absque habitu virtutis moralis*; ergo Prudentia potest esse sine virtutibus appetitivis, licèt istæ non possint esse sine illa. Nam inquit, [3] *Virtus moralis semper sequitur ordine naturæ prudentiam aliquam, ex electione finis particularis, v.gr. castitatis generatur virtus moralis. Igitur istam electionem præcedit aliqua prudentia*.

Prob.2. Nam potest haberi perfecta prudentia sive quo-

[1] 1. *offic*.26. [2] *Ibid*.G.20. [3] *Ibid.n*.18.1.

quoad actum, sive quoad habitum absque ullo actu virtutis appetitivæ; ergo Prudentia non connectitur necessariò cum virtutibus appetitivis. Ant. patet ex dictis tum in Philosophia [1] de libertate voluntatis, tum in præcedentibus, maximè de actibus humanis, ubi sustinemus, voluntatem non determinari in actibus suis per judicium practicum intellectus, etiam ultimum, sic quin posset illud non sequi, & in hoc, præcipuè consistit ratio libertatis. Prob. conf. Nam si actus prudentiæ possint esse sine actibus virtutum appetitivarum; ergo per illos acquiri potest habitus ejus sine habitu illarum; ergo habitus prudentiæ potest haberi sine aliis virtutibus.

Confir.1. Nam cum quovis dictamine recto prudentiæ circa temperantiam possum vivere intemperatè, & sic amittam habitum temperantiæ, retento habitu prudentiæ etiam particularis; ergo illi habitus sunt separabiles. Prob. ant. ex famoso Axiomate; *Video meliora, proboque, deteriora sequor*. Item ex Script. & Patribus, quibus constat, peccatores sæpissimè agere contra dictamen conscientiæ. Apostolus queritur de peccatoribus, *qui cùm Dominum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt*. Et August. cit. à Scoto dicit, eos *absorberi vivos, qui sciunt malum esse, & lingua consentiunt*. Et explicans illud, [2] *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, quia sc. scientes se non debere consentire vitiis, consentiunt tamen, *Ecce norunt Muscipulam, & pedem ponunt*. Item in hæc verba, *Concupivit anima mea desiderare*, addit, *Præcedit intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus*.

Confir.2. Nam si voluntas sequeretur necessariò dictamen intellectus, frustrà diceret aliàs Apostolus; *scienti bonum, & non facienti peccatum est illi*; quia nō posset voluntas non facere bonum, quod illi proponeretur ab intellectu faciendum.

Prob.2.p. Nam de essentia virtutis moralis est, ut inclinet in bonum honestum juxta dictamen rectæ rationis; ergo nulla virtus moralis acquiri potest sine prudentia, quia ejus est dictare de bono honesto, & de malo. Prob. ant. ex definitione virtutis moralis: nam ideò actus temperantiæ bonus est moraliter, & lau-

[1] *d.1. q.1. con.2.* [2] *Psal.69.*

laudabilis, quia est conformis dictamini rectæ rationis; alioqui non esset actus humanus, nec liber magis, quàm actus dormientis, aut delirantis; ergo, &c. Hæc magis patebunt ex dicendis de prudentia.

Objic.1. con.1. p. ex Philos. [1] *Impossibile est prudentem esse quempiam, nisi ut bonus*. Et, *Conjugata est prudentia virtuti moris, & ista prudentiæ*. Item, *nec fieri potest, ut idem simul sit prudens, & incontinens, non quia sciat solùm, sed quia actuosus sit, prudens est*; ergo prudentia non potest esse sine aliis virtutibus appetitivis.

Resp. dist. illos textus. Impossibile, id. difficile, & rarum, con. absolutè, & physicè, neg. ant. & cons. docet Philosophus difficile, & rarum esse, ut qui prudens est, & scit bonum, quod, & quomodo faciendum est, non faciat illud, & sic non sit castus, justus, &c. Nam recta conscientia, quæ proponit voluntati bonum, quod præcipitur, & malum, quod vetatur, cum præmiis, & pœnis inde sequentibus attrahit voluntatem ad bonum, & retrahit à malo, ita ut sine magna depravatione, aut malitia non possit non conformare se tali dictamini; sed absolutè id posset pro sua libertate.

Objic.2. Voluntas non deligit malè, nisi quia intellectus dictat malè; ideò dicitur, *omnis peccans est ignorans*. Et, ut loquitur Sapiens, [2] *Errant, qui operantur malum*; ergo prudentia non habetur sine aliis virtutibus.

Resp. neg. ant. Nam Sapiens, & Philosophus loquuntur de errore latè sumpto pro deviatione tam à bono, & recto, quod accidit in peccante, quàm à vero, quod est defectus scientiæ, aut prudentiæ; sed hæc non semper sunt simul, ut patet ex dictis de peccatis, & de conscientia.

Inst. *Prudentia est conformis appetitui recto*; sed appetitus rectus est à virtute voluntatis; ergo sine ista non habetur prudentia. Ant. patet ex Philosopho. [3]

Resp. dist. maj. conformis, quia dictat, ut appetitus sit rectus; & si appetitus est rectus, est conformis prudentiæ, con. ita ut rectitudo prudentiæ veniat ex rectitudine appetitus, neg. maj. & cons. nam rectitudo appetitus est effectus, non causa rectitudinis prudenden-

[1] 6. *Eth.* 16. [2] *Prov.* 14. [3] *Ibid. c.* 3.

dentiæ: hæc dirigit illum, non dirigitur ab illo.

Objic.3. Patres docent, voluntatem non posse discordare à lumine prudentiæ ostendentis bonum, & malum; ergo non potest haberi prudentia sine aliis virtutibus. Prob. ant. nam inquit D. Dionys. [1] *nemo intendens ad malum operatur*. Et August. [2] *Obumbratio mentis sequitur eos, qui legem Dei transgrediuntur*; ergo non est defectus in voluntate, nisi ex defectu prudentiæ; ergo voluntas non potest discordare à prudentia.

Resp. neg. ant. & cons. prob. Nec enim id docent SS. Patres. Dionysius docet, quòd in omnibus actibus nostris quærimus aliquod bonum, non autem malum ut malum; & August. quòd ex transgressione legis divinæ nascitur obscuritas mentis; quia retrahitur lumen gratiæ, vel contrahitur habitus pravus, & foventur passiones, quæ turbant rationem, & avertunt à lege Dei.

Inst. ex eodem August. [3] Prudentia non est, nisi temperans, & justa, & fortis sit; ergo prudentia non existit sine aliis virtutibus.

Resp. neg. cons. Nam August. ibi loquitur de mente Stoicorum, *qui persuadent, quòd qui unam habuerit virtutem, habet omnes .... quod prudentia non est ignava, nec injusta, nec intemperans esse potest. Si aliquid horum fuerit, prudentia non erit*: hanc autem opinionem postea reprobat cum Hieronymo. Et meritò; nam Christus D. prudentiam reperit in peccatoribus dicens, quòd *filii tenebrarum sunt prudentiores filiis lucis*.

CONCLUSIO III.

Virtutes Theologicæ, & morales non sunt inter se connexæ, saltem necessariò. Est communis.

Prob.1. ex dictis [4] tra. sup. sc. virtutes Theologicas esse separabiles tum à se invicem, tum à moralibus. Certè pueri in Baptismo recipiunt tres infusas, nec sunt capaces acquirendi morales, & morales aliquę fuerūt in Philosophis Ethnicis sine Theologicis.

Patet etiam ex dictis [5] de charitate, sc. quòd aliæ om-

[1] 3. *div.no.* [2] 5. *in Ps.2.* [3] *Ep.29.*
[4] *Disp.2. q.6. con.2.* [5] *D.10.q.4.*

omnes sunt veræ virtutes etiam seorsim à charitate; & quòd hæc non est earum forma intrinseca, sed tantum extrinseca, quatenùs sine illa non habent meritum apud Deum, nec sanctificant habentes.

Confir. ex Scoto, [1] qui citat Can. *si quis* dist. 3. de Pœnit. in quo dicit August. de Hæretico, & Schismatico, quòd *si moriatur, nec neget Christum, numquid ejus patientiam commendabimus?* ergo habet patientiam, & non charitatem. Et certè definitio virtutis moralis potest perfectè salvari in aliquo sine virtute Theologica.

Prob. denique ex censura hujus propositionis Baianæ. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia.* Nam hinc sequitur, quòd de mente Ecclesiæ aliqua opera infidelium sunt honesta, & non mala; & aliquæ veræ virtutes fuerunt, sed illi non habuerunt fidem, neque charitatem, nec spem Theologicam; ergo possunt haberi virtutes morales sine Theologicis.

QUÆSTIO IV.

De causa efficiente virtutum moralium.

QUærimus hìc, an virtutes istæ habeantur à natura, sicut aliquæ facultates corporis, & animæ. An à solo Deo, ut Theologicæ & supernaturales in substantia, & per se infusæ. An verò acquirantur per actus iteratos illarum; & sic dicentur esse naturales in substantia.

Non dubitatur, quin multis à natura dentur quasi semina, & dispositiones ad aliquas harum virtutum, vel etiam ad omnes in his, quos videmus ad illas ex indole, & temperamento proniores, & promptiores præ aliis, qui propensiores sunt ad opposita vitia; & hoc sensu gloriabatur Sapiens, quòd *sortitus erat animam bonam*, id est ad bonum procliviorem ex temperamento. Quæstio procedit de ipsis habitibus formaliter, & in facto esse, & in statu perfecto.

Nec etiam dubitatur, quin possint infundi à Deo, nec quin de facto, & per accidens sæpe ab eo infundantur illi habitus; sed dubitatur, an infundantur per se, & necessariò, ita ut ordinariè non acquirantur.

CON-

[1] *Ibid. Q. 25.*

CONCLUSIO I.

Virtutes morales non sunt à natura, sed ordinariè acquiruntur per usum. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam inquit: *Virtus cum omnibus, quæ sunt de per se, ratione virtutis generatur ex actibus conformibus rectæ rationi*; ergo virtus non est à natura, sed acquiritur per actus conformes rectæ rationi. Idem docet Aristoteles: [2] *Morales virtutes ex assuetudine fiunt; unde & habent nomen parumper à natura declinans; unde manifestum est nullam moralium virtutum à natura nobis inesse*.

Prob. 2. ex Script. hortatur nos Sapiens, ut acquiramus sapientiam, & virtutes. [3] *Posside sapientiam, quia auro melior est; acquire prudentiam, quia argento pretiosior est*. Item, *Sicut mel dulcissimum est gutturi tuo; sic & doctrina sapientiæ, quam cùm inveneris, habebis in novissimo spem*; ergo ex Scriptura prudentia est acquisita, non infusa; & idem est de aliis virtutibus moralibus.

Prob. 3. ex SS. Patribus: nam inquit Ambros. [4] *Nulla sine labore virtus; quia labor processus est virtutis*. Et Chrysost. [5] id probat, quia si à natura essent virtutes, omnes essent virtuosi, aut vitiosi, sicut participant æqualiter naturam. *Omnes mali, & vitiosi, vel omnes boni, aut virtuosi essemus*. Unde concludit, *actibus propriis hominem fieri bonum, vel malum*, &c.

Prob. 4. Si à natura essemus virtuosi, non possemus assuefieri vitiis; sed contrarium constat experientia; ergo, &c. Prob. maj. nam quia lapis est à natura gravis, & ignis levis, numquam ille assuescit motui sursum, nec iste deorsum; ergo ita esset de homine respectu vitii, si esset natura virtuosus.

Confir. Si à natura haberemus virtutes, non egeremus præceptoribus, nec labore ad eas comparandas, nec legislatoribus, à quibus dirigeremur ad illas, & retraheremur à vitiis; is enim est finis Legum, & Legislatorum; ergo, &c.

Confir. 2. Nam experimur, quod per actus honestos

[1] *Ibid. A. n. 5.* [2] *2. Eth. 1.* [3] *Pro. 16.*
[4] *2. de Abrah. 2.* [5] *Ho. 60. in c. 8. Matth.*

ſtos temperantiæ, v. gr. ſimus ad temperandum proniores; ſicut è contra per actus contrarios ſimus ad vitia oppoſita proniores; ergo, &c.

Objic. 1. ex Philoſ. [1] *Ut juſti ſimus, & temperati, & fortes, & alia hujuſmodi, ſtatim à nativitate habemus*. Et ex Platonicis apud Marinum; *Naturales virtutes omnes, cum quibus naſcimur*; ergo Virtutes habemus à natura.

Reſp. diſt. conſ. A natura quoad diſpoſitiones aliquas, & ſemina quædam imperfecta, con. quoad habitus in ſtatu formali, neg. conſ. nec enim id ſomniarunt Philoſophi. *Semina in corporibus humanis divina diſperſa ſunt, quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt*, inquit Seneca: [2] & alibi: [3] *Quidam ex hominibus egregiam ſortiti indolem in ea, quæ tradi ſolent, perveniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complexi ſunt*, &c.

Objic. 2. ex Script. Sapiens gloriatur, quòd *ſortitus eſt animam bonam*. Et S. Job. [4] *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio; & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum*. Et Gloſſa [5] in Matth. docet, hominem *habere naturalem juſtitiam, caſtitatem, humilitatem*; ergo, &c.

Reſp. diſt. pariter conſ. quoad diſpoſitiones, & propenſiones inchoatas, con. in eſſe formali, & perfecto, neg. conſ. Sapiens ſortitus erat animam ad virtutes propenſam, & Job ad miſericordiam ex temperamento. Et Gloſſa interlinearis ibid. addit, illam pietatem inditam eſſe à Deo. 3. locus nihil aliud docet, niſi quòd virtutes illæ naturaliter acquiri poſſunt.

Idem dicendum ad aliquos Patres, ſc. loquuntur de diſpoſitionibus quibuſdam, quas natura dat ex temperamento, cum quo naſcimur proniores, & aptiores ad aliquas ſcientias, artes, & virtutes, quas faciliùs acquirunt aliqui præ aliis. *Alii ſunt aliis ad virtutem aptiores*, ait Clem. Alex. [6] ſicut etiam aliis alii duriores, & tardiores, & hebetiores.

Objic. 3. Non repugnat, has virtutes eſſe à natura; ergo id illis non eſt denegandum.

Reſp. neg. ant. Nam corpus, & temperamentum pendet maximè à progenitoribus, qui cùm ſæpè non ha-

[1] 6. *Eth.* 17. [2] *Ep.* 73. [3] *Ep.* 90.
[4] *Job.* 31. [5] *c.* 4. 23. [6] 1. *Stro.* 4.

habeant virtutes, non possunt eas dare; & sæpe etiam ab optimis parentibus nascuntur pessimi filii, vel è contra; anima autem est à solo Deo, qui ex se dat animas æquales.

Inst. *Signatum est super nos lumē vultus Dei*,[1] quo etiam rudiores norunt legem naturæ. Et, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, &c. ergo prudentia, & aliæ virtutes sunt à natura.

Resp. eodem modo dist. conf. quoad semina, & dispositiones, con. in statu formali, neg. conf. sunt in ipsa anima rationali quædam semina virtutum; ipsa ratio naturalis dictat de aliquot principiis primis, & generalibus morum, quibus voluntas incipit dirigi ad bonum amandum, & ad malum fugiendum, sed imperfectè, & leviter; nam aliunde *caro concupiscit adversus spiritum*; & sic egemus labore, & studio ad domandas concupiscentias ejus, & eas subjiciendas spiritui, ut iste præferat honesta delectabilibus.

CONCLUSIO II.

PRæter *habitus acquisitos virtutum moralium non sunt admittendi supernaturales per se infusi*. Ita Scotistæ, & alii contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *Non videtur necessitas ponendi virtutes morales infusas, sed acquisitas tantum in his, qui habent eas acquisitas, vel habere possunt, nec etiam in aliis, qui non possunt eas acquirere propter defectum usus liberi arbitrii*, &c.

Prob. 2. quia nulla est necessitas asserendi tales habitus; sufficiunt enim habitus naturales acquisiti; ergo illi non sunt admittendi, ant. patebit solutione rationum, quibus prætenditur eorum necessitas. Prob. conf. communi axiomate; quia *non sunt multiplicanda entia sine necessitate*.

Prob. 3. de temperantia, & fortitudine; nam ex Thomistis, istæ virtutes subjectantur in appetitu sensitivo; sed in hoc appetitu sufficiunt habitus acquisiti, nec solent ibi admitti supernaturales infusi; ergo temperantia, & fortitudo non debent esse per se supernaturales; ergo idem est de aliis.

Con-

[1] *Ps. 4.* [2] *Ibid. O. 28.*

Confir. ex Script. cit. quæ monet, ut acquiramus prudentiam. Et Sapiens [1] tribuit eam acquisitionem laboribus nostris. *Si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes*: [2] *sobrietatem enim, & prudentiam docet*; ergo virtutes morales non infunduntur per se, sed acquiruntur. Prob. conf. nam si à solo Deo deberent dari, frustra moneret, ut in iis acquirendis laboremus.

Confir. 2. Si necessariò deberent istæ virtutes infundi, Concilium Trid. [3] dixisset, eas infundi cum Theologicis in baptismo; & re vera tunc eadem esset ratio de omnibus; sed Concilium de solis Theologicis hoc dicit; ergo morales non sunt per se infusæ, nec supernaturales in substantia. Prob. min. dicit enim, quòd *in justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per I. C. cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*; ergo, &c.

Objic. 1. ex Script. & Patribus, virtutes omnes facientes ad consecutionem vitæ æternæ sunt dona Dei supernaturalia; sed hoc non esset verum, si istæ possent naturaliter acquiri, & sufficerent; ergo debent admitti supernaturales, & infusæ. Prob. maj. de prudentia dicitur: *Qui docet hominem scientiam*. [4] Et, *Beatus homo, quem tu erudieris Domine*. Et de Religione, [5] *Accepistis spiritum filiorum, in quo clamamus abba pater*, sc. spiritum orationis. Item, *Quid oremus nescimus sicut oportet*. De temperantia, [6] *Cognovi, quòd nemo potest esse continens, nisi tu dederis*. Item de omnibus, [7] *Qui tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis*, &c. ergo omnes virtutes sunt dona Dei, non autem habitus acquisiti.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Nam licèt naturales non sufficiant ad opera meritoria salutis, nisi elevatæ per charitatis, & gratiæ dona, non sequitur, quin sint acquisitæ, & naturales in substantia, & secundum se præcisè. Ad textus illos dici potest. 1. scientiam illam, & eruditionem esse donum speciale, non autem prudentiam moralem, *spiritus filiorum* est ipsa charitas, & gratia adoptionis. *Orare sicut oportet* est donum speciale distinctum à virtute religionis. 4. Ipsa castitas naturalis est etiam donum Dei, sicut & reliqua

[1] *Pro. 16.* [2] *Sap. 8.* [3] *Sess. 6. c. 7.* [4] *Ps. 93.*
[5] *Rom. 8.* [6] *Sap. 8.* [7] *Gal. 3.*

liqua omnia bona nostra, vel donum infusum per accidens. 5. Denique omnia bona opera, & virtutes operatur in nobis Deus per gratias excitantes, & adjuvantes nobiscum, & sine præjudicio cooperationis nostræ per habitus, & facultates nostras tam naturales, quàm supernaturales. Quid inde?

Objic.2. Concil. Viennense [1] probabiliorem dicit sententiam docentem, tam *parvulis, quàm adultis conferri in Baptismo gratiam, & virtutes, ut dictis sanctorum magis conformem*; ergo virtutes etiam morales sunt supernaturales, & per se infusæ, sicut aliæ: nam loquitur indefinitè de virtutibus; ergo, &c.

Resp. neg. conf. & dist.. prob. loquitur indefinitè de virtutibus, quæ solent infundi, & de quibus erat quæstio, con. de omnibus tam moralibus, quàm Theologicis, neg. ant. loquitur enim de solis Theologicis, de quibus disputabatur, & quas Tridentini Patres dicunt infundi cum gratia sanctificante. Certè non omisissent morales, si eas quoque infundi credidissent.

Confir. hoc ex Glossa [2] illius clementinæ; nam loquitur de adultis æquè, ac de pueris; sed adulti post baptismum non se experiuntur proniores ad temperantiam, v. g. quàm antea, saltem præcisè, & ex vi sacramenti; ergo non recipiunt ibi tales habitus. Dico, *præcisè, & vi sacramenti;* nam ex vi gratiæ sanctificantis, & gratiarum actualium, quæ tunc abundantiores sunt, non dubito, quin se experiantur promptiores ad bona opera.

Inst.1. Concilium loquitur indefinitè de virtutibus; sed morales tam sunt virtutes, quàm aliæ; ergo loquitur etiam de moralibus.

Resp. ut supra dist. maj. indefinitè de virtutibus, de quibus conveniebant Theologi moderni, con. de quibus non conveniebant, neque tunc disputabatur, neg. maj. & conf. Nam Concilium amplectitur secundam sententiam, quòd sc. *parvulis culpa in Baptismo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunduntur .... tamquam probabiliorem, & dictis sanctorum, ac Doctorum Theologorum magis consonam, & concordem*. Sed opinio de infusione virtutum moralium non est sic concors: Imò est maximè controversa inter eosdem modernos, & præcipuè inter Thomi-

[1] *De SS. Trin.* [2] *Glossa ibid.*

mistas, & Scotistas; ergo de virtutibus moralibus non loquitur Concilium, sed de solis Theologicis, de quibus concordant omnes moderni contra antiquiores, qui negabant Baptismo parvulorum efficaciam gratiæ, & virtutum.

Inst.2. In Dogmaticis locutio indefinita æquivalet universali; ergo dum sic loquitur Concilium, *infundi gratiam*, *& virtutes*, idem est, ac si diceret *omnes virtutes* universaliter.

Resp.dist. ant. nisi ex circumstantiis limitetur, con. si limitatio colligatur ex circumstantiis, neg. ant. & conf. nam per verba allata: *ut consonam*, *& concordem dictis Theologorum modernorum*, apertè colligitur Concilium loqui de solis Theologicis, quia de illis solis concordabant moderni Scotistæ, & Thomistæ, & alii moderni, ut diximus, & ipsa glossa id notat. *De Theologicis non est opinio inter modernos*, *sed de moralibus*; ergo infusionem de moralibus non approbat Concilium.

Inst.3. Imò Concilium determinat aliquid, de quo erat opinio, seu controversia: sed non erat opinio de Theologicis; ergo de his nihil determinat, sed de moralibus.

Resp. dist. maj. de quo erat opinio in materia principaliori, & inter Theologos omnes, con. maj. & neg.min. in re minùs principali inter Theologos partiales, neg. maj. & conf. nam principalior, & generalior controversia inter antiquos, & modernos erat de infusione gratiæ, & virtutum, quam negabant antiqui, & quam moderni concorditer asserebant. De moralibus verò erat opinio inter solos modernos, sc. Thomistas, & Scotistas.

Objic.3. Nisi infantibus infunderentur virtutes morales, si moriantur ante illarum acquisitionem, non haberent eas in cœlo; sed conf. est falsum; ergo illis infunduntur. Prob. maj. non habebunt in cœlo, nisi habitus virtutum, quos habuerint in hac vita; sed hi, qui moriuntur in infantia, non habent acquisitos; ergo, &c.

Resp. neg. min. nam per lumen gloriæ, & charitatem consummatam supplentur abundanter alii omnes habitus pro infantibus, qui non potuerunt acquirere alios.

Resp.2. neg. maj. nam quid impedit, eos infundi cum lumine gloriæ, si ad illorum beatitudinem sint ita necessarii, sicut adversarii volunt, eos infundi in Baptismo cum gratia sanctificante.

Inst. Concil. Trident. [1] dicit, per baptismum *infundi gratiam, & dona*; ergo & virtutes tam morales, quàm Theologicas; nam omnes æquè sunt Dei dona.

Resp. neg. cons. & ant. prob. nam cùm virtutes morales sint naturaliter acquisibiles, non ita strictè sunt dona, sicut supernaturales, quæ à solo Deo possunt haberi. Et de his solis se explicat Concilium dicens; *Hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatem*. Et istarum augmentum postulat Ecclesia. [2] *Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum*. Aliæ verò augentur per novos actus similes illis, per quos acquiruntur.

Objic. 4. SS. Patres docent, omnes virtutes infundi cum gratia, ergo & morales. Prob. ant. Nam inquit Hieron. [3] *Anima, quæ ante peccatum non auri, vel argenti metallo, sed virtutibus radiabat*, (per peccatum) *ablata sunt hæc cuncta, nudata est domus Dei cunctis ornamentis suis*, sc. omnibus virtutibus, etiam moralibus; ergo istæ non erant acquisitæ; nam habitus acquisiti non amittuntur per peccatum. 2. idem patet ex Ambrosio. *Anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis*. 3. ex August. [4] *Opera misericordiæ, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis semper tenenda sunt; quia intus sunt omnes hæ virtutes*. Et addit, quòd Christus *incipiens habitare in mente per fidem utitur virtutibus, quasi ministris suis*. 4. S. Gregor. [5] *In fide, spe, & charitate, & in aliis bonis, sine quibus ad cælestem patriam non potest perveniri, sicuti est humilitas, castitas, justitia, misericordia perfectorum corda non deserit*; sc. hæc permanent in homine justo, & amittuntur per peccatum; ergo infunduntur cum gratia. 5. Idem docet Catechismus Concilii, huic autem (sc. gratiæ) *additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur*; ergo ex Patribus, & doctrina Ecclesiæ vir-

[1] *ibid.* [2] *Ibid. c.* 10. [3] *Præfat. in Jerem. lame.* [4] *Tr.* 8. *Ep.* 1. 10. [5] *Ho.* 5. *Ezech.*

virtutes omnes, etiam morales, infunduntur per se.

Resp. neg. ant. & conf. prob. nam neque isti, neque alii Patres loquuntur de virtutibus moralibus in sensu quæstionis. 1. Hieronymus non est ad rem; nam per peccatum nequidem omnes Theologicæ amittuntur, ut diximus aliàs. 2. pietas, de qua loquitur Ambros. significat charitatem in Deum, quæ per peccatum amittitur: Et licèt ipsa pietas dicatur donum Dei, id dicitur per accidens, & ratione gratiæ actualis, quæ ad illius opera concurrit. 3. eodem sensu loquitur August. nam per eamdem gratiam operatur in nobis illa opera, & per gratias excitantes, & adjuvantes, & per illa opera isti habitus acquiruntur. 4. Idem dicitur ad S. Gregorium. 5. Catechismus autem non potest loqui in alio sensu, quàm ipsum Concilium, quod solas Theologicas memorat.

Objic. 5. Virtutes Theologicæ sunt per se infusæ, & supernaturales in substantia per nos; ergo & morales. Prob. conf. actus virtutum moralium tam debent esse supernaturales ad meritum, quàm actus Theologicarum; sed ut istarum actus sint meritorii, debent esse supernaturales in substãtia; ergo & illæ. Prob. maj. Morales, & Theologicæ habent eundem finem, & idem præmium; ergo & eadẽ principia, & supernaturalitatẽ.

Resp. neg. 1. conf. & dist. 3. negata majori, quoad aliqua, con. quoad omnia, neg. conf. nam Theologicæ habent supernaturalitatem tum ex gratiis actualibus, tum ab ipsis habitibus, à quibus eliciuntur; morales verò ab iisdem gratiis tantùm, vel etiam à Theologicis, quando ab eis imperantur; v. g. à charitate; vel diriguntur; ut a fide; non autem ab ipsis habitibus, à quibus eliciuntur saltem per se.

Inst. Si actus moralium non haberent aliam supernaturalitatem, quàm ab imperio, vel directione Theologicarum, illa non essent proportionata nec fini, nec dictamini, vel imperio, vel præmio; sed conf. est falsum; ergo, &c. Prob. maj. Nam illa sunt supernaturalia in substantia; illi verò tantum extrinsecè, & per accidens; ergo, &c.

Resp. n. maj. & d. ant. supernaturalia ex parte principii partialis elicitivi, seu imperantis, aut dirigentis; isti verò actus tantùm ex parte gratiæ actualis, & principii directivi, aut imperantis, conc. illa totaliter ex

prin-

principiis supernaturalibus, & isti extrinsecè tantùm, neg. ant. Nam actus Theologicarum elicitivè partialiter pendent ab intellectu, & voluntate, quæ sunt facultates naturales; & actus moralium etiam intrinsecè pendent à concursu activo gratiæ supernaturalis, licèt aliunde pendeant tum à potentiis, tum ab habitibus naturalibus.

Objic. 6. Dantur etiam fides, spes, & charitas acquisitæ, & naturales; nam per actus infusarum acquiruntur similes habitus, & hoc non impedit, quin dentur habitus alii supernaturales; ergo ita est de moralibus, sc. dantur earum habitus acquisiti, & infusi.

Resp. neg. conf. Nam objecta Theologicarum sunt supernaturalia, nec possunt attingi naturaliter, sicut objecta moralium.

Objic. denique. Habitus infusi moralium non repugnant; ergo dantur; Prob. conf. nam sine istis homo non esset perfectus in ordine ad media salutis, sicut in ordine ad finem: nam ordinatur ad finem per habitus Theologicos supernaturales in substantia, ad media autem per naturales; ergo &c.

Resp. neg. conf. Nec enim omne possibile de facto existit. Item neg. ant. prob. Nam homo sufficienter perficitur per habitus Theologicarum infusos cum acquisitis moralium.

Constat igitur, causas efficientes harum virtutum esse ipsas potentias animæ cum objectis earum, mediantibus actibus frequentatis earumdem, saltem ordinariè, & per se loquendo. Non enim negamus, quin possint etiam infundi à Deo; sed hoc erit per accidens, & ex speciali gratia, ut contigit Adamo, B. Virgini, &c.

QUÆSTIO V.

De causa intensiva, & remissiva, & corruptiva virtutum moralium: An, & quomodo virtutes istæ augeantur, & minuantur, & corrumpantur.

INtensio, & remissio sunt passiones qualitatis: ideò certum est, omnes habitus virtutum intendi, & remitti, & quidem per additionem, aut detractionem graduum, ut diximus de aliis speciebus qualitatis, sed quæritur, an illud augmentum fiat per singulos actus iteratos, etiam remissiores; v. g. an habitus justitiæ intendatur per singulos actus justitiæ, etiamsi sint remissiores, quàm ipse habitus, ut si habitus sit intensus ut quatuor, & actus tantùm ut duo.

Item quæritur, an una virtus intendi possit non solùm intensivè, & per actus sibi proprios in sua specie, sed etiam extensivè per actus aliarum virtutum; v. g. Habitus temperantiæ per actus justitiæ, aut habitus temperantiæ in cibo, & potu possit acquirere, vel augere habitum temperantiæ in venereis, &c.

3. Quæritur, an eadem proportione, qua crescunt habitus, etiam decrescant, & remittantur, aut corrumpantur.

CONCLUSIO I.

V*Irtutes morales possunt intendi gradualiter per actus ejusdem virtutis, etiam remissiores*. Est communis quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, quòd in intensione charitatis *eadem realitas positiva, quæ est in charitate minore, manet eadem realiter in charitate majore, nec corrumpitur*, &c. ergo intensio fit per additionem novi gradus ad priores; nam quoad hoc eadem est ratio de intensione charitatis, & virtutum moralium, & quidem à fortiori, quia istæ virtutes sunt totaliter acquisitæ, non verò charitas.

Prob. 2. p. 1. sc. quòd possint intendi. Nam Job

[1] *1.d.17.q.3.T.T.vel q.5.n.16.*

Job dicit. [1] *Ab infantia mea crevit mecum miseratio.* Et David: [2] *Ibunt de virtute in virtutem.* Et de vitiis dicitur: [3] *Homo assuetus verbis improperii in omnibus diebus suis non erudietur*; ergo crescunt virtutes, sicut & vitia.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit August. [4] *Sermo meus invenit in cordibus vestris aliquam scintillam amoris Dei gratuiti, nutrite illam. Ad hanc augendam vos vocati estis, ipsa cùm creverit, & flammam dignissimam fecerit, cupiditatum carnalium ligna consumet ... etiam gradus in virtute esse probantur.* Nihil clarius: & Chrysost. [5] *Tanta res virtus est, ut initio sumpto progrediatur, & numquam subsistat; industria enim industriam gignit, & ignavia ignaviam.* Et sic de aliis; ergo &c.

Prob. 4. Nam, ut dicebamus, de ratione omnis qualitatis est suscipere magis, & minus; sed isti habitus sunt qualitates; ergo intenduntur, & remittuntur.

Confir. experientia, qua constat, quòd in materia virtutum quidam sunt incipientes, & valdè imperfecti, quidam perfectiores, & tandem evadunt perfecti, & aliqui perveniunt ad heroicitatem; ergo &c.

Prob. 2. p. de intensione graduali. Nam talis est modus qualitatum, ut intendantur per gradus, ut dictum est in Philosophia; ergo ita est de virtutibus.

Confir. Nam idem est de istis, ac de aliis habitibus intellectus, & voluntatis, v. g. de habitibus scientiarum, & artium, sed isti intenduntur per gradus: ergo & virtutes.

Prob. 3. p. sc. quòd *singulæ per actus proprios intenduntur* 1. ex loco citato Sapientis: [6] *Homo assuetus verbis improperii in omnibus diebus suis non erudietur*; ergo sicut habitus vitiorum crescunt per actus proprios singulis, ita est de virtutibus. 2. id patet de habitibus scientiarum, & artium: certum enim est, quòd qui in una arte sæpius se exercet, citiùs evadit perfectus, quàm qui rariùs, & qui frequentat actus saltandi, non acquirit habitum fabricandi, vel è contra.

[1] *Job.* 11. [2] *Ps.* 83. [3] *Ec.* 23.
[4] 50. *ho.* 9. [5] *Ho.* 8. *act.* [6] *Ec.* 23.

tra. 3. quia per eosdem actus intenduntur habitus, per quos generantur; sed generantur per actus proprios circa speciale objectum, & materiam; ergo & intenduntur per similes.

Prob. p. 4. de actibus remissioribus; nam omnes actus virtutis, sicut & aliorum habituum, etiam remissi, sunt activi; ergo omnes, & singuli debent aliquid operari: sunt enim causæ necessariæ, & naturales; sed non possunt minus operari, quàm aliquem gradum sibi proprium, & similem; ergo habitus virtuosi acquirunt novos gradus intensionis per novos suos actus etiam remissos.

Prob. 2. & confir. præcedens argum. nihil impedit, quominùs habens habitum psallendi ut quatuor, perficiatur, & acquirat majorem facilitatem per actus psallendi remissiores, v. g. per actus ut duo, vel tria; ergo de facto ita est; nam actus illi respectu suorum habituum sunt causæ necessariæ, & naturales; ergo semper agunt, quantum possunt. Prob. ant. tùm experientia, qua constat, nos per tales actus fieri promptiores, & doctiores: Citharędus leniter pulsat, & tang t fides, & movet digitos, ut se præparet ad perfectiùs pulsandum: tum quia, si quid obstaret, id esset vel habitus intensior præexistens, vel ipsa potentia; sed neutrum dici potest; ergo nihil obstat. Prob. min. 1. non ipsa potentia; nam hæc de se est indifferens, & sicut potuit recipere ab actu remisso unum primum gradum habitus, sic & potest alios, & alios usque ad summum. 2. non ex habitu præexistente; nam quatuor gradus præexistentes sunt homogenei, & ejusdem speciei cum 5. & 6. qui debent introduci; ergo de se isti quatuor gradus ab eadem causa possunt recipere 5. & 6. à qua receperunt priores illos.

Confir. 1. Nam si actus remissior, v. g. ut 4. non possit intendere habitum ut 6. vix unquam iste posset intendi, quia id fieri non posset, nisi per actus ut 7. vel octo, imò non posset generari per primos actus; nam isti sunt semper imperfectiores, quàm qui fiunt cum habitu. Citharædus, scriptor, gladiator, &c. cùm eliciunt suos actus, sunt rudiores in primo, quàm in 2. & sic de aliis, ut patet experientia; ergo primus actus scribendi, psallendi, &c. quamvis remissior,

missior, & imperfectior generat habitum, cum quo efficit 2. & 3. qui sunt perfectiores.

Confir. 2. Nam experientia constat, quòd actus tam artium, & scientiarum, quàm virtutum non semper adæquant totam perfectionem habituum; sæpè sunt remissiores, & tamen per istos foventur, & nutriuntur habitus; ergo virtutes augentur per actus remissiores.

Objic. 1. con. totam conclus. Virtutes istæ sunt spirituales; ergo non augentur, nam augeri est proprium solis rebus materialibus; spirituales verò sunt indivisibiles.

Resp. neg. conf. & dist. prob. Augeri extensivè per additionem materiæ, & quantitatis, con. intensivè per additionem gradus ad gradum, neg. ant. Nam patet ex Scriptura, quòd fides, spes, & charitas augentur in nobis gradualiter.

Inst. Si sic augerentur, aliqua virtus fieret aggregatum per accidens, quia constaret pluribus entibus ejusdem speciei; quia singuli gradus sunt homogenei, & entia per se; sed conf. est absurdum; ergo &c.

Respondeo 1. argum. nimis probare in sententia de gradibus homogeneis: nam sic nulla qualitas posset intendi.

Resp. 2. neg. maj. Nam sicut una quantitas tripalmaris est unum per se unitate continuitatis, ita & unus habitus ut duo, vel tria est unus unitate intensionis; & hoc, sive producatur totus simul, sive successivè, & per gradus.

Objicies con. 2. p. Virtus ipsa concurrit ad actus; ergo ipsa non augetur per actus; nam potiùs minueretur, seu debilitaretur; & actus, & habitus essent sibi mutuò causæ: Actus causaret habitum, & habitus actum.

Resp. dist. ant. concurrit ad actus posteriores, con. ad priores, neg. ant. non enim concurrit ad actus, per quos ipsa causatur, sed ad alios posteriores, & isti posteriores causant ulteriorem gradum habitus, quo fit intensior: sic patet ad probationes antecedentis, non enim sunt sibi mutuò causæ quoad eosdem gradus.

Objectiones contra 3. de intensione per gradus habes in Philosophia.

Objic. 1. con. 4. p. ex Philos. simile non potest augeri à simili; ergo multò minùs ab imperfectiori.

Respondeo dist. ant. A simili in natura, con. à simili in intensione, neg. ant. nam qualitas palmaris auget tripalmarem; sic unus gradus caloris auget calidum ut quinque.

Objicies 2. Actus remissi justitiæ non sunt virtuosi, nec laudabiles; ergo non augent habitum justitiæ; & sic de aliis. Prob. ant. actus remissi sunt tepidi, & neglecti, & reprobantur; [1] *Maledictus, qui facit opus negligenter.* Item, [2] *Quia tepidus es, incipiam te evomere*; ergo &c.

Resp. neg. utrumque ant. Nam loquimur de veris actibus virtutum, non verò de tepidis, aut neglectis, actus autem remissiores non sunt tepidi, neque neglecti; alioqui peccaret homo, quoties non agit ex toto nisu potentiæ, & gratiæ, ac virtutis.

CONCLUSIO II.

H*Abitus virtutis potest augeri extensivè in eodem genere per acquisitionem novi habitus partialis.*

Prob. 1. ex Scoto, [3] qui admittit in his virtutibus unitatem virtualem. *Habitus enim ille, qui est de primo objecto* (quod est commune, & quasi genus ad objecta specialia virtutum, quæ continentur sub illo genere, v. g. temperantiæ) *est formaliter unus* (habitus) *& est virtualiter omnium, quæ continentur in illo primo objecto*, &c. Et sic qui exercetur in illa virtute temperantiæ, quæ respicit cibos, & quæ dicitur abstinentia, potest faciliùs se extendere ad temperandum in voluptatibus venereis, & acquirere castitatem, quia habitus generalis temperantiæ continet sub se duas illas species, & virtualiter potest ad utramque inclinare, & qui exercet se in una, v.g. in abstinentia, contrahit aliquam dispositionem, saltem inchoatam, ad castitatem: & sic ad alias species temperantiæ generalis, quæ tunc erit perfecta non tantùm secundum intensionem, sed etiam secundum extensionem, & sic omnes species ejus inerunt illi. Idem est de aliis.

Prob. 2. ex Script. [4] *Ibunt de virtute in virtutem*:

sc.

[1] *Jerem.* 48. [2] *Apoc.* 3.
[3] 3. *d.* 36. *L.* 22. *&* 22. [4] *Ps.* 83.

sc. progrediendo de una in aliam, & maximè in aliam ejusdem generis.

Prob. 3. Nam experientia constat, quòd in artibus, & scientiis qui se exercet in una, acquirit quandam dispositionem, & facilitatem ad alias, & maximè ad illas, quæ habent quandam affinitatem cum illa in objecto, seu materia; ergo idem est de virtutibus. Nam, ut dicebam, qui acquirit habitum abstinendi à voluptate cibi, & potus, acquirit quandam facilitatem temperandi ab aliorum sensuum voluptatibus, v.g. à venereis. Sic de fortitudine, qui exercet se in aggrediendis arduis laboribus, & periculis belli, potest faciliùs acquirere habitum tolerandi injurias, & labores in aliis occasionibus.

Dixi, quòd illa extensio, & progressus fit *per acquisitionem novi habitus partialis*. Certum enim est, quòd qui contrahit habitum temperandi à cibo, & potu, non ideò statim habet habitum, & facilitatem temperandi à venereis, sed debet se exercere in his actibus, ut hunc habitum integrè acquirat. Certum etiam est, quòd sicut jejunium, & castitas habent diversa specie objecta, ita sunt diversi specie habitus, & sæpissimè acquiruntur separatim, & per diversos actus.

Idem est de artibus, & scientiis, v.g. de Chirurgia, & Medicina, de Physica, & Mathematica; hæc enim omnia seorsim acquiruntur, quamvis possint reduci ad unum objectum unitate generica. Sic prudentia, quæ est virtus generalis, habet sub se diversissimos habitus, & prudentias partiales, ut docet Scotus cit. [1] imò & omnes virtutes morales reduci possunt ad unum objectum generale, respectu cujus dici possunt unus habitus, & una virtus, quæ poterit dici habitus inclinans ad bonum honestum conformiter ad rectam rationem. Sic & una generalis prudentia, quę dictat bonum honestum prosequendum, & de mediis ad illud obtinendum. Sic & una generalis virtus appetitiva, quę inclinat ad bonum honestum prosequendum. Et tamen singulæ illæ virtutes generales subdividuntur in plures habitus partiales, qui seorsim acquiruntur.

Objic. 1. Extensio est propria materiæ, & quantitatis; ergo non potest tribui virtutibus, quia sunt habitus spirituales.

[1] *Ibid.*

Resp. dist. ant. Extensio localis, & per partes extra partes, con. extensio gradualis, & qualitatum, neg. ant. ista enim fit per additionem qualitatis ad qualitatem; sic aqua extenditur ab humiditate ad caliditatem: & temperantia ad sobrietatem, & castitatem, seu continentiam.

Objic. 2. Ista extensio non reperitur in virtutibus Theologicis; ergo nec in moralibus; nam de utrisque est eadem ratio; nam morales singulæ respiciunt diversa objecta, sicut Theologicæ.

Resp. neg. conf. & parit. Nam Theologicæ infunduntur à Deo etiam quoad augmentum; morales verò acquiruntur, & quidem successivè per actus circa propria singularum objecta, & illi actus sunt limitati circa sua objecta; imò & Theologicæ acquisitæ extenduntur, sicut morales.

Objic. 3. Si per diversos actus circa diversa objecta fierent diversi habitus partiales, tot essent partiales specie diversi sub uno totali in genere, quot objecta partialia diversa; sed conf. est falsum, & absurdum; ergo &c. Prob. min. quia non dicuntur diversæ temperantiæ, nec justitiæ, sed una; ergo &c.

Respondeo dist. maj. Plures, & tot diversæ speciei, & partiales, con. maj. & neg. min. distinctæ numero, neg. maj. Quid enim absurdi, quòd in eodem individuo sint plures temperantiæ species, v.g. sobrietas, castitas, modestia, & item sobrietas à vino, & sobrietas à cibo, à carne, &c. quamvis sint unica individualiter ab unitate subjecti.

Inst. Omnia objecta unius virtutis habent unicum objectum formale; nam habent eandem honestatem in specie; ergo una numero virtus habet unicum numero habitum. Nam habitus specificantur ab objectis formalibus, non à materialibus. Prob. ant. nam omnia objecta materialia temperantiæ respiciuntur sub eadem honestate; ergo &c.

Resp. neg. conf. & rationem ejus; non enim à sola diversitate objecti formalis petitur diversitas habituum, sed etiam à diversa difficultate actuum circa illud: certum est, quòd omnia objecta partialia materialia temperantiæ habent eandem honestatem, sed diversas difficultates; unde qui habet facilitatem jejunandi, adhuc patitur difficultatem temperandi à venereis,

nereis, aut à pompis vestium, &c. & ideo isti habitus partiales differunt specie.

Inst. 2. Si hoc esset, ille, qui haberet perfectam temperantiam, diceretur habere plures temperantias; sed conf. est falsum; ergo falsum est, quòd sub totali habitu unius virtutis sint plures partiales specie diversi. Maj. patet. prob. min. Nam Logicus, aut Mathematicus, qui habet notitiam plurium conclusionum suæ scientiæ, v. g. Mathematicæ, non dicitur habere plures Mathematicas; ergo &c.

Resp. dist. maj. plures temperantias partiales, con. maj. & neg. min. plures temperantias absolutè, & simpliciter, seu totales, & disparatas, neg. maj. & conf. nam hoc negari non potest neque in scientiis, & artibus, nec in virtutibus. Sicut perfectè, & integrè sanus habet sanitatem capitis, stomachi, hepatis, &c. quæ sunt separabiles, ut patet; ita est de Mathematico, & temperante.

Igitur singula genera virtutum moralium constant pluribus habitibus specie diversis sub eodem genere, qui possunt seorsim, & successivè acquiri, & acquisitio unius juvat ad alium acquirendum; & hoc sensu dicitur una virtus augeri extensivè progrediendo de uno habitu ad alium.

CONCLUSIO III.

Virtutes Cardinales possunt minui, et corrumpi totaliter, non tantùm per actus vitiosos contrarios, sed etiam per cessationem exercitii singularum. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] qui docet, habitum vitiosum corrumpi successivè per actus virtutum oppositarum. *Non enim statim in 1. actu* (virtutis) *corruptus est habitus vitiosus, imò vel nihil, vel parum remissus*; ergo idem diceret de habitu vitioso respectu actus vitiosi. Et alibi dicit, habitum virtutis non esse inamissibilem, &c.

Prob. 2. ex Script. & Patribus. [2] Nam, inquit sapiens, *Ebrietas... minorat virtutes.* Et Psalmista, [3] *Diminutæ sunt veritates à filiis hominũ*, id est fidelitas, & veracitas, & sinceritas in verbis; *quippe vana locuti*

[1] *2.d.33.B.n.4.d.36.D.* [2] *Eccl.31.* [3] *Ps.11.*

sunt unusquisque ad proximum suum. Item. [1] *Refrigescet charitas multorum*. Item, *Charitatem tuam primam reliquisti, memento, unde excideris*. Item Apostolus [2] arguit Galatas; [3] *Currebatis benè, quis vos impedivit veritati non obedire?* sc. tepuerunt in cursu perfectionis, & fidei. Et Chrysost. [4] *Qui parum abscesserit* (à perfectione, & virtute) *multum etiam procedens abscedet*, sc. tandem amittet virtutem per continuationem in actibus malis. Et August. [5] *Omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio: Nam si quis cadit in avaritiam, largitatem destruit, & castitatem minoravit...... virtutes per conceptionem unius vitii vel satis, vel parum minuuntur*; ergo &c.

Prob. 3. *de diminutione*. Virtutes istæ sunt qualitates; ergo possunt remitti, & sicut sensim per plures actus conformes successivè acquiruntur; ita per plures contrarios sensim, & successivè minuuntur, & deperduntur.

Cōfir. Habitus vitiosi minuūtur paulatim per actus virtutum contrariarū, v. g. vitium avaritiæ per actus liberalitatis; ergo & habitus virtuosus liberalitatis minuitur paulatim per actus avaritiæ.

Prob. 2. p. de corruptione totali. 1. ex Philos. [6] Nam de habitibus virtutum ait: *Istorum natura est, ut ex defectu, excessuque corrumpantur, ut in viribus, & sanitate vidimus*.

Prob. 2. Nam habitus vitiosi totaliter amittuntur per acquisitionem habituum virtutum oppositarum; ergo & virtuosi per vitiosos oppositos. Nam contrariorum eadem est ratio. Prob. ant. nam Paulus, [7] *qui priùs fuit blasphemus, & persecutor, et contumeliosus*, evasit [8] *Apostolus, et prædicator, et magister gentium*, &c. Et sicut olim *abundantiùs erat æmulator paternarum suarum traditionum* (Judaicarum) evasit zelantissimus Apostolorum. *Ministri Christi sunt*? inquit, *plus ego*. Certè sicut nullus est ita perditus, & vitiosus, qui non possit corrigi, & evadere sanctissimus, ut patet de Paulo; ita nec ullus est adeo perfectus, qui non possit depravari, & fieri pessi-

[1] *Matt*. 24. [2] *Apoc*. 2. [3] *Gal*. 5. [4] *Ho*. 8.
[5] *De ver. et fal. pœnit*. 14.
[6] 2. *Ethic*. 2. [7] *Gal*. 1. [8] 2. *Tim*. 1.

pessimus, ut patet de Lucifero, & hominibus Apostatis.

Prob. 3. p. de cessatione actuum 1. ex Patribus: nam inquit Hieron. [1] *Nihil in sancto proposito deterius otio, quod non solum non acquirit nova, sed etiam peracta consumit. Sanctæ vitæ ratio processu gaudet, et crescit, cessatione torpescit, et deficit*, Et, ut docet Sapiens, *Otium est rubigo sapientiæ, et ingenii*. Et August. [2] *Nullus fructus otii, imò magis dispendium: otiosus Esau amisit privatus benedictionem*. Et Isidorus, [3] *Per torporem vires, et ingenium defluunt*.

Confir. ex Script. [4] Quamdiu Samsom exercet se in bellis contra Philistæos, fit invincibilis; postquam otiatur inter brachia fœminæ, capitur, cæcatur, occiditur. David [5] dum præliatur, victoriis illustratur, & fortis est, quia verò *tempore, quo reges solent ad bella procedere, jacet in strato suo, emollitus est, et peccavit. Quamdiu exercitavit se in militia, non insultavit ei luxuria, sed ubi otiosus mansit domi, laboravit adulterio*. Et sic de aliis innumeris.

Prob. denique experientia de ipsis habitibus artium, qui per desitionem exercitii, & per desuetudinem amittuntur; ergo à fortiori virtutes, ad quas ex depravatione naturæ per peccatum, & rebellione appetituum minùs inclinamur, quàm ad scientias, & artes.

Confir. Nam eadem est causa conservativa, & productiva; sed exercitatio, & frequentatio actuum est causa habituum virtutis; ergo & per eandem conservari debent, & illa cessante isti deperduntur.

Objic. 1. con. 1. p. Philosophi docent, virtutes esse incorruptibiles; sed isti non norunt nisi virtutes morales; ergo illæ non sunt corruptibiles, non minuuntur, nec perduntur. Prob. ant. *Semel traditi boni perpetua possessio est; non dediscitur virtus*, ait Seneca. Et Philo. *Virtus omnis incorruptibilis insculpta est, juxta quam & nunc probi censentur, & erunt in posterum*; ergo ex Philosophis, virtutes non corrumpuntur.

[1] *Ep. de metr.* [2] *Eccl.* 19.
[3] *Ep. Verce 2. Solilo.*
[4] *Jud.* 6. [5] 2. *Reg.* 11.

Resp. neg. ant. & conſ. prob. Nam Philoſophi illi loquuntur de virtutibus in ſe ipſis, & metaphyſicè, & quoad famam, & honorem, aut ut doceant illas eſſe bona, quæ nobis nolentibus non poſſunt auferri, ſicut auferuntur bona fortunæ.

Denique virtutes ſemel acquiſitæ non dediſcuntur, nec deperduntur, niſi velimus, & niſi per otium, vel vitia oppoſita.

Inſt. *Juſtitia eſt perpetua, & immortalis*, ait ſapiens; [1] ergo nec illa, nec aliæ virtutes non minuuntur, nec corrumpuntur.

Reſp. diſt. ant. immortalis effectivè, ſeu eſt meritoria immortalitatis, con. in ſe, neg. ant. Nam inquit Gloſſa interlinearis. *A perpetua morte liberat.* Et Lyranus, *Immortalis eſt* effectivè.

Objic. 2. Virtutum habitus ſunt indiviſibiles, & non habent contrarium; ergo non poſſunt minui, nec corrumpi.

Reſp. diſt. ant. ſunt indiviſibiles quantitativè, con. gradualiter, neg. ant. quia ſunt qualitates, ut diximus, & ſicut creſcunt gradualiter, ſic decreſcunt. Falſum eſt etiam, quòd non habeant contrarium, nempè vitia oppoſita.

Objic. 3. Si corrumperentur, id fieret vel per actus, vel per habitus vitioſos; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non per actus vitioſos, quia habitus virtutis, & actus vitii non diſtant ſub eodem genere; ergo non ſunt oppoſiti. 2. non per habitum vitioſum, quia iſte numquam adeſt cum virtuoſo; nam iſte ſemel acquiſitus exiſtit totus ſimul, ille verò acquiritur ſucceſſivè, & numquam eſt totus ſimul cum illo: ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam habitus virtuoſi deſtruuntur per actus vitioſos, & tandem per habitum, quem iſti generant; & qua proportione iſte creſcit, ille decreſcit, & tandem deficit totaliter.

Reſpondeo 2. neg. maj. quia eſt diminuta: nam habitus corrumpitur etiam negativè per otium, & defectu exercitii per proprios actus, per quos debet nutriri, & conſervari, ſicut per eos generatur.

Inſt. Habitus eſt ſemper intenſior, & fortior actibus; ergo per actus vitioſos deſtrui non poteſt habitus virtutis.

[1] *Sap.* 1.

Reſp.

Respondeo neg. ant. Nam habitus est qualitas mortua, & minùs habet resistentiæ; actus verò est vegetior, & ideò sensim debilitat habitum, & causat habitum illi contrarium. Imò & ille periret in otio per desuetudinem; quantò magis per actus contrarios?

QUÆSTIO VI.

De causa materiali, seu de subjecto virtutum moralium.

CErtum est, virtutes istas, sicut & Theologicas subjectari in anima rationali; sed cùm in ea sint facultates, per quas illa operatur, licèt in ea sint una realiter substantia, quæritur, an istæ virtutes subjectentur immediatè in substantia animæ, an verò in ejus potentiis, sc. intellectu, & voluntate? sicut diximus de gratia, & virtutibus Theologicis. Item, quia istæ virtutes moderantur etiam appetitus sensitivos, ne in prosecutione boni, & fuga mali deficiant, vel excedant, quæritur, an etiam in illis subjectentur aliquæ virtutes, quæ illos mediocritatè contineant.

CONCLUSIO I.

VIrtutes Cardinales non subjectantur immediatè in substantia animæ, sed in potentiis ejus, sc. prudentia in intellectu, & aliæ tres in voluntate. Ita Scotistæ, & alii contra Thomistas, qui eas ponunt in appetitu sensitivo.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Virtus est habitus electivus ex definitione sua: electio autem est actus voluntatis, vel rationis.* Quod probat ex Philosopho; *Necesse est principantem habere virtutem, ut rectè principetur, & principaliorem, quàm in servo, ut rectè subjiciatur;* sed anima per suas facultates principatur in appetitus sensitivos, qui sunt subjiciendi; ergo virtus debet esse in potentiis animæ. Idem probat ex August. [2] multis in locis, quos citat, ut cùm dicit, *Virtutes morales non sunt, nisi amor ordinatus, vel amoris ordinati,* sive, ut loquitur in Reportatis, *Vir-*

[1] 3.*d*.33.*A*.2. & 4. [2] *Mor*. 17.

[1] *Virtutes sunt quidam amores boni honesti.* Item, [2] *Perfecta virtus est animi ratio perveniens ad finem*, &c.

Prob. 2. Quia, ut dicebamus ex Scoto, ibi debet subjectari virtus immediatè, ubi potest operari, & eligere; sed anima per seipsam formaliter, & immediatè non eligit, nec operatur, sed vel per intellectum dictantem de fine, & mediis, & sic prudentia est in intellectu, vel per voluntatem eligentem, & liberè se determinantem ad prosecutionem boni, vel fugam mali ostensi, & sic aliæ tres virtutes sunt in voluntate, & ideò dicuntur appetitivæ; ergo virtutes istæ sunt immediatè in potentiis animæ rationalis.

Confir. ex August. [3] qui definit virtutem, *Habitum mentis bene compositæ*, mentis autem nomine intelligit potentias rationales, quæ bene componuntur per virtutes. Item, *Virtus est ars benè vivendi*. Ars autem immediatè est in potentiis, in quibus sunt actus, seu operationes artis, non autem in substantia animæ; ergo &c.

Prob. 3. per partes. Nam 1. prudentia est immediatè in intellectu; ergo hæ virtutes sunt immediatè in potentiis. Prob. ant. prudentia debet esse immediatè in potentia, quam perficit ad rectè dictandum de agibilibus; sed id præstat intellectus; ergo in illo immediatè subjectatur. Prob. min. tum quia illud dictamen est actus judicii, & rationis, tum quia fides Theologica, quæ ostendit divina, est in intellectu; ergo & prudentia, quæ ostendit agibilia circa bonum creatum.

Confir. ex August. [4] *Prudentia est rerum humanarum malarum, & neutrarum scientia practica*. Est *appetendarum, & fugiendarum rerum scientia*. Item, *Docet, discernit bona à malis tota vigilantia, ut in illis appetendis, & vitandis nullus obrepat error*: Hæc autem spectant ad intellectum; ergo &c.

Prob. de temperantia, & fortitudine 1. ex August. qui generaliter docet, *virtutem, qua rectè vivitur*

[1] *Ibid.*
[2] *n.6. Solilo.*
[3] *De Spir.& an.4.*
[4] 83.qq. 31.

vitur, ab animi sede membris corporis imperare, sanctumque corpus usu fieri sanctæ voluntatis. Et ex Philosophis docet, *Iram, atque libidinem vitiosas animi partes esse, eò quòd inordinatè moventur*, ideoque indigere *moderatrice mente, atque ratione, quam velut in arce quadam collocatam perhibent, ut illa imperante, istis servientibus possit in homine justitia ex omni animi parte conservari*. Per *iram* intelligit appetitum irascibilem, quem moderatur fortitudo, & per *libidinem* intelligit appetitum concupiscibilem, quem moderatur temperantia; ergo ex Augustino, istæ virtutes sunt in anima rationali (*mente, ac ratione moderatrice*) non in appetitu sensitivo; sed voluntas est in anima facultas imperatrix, & moderatrix; ergo in voluntate sunt illæ duæ virtutes.

Prob. denique tota conclusio. Nam virtus moralis respicit bonum honestum; sed istud, ut tale, non potest respici ab appetitu sensitivo, sed à sola anima per suas potentias, sc. per intellectum, & voluntatem; ergo in eis sunt isti habitus, & non in appetitu sensitivo.

Objic. 1. ex Augustino. *Virtus est habitus animi, seu mentis*, &c. *virtus est, qua rectè vivitur, et sedet in animo*. Et, *Virtus animam facit optimam*, &c. ergo virtus est immediatè in anima, & non in potentiis.

Resp. neg. conf. Nam ibi sumit animam adæquatè pro suis potentiis, & non distinguit de subjectis mediato, vel immediato. Cùm autem dicit, in anima, *imperante, moderante, frænante*, satis indicat, se loqui de facultatibus ejus, per quas hæc præstat.

Objic. 2. Virtus competit homini, ut homo est; sed homo est immediatè per animam; ergo hæc est subjectum immediatum virtutis.

Resp. neg. maj. & conf. quia cùm potentiæ sint idem realiter in anima, & sint formalis ipsa ratio, maximè intellectus, id potiùs favet nobis, ut illæ dicantur subjecta virtutis immediata.

Objic. 3. Voluntas sufficienter perficitur per spem, & charitatem; ergo frustra ibi ponuntur isti habitus.

Respond. dist. ant. Sufficienter in ordine ad Deum supernaturaliter, & directè attingibilem, con. in ordine

dine ad bonum creatum naturaliter attingibile, neg. ant. & conſ. virtutes Theologicæ perficiunt animam in ordine ad Deum, ut directè, & ſupernaturaliter attingibilem; morales autem in ordine ad bonum creatum naturaliter attingibile, & immediatè.

Inſt. Iſtæ virtutes requiruntur ad moderandos appetitus ſenſitivos, & irrationales; ergo in iſtis debent poni, & non in anima, quæ his moderatricibus non indiget.

Reſpondeo neg. conſ. Nam ſi anima, nec ejus potentiæ non egent his moderatricibus pro ſeipſis, indigent ad moderandos ipſos appetitus, quibus præſunt ut dominæ.

Inſt. 2. Voluntas de ſe eſt ſufficienter inclinata ad bonum; quia hoc eſt objectum ejus proprium, ergo non eget his habitibus, quibus inclinetur ad bonum etiam honeſtum.

Reſp. diſt. ant. Ad bonum honeſtum liberè proſequendum, con. ad faciliter, & delectabiliter proſequendum præ bono ſenſibili, ad quod trahitur per appetitus ſenſitivos, neg. ant. bonum ut ſic eſt objectum voluntatis, & ad illud de ſe inclinatur, & maximè ad honeſtum, prout eſt facultas rationalis; ſed quia ab illo retrahitur, & ad delectabile attrahitur fortiter ab appetitu ſenſitivo, ideò indiget his habitibus, ut inclinetur ad præferendum honeſtum delectabili, & illud faciliter, & delectabiliter proſequatur, & moderetur appetitus ſenſitivos circa delectabile.

Objic. 4. *Virtus eſt habitus electionis*; ergò vel prudentia non eſt virtus, vel non eſt in intellectu. Prob. conſ. Nam intellectus non eſt potentia electiva, ſed agens naturaliter.

Reſp. diſt. ant. Virtus appetitiva eſt habitus electivus, con. intellectiva, neg. ant. Nam de iſta non loquitur ibi Philoſophus, ſed de appetitiva.

Reſp. 2. habitus electivus elicitivè, aut directivè, con. elicitivè tantùm, neg. ant. & conſ. nam prudentia eligit directivè, quia dirigit voluntatem ad rectè eligendum in ſuis actibus, quod ſufficit, ut dicatur habitus electivus.

Objic. 5. Si voluntas ageret per habitus, ageret naturaliter, & non liberè; ſed conſeq. eſt falſum; ergo habitus non ſunt in voluntate. Prob. maj. Nam ipſi habi-

habitus sunt causæ naturales,& naturaliter agunt,non liberè; ergo potiùs nocerent libertati voluntatis.

Respondeo neg. maj. & conf. prob. Nam habitus non sunt causæ principales actuum virtutis, sed ipsa voluntas, quam habitus juvant, & inclinant, sed non determinant.

Inst. Voluntas non eget habitu ad primos actus honestos; ergo neque ad posteriores, ergo nec ad ullos. Nam posteriores sunt ejusdem rationis cum primo. Prob. ant. Nam primi actus temperantiæ non producuntur ex ejus habitu, sed istum producunt; ergo &c.

Respondeo dist. ant. utrumque, non egent absolutè, con. secundum quid, neg. ant. voluntas absolutè, & sine habitu producit primos actus virtutis, sed cum majori difficultate, & minori perfectione; sicut Citharædus, aut alius artifex primos actus psallendi, aut fabricandi elicit sine habitu artis,sed non ita promptè, nec facilè, nec perfectè, sicut posteriores, quos elicit cum habitu acquisito per primos.

Objicies 6. Si isti habitus essent in voluntate,& non in appetitu sensitivo, manerent in beatis; sed conf. est falsum; ergo &c. min. patet: nam ibi essent frustra, cùm illi non habeant passiones moderandas. Prob. maj. Nam voluntas in eis est immutata cum omnibus donis, & perfectionibus suis, nec adest causa,quæ hos habitus in eis possit destruere; ergo &c.

Respondeo neg. min. & prob. ejus. Nam sufficeret dicere, quòd ibi essent isti habitus ad ornatum, & sic non essent frustra. 2. Hoc non valet pro Thomistis, qui ponunt justitiam in voluntate. 3. Quia licèt habitus non sint ibi quoad munus moderandi passiones; erunt saltem quoad actus complacendi affectu' complacentiæ circa bonitatem,& honestatem virtutum illarum.

Confir. hoc ex August. Nam *immortalis est omninò justitia, nec in illa beatitudine esse desinet, et tanta erit, ut major esse non possit: Fortassis et aliæ tres virtutes, prudentia sine periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum*. Munus autem *prudentiæ* ibi est, *Nullum bonum Deo præponere, vel æquare*, fortitudinis *ei firmiter cohærere*,temperantiæ *nullo defectu noxio delectari*, &c. Vides, quomodo in beatis

ma-

manebunt istæ virtutes cum suo munere, sed libero à præsentibus defectibus.

Inst. Non fuissent in primis parentibus durante innocentia, quia iis non indiguissent, quia justitia originalis præveniebat motus concupiscentiæ; ergo multò minùs debent esse in beatis.

Resp. neg. ant. & prob. ejus. Nam in eo statu inservissent ad firmiùs hærendum bono, & faciliùs, & perfectiùs operandos actus virtutum illarum: unde admittimus eas etiam in Christo, ut suppono ex tr. de Incarnatione.

CONCLUSIO II.

D*Antur quidem in appetitu sensitivo habitus temperantiæ, justitiæ, & fortitudinis correspondentes habitibus voluntatis, sed non sunt veræ virtutes*. Ita Scotistæ, & alii contra eosdem Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Concedo, quòd in appetitu sensitivo est quædam qualitas, quæ potest dici virtus, licet minùs propriè, quàm illa, quæ est in voluntate inclinans ad delectationem*. Ecce totam conclusionem in Scoto.

Prob. 2. p. 1. Quoties voluntas elicit actus illarum virtutum, appetitus sensitivus elicit similes: v. g. quoties continet iram, aut concupiscentiam, idem facit appetitus, sc. reprimit illos motus in se; ergo sicut illa per tales actus acquirit habitus inclinantes, & facilitantes ad similes, ita & appetitus, & quidem à fortiori; nam voluntas operatur illos actus imperativè, appetitus verò elicitivè.

Confir. 1. Nam experientia docet, quòd ex frequenti aggressu arduorum, & ex tolerantia malorum acquirimus in parte sensitiva majorem facilitatem ad similes actus, vel tolerantias; ergo & habitus quosdam fortitudinis, & patientiæ. Et idem est de aliis.

Confir. 2. Non minùs possunt acquiri habitus illi in appetitu sensitivo, quàm in membris corporeis, & actibus frequentatis; sed in istis acquiruntur habitus, ut patet ex Citharædo, & aliis artibus; ergo &c.

Prob. 2. p. 1. ex Philosopho, qui docet, *solos actus lau-*

[1] *Ibid. N. 2.*

laudabiles appellari virtutes; sed habitus sensuum, vel appetitus sensitivi non possunt propriè dici laudabiles, nec meritorii, saltem in se, sed tantùm prout imperantur à voluntate; quia, ut tales, non sunt liberi; ergo nec propriè dici possunt virtutes.

Confir. ex Aug. cit. dicente, quòd *virtus perfecta est ratio in anima perveniens* ad finem; sed illi habitus in se, & ut eliciti ab illo appetitu non sunt ex ratione, nec ad finem; ergo nec propriæ virtutes.

Prob. 2. Nam actus, prout sunt ab appetitu sensitivo, non sunt laudabiles, nec meritorii, nec propter finem virtutis; ergo nec habitus per illos acquisiti. Patet cons. nam virtus propria habet pro objecto formali, & fine honestatem, & ideò est meritoria, & laudabilem facit hominem. Prob. ant. Nam actus meritorius, & laudabilis debet esse liber; sed actus appetitus sensitivi, prout ab eo eliciti, & præcisè ab imperio voluntatis, non sunt liberi; ergo nec meritorii, nec laudabiles.

Objicies 1. con. 2. p. In potentia sensitiva est difficultas actuum virtutis, & in illa exercentur; ergo in illa est virtus habitualis, & vera: nam habitus ponitur ad inclinandam, & facilitandam potentiam. Prob. ant. Nam voluntas de se est indifferens ad actus virtutis, imò & ad illos inclinatur, quia sunt boni, & conformes rationi; ergo non eget habitu inclinante ad illos.

Resp. dist. ant. In potentia sensitiva materialiter, & in ea exercentur ministerialiter, seu instrumentaliter, con. formaliter, & principaliter in ratione virtutis, neg. ant. Actus temperantiæ, v. g. jejunii, exercetur in potentia sensitiva quoad entitatem physicam, & materialiter, sicut cùm bestiæ jejunant, sed formaliter, & in ratione actus humani, & virtuosi fit à sola voluntate eligente, & imperante.

Inst. Voluntas se habet ad appetitum in actibus virtutis, v. g. temperantiæ, sicut eques ad equum, & habitus se habet sicut frænum; sed frænum non est in equite, sed in equo; ergo & habitus est in appetitu, & non in voluntate.

Resp. 1. dist. min. Frænum materiale, con. scientia frænandi, seu utendi fræno, neg. min. nam sicut sine habitu, & scientia equestri, & moderandi fræ-

num

num, & equum in equite non rectè graderetur equus; sic sine virtute temperantiæ in voluntate non temperaret appetitus; & licèt equus contraxerit quemdam habitum sequendi motum fræni sub moderamine equitis, tamen scientia equitandi non dicitur esse in equo, sed in equite.

Resp. 2. neg. maj. & 1. disparitas est, quia equus non trahit equitem, sicut appetitus trahit voluntatem ad intemperantiam, & mollitiem oppositam virtuti temperantiæ, & fortitudinis. *Caro concupiscit adversus spiritum*, & ideò requiritur in voluntate habitus ad resistendum motibus partis sensitivæ, & ad eos moderandos juxta dictamen rectæ rationis, & ex motivo honestatis. In hoc sita est ratio formalis virtutis, cujus non est capax potentia sensitiva.

Objic. 2. Tam appetitus, quàm voluntas attingit objectum formale virtutis; ergo tam virtus est in illo, quàm in ista. Prob. ant. objectum formale fortitudinis est arduitas in prosequendo bonum, & fugiendo malum; sed tam appetitus, quàm voluntas per audaciam, & timorem respiciunt illam arduitatem, quia istæ passiones sunt in appetitu æquè, ac in voluntate; ergo &c.

Resp. neg. ant. & dist. maj. Arduitas ut prosequenda, vel fugienda ex motivo honestatis juxta dictamen rectæ rationis, con. maj. & neg. min. arduitas nudè, & sola, neg. maj. & cons. Nam illæ passiones præcisè ab imperio voluntatis, & directione rationis non prosequuntur bonum arduum, nec fugiunt malum ex illis motivis, nec sub illis rationibus, ideò non merentur nomen virtutum.

QUÆSTIO VII.

De causa finali virtutum moralium.

CAusa finalis virtutum alia est *ultima*, alia *immediata*, alia *media*; singulas hìc quærimus, quænam sint, & quidem breviter.

CON-

CONCLUSIO.

F*Inis proximus virtutum moralium est moderatio passionum; medius est perfectio ipsius hominis, seu bonitas honesta operationum ejus; ultimus verò est ejusdem beatitudo*. Debet esse communis.

Probatur 1. ex Scoto, [1] qui D. Thomæ concedit, quòd virtutes morales sunt moderatrices passionum, & inde probat contra ipsum, quòd virtutes debent esse in voluntate, non autem in appetitu sensitivo, quia in voluntate sunt passiones. Sic ergo argumentatur: [2] *Si propter moderationem passionum ponenda sit virtus in supremo illius potentiæ, in qua est passio, sequitur, quòd in suprema parte animæ, sc. in voluntate sint aliquæ passiones, & quòd ibi ponantur virtutes*. Et infrà. [3] *Potest concedi, quòd si voluntas volens potest imperare appetitui sensitivo vel moderando passionem, vel imperando prosecutionem, vel fugam, si sint actus appetitus sensitivi, potest derelinquere ex imperiis rectis aliquem habitum in appetitu sensitivo inclinantem ad hoc, ut appetitus sensitivus delectabiliter moveatur ad sensibilia, vel ex imperio voluntatis*, &c. ergo ex Scoto, [4] virtus tendit ad moderandas passiones. Pro 2. autem p. admittit definitionem Philosophi dicentis, quòd *virtus est, quæ habentem, & opus ejus reddit bonum*. Et hoc facit *inclinando, & ut virtus est, & coexistens prudentiæ*, &c. ergo ex Scoto, virtus moralis habet pro fine moderari passiones, & reddere hominem, & opera ejus bona. De 3. p. non dubitatur.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Philosopho, [5] quem citat Scotus: dicit enim, quòd virtus *moderatur affectus animæ reducendo eos ad medium* (inter excessum, & defectum) &c.

Prob. 3. ex SS. Patribus. Nam inquit S. Hieron. [6] *Modus virtus est, vitium nimietas reputatur*, sc. consistit in servando medio inter excessum, & defectū. Unde alibi [7] dicit, *passiones moderatas esse virtutes, excedentes*

[1] *Ibid. F. n. 9.* [2] *14. civit. c. 5. & 6.*
[3] *H. n. 13. & N. 20.* [4] *1. d. 17. q. 2. BB. vel. q. 5. n. 15.* [5] *2. Ethi. 1.* [6] *Epitaph. paula.*
[7] *Ep. 8. De met.*

dentes autem modum, atque mensuram inter vitia deputari, Et Gregor. Nyss. [1] dicit, quòd *non assequi mensuram, quæ ex Virtute quæritur, est ex iis, quæ sunt reprobata*; ergo virtus immediatè intendit moderationem, seu medium. Et S. Basilius Virtutes comparat fræno, quo eques moderatur equum ferocem. Et Augustinus [2] ponit *fortitudinem in perferendis molestiis, & temperantiam in coercendis delectationibus*, &c. Et dicit, hoc esse illarum munus in hac vita; ergo ex Patribus, finis immediatus virtutum moralium est moderari affectus humanos.

Prob. 4. experientia, qua constat, affectus nostros vel non moveri, cùm ratio dictat esse movendos, vel moveri, cùm dictat eos non esse movendos, vel moveri ultra, aut citra mensuram; ergo necessariæ sunt virtutes, ut moveantur, vel quiescant, vel ut moveantur juxta mensuram debitam. v. g. Egemus fortitudine, ut appetitus irascibilis moveatur contra peccatum, & peccantes, & ut toleremus offendentes, & offensas; egemus temperantia in concupiscibili, ut moderemur appetitum illum circa delectationes, &c. ergo finis proximus virtutum est moderatio affectuum, ne ultra, vel citra regulam moveantur, sed teneant medium.

Prob. 2. p. ex Scriptura, [3] quæ laudat singula opera talium virtutum, & ipsos operantes; ergo unus ex finibus earum est facere hominem bonum, & laudabilem. Prob. ant. 1. [4] *Beatus, qui affluit prudentia*. Item [5] *Estote prudentes*. [6] Item, *Fidelis servus, & prudens*, &c. & è contra reprobat vitia opposita, [7] *Omnis imprudens deperibit*. Item [8] *In ore imprudentis conculcabitur inopia, & in ventre ejus ignis ardebit*... Et de justitia; [9] *Diligite justitiam qui judicatis terram*. Et, [10] *Si verè utique justitiam loquimini, recta judicate*, &c. Et improbat injustitiam, [11] *Noli æmulari.... in homine faciente injustitias*. Et fortitudinem laudat, [12] *Vir sapiens fortis est*. Item, [13] *Mulierem fortem quis inveniet?*

Pro-

[1] *Ho.6. Eccle. constit.c.3.* [2] 14.*Trin.*9.
[3] *Prov.*3. [4] 1.*Pe.*4. [5] *Matth.*10.
[6] *Eccle.*33. [7] & 40. [8] *Sap.*1.
[9] *Ps.*53. [10] & 36. [11] *Pro.*24.
[12] & 31. [13] *Eccl.*7.

Procul & de ultimis finibus pretium ejus. Et pusillanimitatem reprehendit, *Noli esse pusillanimis in animo tuo*. Et Christus D. [1] *Quid timidi estis modicæ fidei*? Temperantiam commendat; v.g. sobrietatem, *æqua vita hominibus, vivunt in sobrietate*. [2] Et silentium, *In multiloquio non deerit peccatum*. Et, [3] *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est*; ergo ex Scriptura, unus ex finibus harum virtutum est hominis perfectio.

Prob. 2. ex Philosopho. [4] *Omnis virtus ad ipsum, cujus est virtus, bene se habens perficit, et opus ejus bonum reddit.... Virtus certè hominis habitus erit, ex quo bonus vir fit, et ex quo bonum opus suum reddit.*

Prob. 3. quia nullus potest assignari actus humanus spectans ad aliquam ex his virtutibus, qui non sit bonus, & laudabilis; nec potest assignari ullus actus bonus moraliter, qui non pertineat ad aliquam virtutem elicitivè, aut imperativè, seu directivè, & qui non perficiat hominem; ergo finis virtutum est perfectio hominis, & bonitas actuum ejus.

Prob. 3. p.1. ex Philosopho, [5] qui in his ipsis virtutibus posuit hominis felicitatem. *Fit, ut bonum sit hominis animi operatio secundum virtutem*, &c. ergo ex Philosopho, virtus intendit facere hominem beatum.

Prob. 2. ex Patribus: nam inquit Lactantius, [6] *Virtus non est summum bonum, sed effectrix, et mater summi boni, quoniam perveniri ad illud sine virtute non potest....si non potest, nisi per laborem perveniri* (ad illud bonum) *apparet virtutem esse, per quam pervenitur*. Et August. [7] docet, quòd *nisi virtutes referantur ad Deum, etiam ipsæ vitia sunt potiùs, quàm virtutes*. Et antea dixerat; *Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est hominis bonum, quo melius non est*; sed summum bonum est beatitudo hominis; ergo hæc est finis ultimus virtutis.

Prob. 3. Nam summum bonum, & summa beatitudo *est, quo referentes omnia, quæ agimus, et quod non propter aliud, sed propter se ipsum appetentes, idque adipiscentes nihil, quo beati simus, ulterius re-*

qui-

[1] *Matt.*8. [2] *Eccle.*31. [3] *Prov.*10. [4] 2.*Ethic.* 5. [5] 1.*Ethic.* 9. [6] 3.*Instit.*8. [7] 19.*Ci.*25.

quirimus. Ideo quippe & finis dictus est, quia propter hoc cætera volumus, ipsum autem non nisi propter se ipsum, ait August. [1] ergo summum bonum, & beatitudo est ultimus finis virtutum, quia in hoc bonum tendunt,& in eo quiescunt:nec de hoc dubitatur.

Objic. 1. con. 1. p. Si frænatio passionum esset finis virtutum, illæ possent aliquando prorsus reprimi, vel extingui: nam finis motus debet posse attingi: sed illa repressio, vel extinctio est impossibilis moraliter; ergo non est finis virtutum.

Resp. 1. neg. maj. non enim dicimus, quòd ille finis sit plena extinctio passionum, sed earum moderatio, ne insolescant, vel torpeant, & aliud est eas moderari, aliud eas extinguere; imò sæpe virtutes illis utuntur ad fines suos, ut diximus aliàs.

Resp. 2. neg. eandem maj. & dist. rationem ejus, debet posse attingi saltem imperfectè, con. perfectè, & totaliter, neg. ant. nam sufficit, quòd finis possit aliqualiter attingi, & ut adhibeantur media ad illum. Adhibentur autem istæ virtutes, ut si non possint integrè sedari passiones, saltem contineantur intra limites rationis.

Objic. con. 2. p. 1. Potest haberi bonitas moralis in actibus nostris sine habitu virtutum; ergo hæc bonitas non est finis earum, nequidem mediatus. Prob. ant. ante acquisitionem temperantiæ v. g. & ex solo naturalis rationis lumine possunt haberi actus moderati circa libidines; sed ad tales actus non concurrit habitus temperantiæ; ergo &c.

Resp. neg. ant. & dist. maj. potest haberi absolutè, & cum minori facilitate, & perfectione, con. cum eadem facilitate, & perfectione, neg. maj. & cons. non negamus, quin sine habitu virtutis moralis, v. g. temperantiæ, possint haberi aliqui actus ejus, per quos acquiritur habitus ejus, sed illi habebuntur cum minori inclinatione, & facilitate, & perfectione, quàm cùm adest habitus.

Objic. 2. Per fidem, & charitatem sufficienter habetur tota bonitas requisita in actibus nostris; ergo illa bonitas non est verus finis virtutum moralium.

Resp. dist. ant. habetur absolutè, con. cum tanta facilitate, & inclinatione, neg. ant. & cons. nam virtutes

[1] 3. Civ. 8.

tutes Theologicæ præcisè, & per se non dant inclinationem, nec facilitatem, nisi ad actus circa proprias materias, licèt aliquo modo possint influere in actus virtutum moralium, ut superiores respectu inferiorum.

Resp.2. neg.conf. Nam licèt bonitas moralis aliquorum actuum, & ipsius operantis possit haberi sine his virtutibus, non sequitur, quin habeatur etiam per eas, & quidem ordinariè, & per se; quod sufficit pro veritate conclusionis.

QUÆSTIO VIII.

De causa materiali, seu de objecto virtutum Cardinalium.

AGitur de objecto formali, & materiali omnium in communi, quale illud sit. De specialibus autem dicemus agentes de singulis in specie.

CONCLUSIO I.

OBjectum proximum materiale virtutum Cardinalium in communi sunt actus, seu passiones humanæ, ut rectificabiles; remotum verò sunt res, circa quas versantur illi actus, seu passiones.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui docet, quòd virtus non est in parte sensitiva, *quia in ista non est operatio hominis, secundum quòd homo, qualis est operatio secundum virtutes morales*; ergo sentit, virtutes istas versari immediatè circa operationes humanas. Idem colligitur ex eo, quod dicit, has virtutes versari circa passiones moderandas, ut diximus supra.

Prob.2. ex Philos. [2] dicente, quòd *virtus omni arte certior est, ac melior, quia vertitur circa affectus, & actus.... virtus autem circa affectus, et actus, in quibus excessus quidé delinquit, defectus reprehenditur, medium autem probatur*; ergo objectum immediatum virtutis moralis sunt actus, & passiones humanæ rectificandæ.

Confir. per definitiones allatas de Augustino, [3] ut cum virtus dicitur *ars bene, recteque vivendi*; nam ars

[1] *Ibid. n.4.* [2] *ibid. F.9.* [3] 4. *Civ.21.*

ars versatur circa agibilia, aut factibilia; & bona, rectaque vita attenditur penes actus, & affectus moderatos secundum rectam rationem.

Prob.3. Nam objectum materiale immediatum habitus practici est id, circa quod versatur, ut rectè fiat; sed virtutes istæ versantur circa actus humanos, & affectus, ut rectè fiant; ergo hæc sunt earum objecta materialia immediata. Maj. patet ex definitione recepta hujus objecti. Prob. min. *Prudentia* versatur circa omnes operationes aliarum dictando regulas, quibus hìc, & nunc rectè fiant. Ideo dic tur *Auriga virtutum*. *Justitia* respicit actus nostros tendentes erga alterum, ut reddatur unicuique suum. *Fortitudo* respicit eos in arduorum aggressione; & *Temperantia* respicit eos circa voluptates, ne in illis excedant, &c. ergo, &c.

Prob.2. p. ex Philos. [1] qui etiam distinguit istas virtutes juxta materias, circa quas exercent suos actus, ut cùm dicit, *Agendo quæ in commerciis hominum versantur, justi, vel injusti evadimus; agendo quæ in periculis, fortes, vel timidi sumus. Similiter in his, quę circa concupiscentiam .... Alii temperati, et faciles, alii intemperati*; ergo &c.

Prob.2. Illud est objectum materiale remotum, circa quod proximum, & immediatum versatur; sed objectum immediatum virtutis, sc. actus, & passiones versantur circa res illas; v. g. actus fortitudinis circa res arduas; temperantia circa voluptates; seu res delectabiles, &c. ergo res istæ sunt objecta remota virtutum. Prob. maj. Nam v. g. ferrum est objectum materiale fabrilis artis remotum, quia hæc facit actus suos circa ferrum; ergo idem est de aliis habitibus, nec puto de hoc posse esse controversiam, nisi nominalem.

Objic.1. con.1. p. Si actus essent objecta virtutum, hoc esset in genere, aut specie, aut individuo; sed nullum horum dici potest; ergo non sunt objecta virtutum. Prob. min. 1. non in genere, aut specie, quia sic non existunt realiter, nec possunt fieri; sunt quid universale, & ideale. 2. non in individuo; quia sic sunt contingentes; ergo, &c.

Resp. neg. min. Nam utrumque dici debet, sc. actus

[1] *Ib.1.*

ctus sunt objecta virtutum spectati secundum essentiam suam genericam, & specificam, & prout sunt faciendi in singulari. Idem dicitur de objectis scientiarum, & artium, v. g. de syllogismo respectu Logicæ; de corpore sanabili respectu Medicinæ, &c.

Objic.2. Alii habitus non respiciunt immediatè actus suos, sed res, circa quas versantur actus; ergo & isti; nam quoad hoc eadem est ratio.

Resp. dist. ant. habitus speculativi, con. practici, neg. ant. & cons. & ant. prob. Nam habitus isti sunt practici, ideo non respiciunt res, nisi prout circa illas possumus benè, aut malè operari.

Objic.3. Sequeretur, omnes actus hominis habentis virtutem, v. g. justitiam, esse virtuosos, & justos: nam habitus necessariò influit in omnes actus circa objectum suum; sed cons. est falsum, & contra omnem experientiam; ergo, &c.

Resp. dist. maj. si fiant juxta regulas virtutis, quam habent, con. maj. & neg. min. absolutè, & simpliciter, neg. maj. & cons. nam ille actus haberet quidem objectum materiale virtutis justitiæ, non tamen haberet formale, & ideò non esset virtuosus, nec justus nisi materialiter.

CONCLUSIO II.

O*bjectum formale virtutis moralis est bonitas actuum humanorum*. Debet esse communis.

Prob.1. ex Scoto post Augustinum. *Quatuor virtutes Cardinales morales non sunt, nisi amor ordinatus, vel amoris ordinati*; ergo tam Augustinus, quàm Scotus respicit bonitatem, seu ordinationem, velut rationem formalem, sub qua virtutes versantur circa actus suos. Et alibi dicit, [1] quòd *pœnitere potest esse actus virtutis*, quia potest esse actus conformis rectæ rationi; ergo illa conformitas, seu bonitas est ratio formalis, per quam actus humanus est actus virtutis; ergo est objectum ejus formale, ex Scoto, [2] post Augustinum.

Prob.2. ex præallatis definitionibus virtutis, ut cùm dicitur, *quæ perficit habentem, et facit opus ejus bonum*; aut *dispositio perfecti ad optimum*, & sic de aliis. Nam

 hinc

[1] *Ibid.A.4.* [2] *4.d.14.q.2.A 2.*

hinc patet, quod de ratione virtutis formaliter est facere, ut actus nostri sint boni moraliter: ideo dicitur etiam *ars benè, rectèque vivendi*, &c.

Prob.3. Nam objectum formale habitus est illa formalitas, & ratio, sub qua attingit suum objectum materiale; sed bonitas moralis est ratio, sub qua virtus Cardinalis respicit actus humanos; ergo,&c. Prob. min. tum ex definitionibus allatis, tum ex discursu circa singulas; v. g. hoc ipso, quòd actus circa delectabilia est honestus, seu moderatus juxta regulas rectæ rationis, pertinet ad temperantiam, & sic de aliis; ergo, &c.

Confir. 1. per oppositum, quia objecta formalia vitiorum sunt deordinationes actuum. 2. quia objectum formale virtutum Theologicarum est rectitudo, seu bonitas supernaturalis; ergo rectitudo naturalis erit objectum formale virtutum naturalium, seu Cardinalium.

Objic. 1. Objectum formale habitus realis debet esse quid reale; sed bonitas moralis non est quid reale, sed ens rationis, quia pendet à ratione dictante rectè; ergo, &c.

Resp. dist. maj. reale morale, con. reale physicum, neg. maj. & cons. Nam bonitas moralis est rectitudo existens à parte rei, non autem quid fictitium; est quidem pendens à ratione dictante, sed non à ratione fingente.

Inst. ergo tam virtus ut conformis rectæ rationi esset objectum actus, quàm conformitas actus est objectum formale virtutis; sed cons. est absurdum; ergo, &c.

Resp. dist. subsumptum, tam virtus sub diverso respectu, con. sub eodem resp. neg. subsumptum, & cons. virtus est objectum, & causa actus per eam eliciti; sed iste est causa virtutis habitualis, quam præcedit, & generat; conformitas autem est eadem utrobique. Item virtus respicit actum, quem causat ut objectum suum materiale, & conformitatem ejusdem actus ut formale; & rursus iste actus respicit habitum, quem generat ut finem; quid in hoc inconveniens?

Objic. 2. Virtus causat bonitatem actuum, sicut & ipsos actus; ergo hæc bonitas non est objectum formale virtutis; alioqui esset causa causæ suæ, sicut obje-

ctum est causa sui habitus: ideo omnis habitus supponit objectum suum, & maximè objectum formale; ergo. &c.

Resp. dist. ant. causat bonitatem actuum sequentium, & in esse realis existentiæ, con. actuum præcedentium, & in esse ideali, neg. ant. Nam primi actus boni causant habitum virtutis in esse reali; & hæc semel genita per priores actus frequentatos causat posteriores cum sua bonitate in esse realis existentiæ; sed in esse objectivo, & ideali præcedit tàm habitum, quàm actus ejus.

Inst. 1. Virtutes Theologicæ non sic efficiunt objectum suum formale, nec materiale; ergo nec morales; nam ambæ conveniunt in ratione virtutis.

Resp. neg. cons. quia Theologicæ sunt quasi speculativæ sui objecti tam formalis, quàm materialis: fides v. g. respicit Deum ut revelatum, & charitas ut summè bonum; morales verò sunt purè practicæ; Ideo respiciunt objectum suum ut operabile moraliter, & secundum rectam rationem; ergo non supponunt illud in esse realis existentiæ, sed illud operantur.

Inst. 2. Bonitas actus non est quid operabile; ergo nulla solutio. Prob. ant. Nam illa bonitas est relatio conformitatis ad regulam morum; sed relatio non est operabilis; quia ad relationem non datur motus; ergo, &c.

Resp. dist. ant. & min. non est operabile directè, & in se, con. indirectè, & moraliter, neg. ant. & min. nam hoc ipso, quòd elicitur actus secundum regulas morum, resultat in eo relatio conformitatis ad eas, & sic bonitas causatur indirectè per actum.

Restaret hic agendum de mediocritate harum virtutum; sed de hoc vide quæ diximus tr. superiori de virtutibus in communi, Disp. 1. q. 2.

DISPUTATIO II.

De Prudentia.

IAM descendimus ad singula genera, & species virtutum Cardinalium: & primò occurrit Prudentia, quæ est quasi mater, & regula, seu directrix aliarum, sicut intellectus, in quo illa residet, est directivus voluntatis.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit virtus prudentiæ?

PRudentiæ nomen variè sumitur in Scripturis sacris, & profanis, & præcipuè 1. pro versutia, & calliditate; & hæc reperitur etiam in brutis; estque qualitas quædam innata inveniendi media ad fines suos consequendos. Hanc Christus agnoscit in serpentibus, qui totum corpus exponunt, ut caput servent indemne ab injuriis insequentium. *Estote prudentes, sicut serpentes.* 2. pro habilitate, seu dexteritate, quæ in hominibus etiam pravis reperitur ad excogitanda media ad suos fines sive bonos, sive malos obtinendos. *Filii tenebrarum sunt prudentiores filiis lucis.* Sed in his duobus sensibus non meretur nomen virtutis. 3. pro habilitate, quam habent homines probi ad rectè dictandum de actibus humanis, quomodo fieri possint, ut sint boni, & laudabiles. De hac prudentia hìc agimus, quippe quæ sola meretur nomen virtutis.

CONCLUSIO I.

D*Atur vera virtus prudentiæ, quæ rectè describitur habitus intellectualis facilitans intellectum ad rectè judicandum de bonitate actuum humanorum, et de mediis ad eam bonitatem consequendam.* Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ubique supponit existentiam, & essentiam prudentiæ, qualem hìc describimus,

[1] *3. d. 36. G.*

mus, maximè cùm dicit, eam distingui ab aliis virtutibus, & posse stare sine illis, *quia rectum dictamen potest stare simpliciter absque recta electione illius dictati in voluntate: et ita cum unicus actus rectæ rationis generet prudentiam, generabitur prudentia in intellectu absque habitu virtutis moralis*; ergo ex Scoto, [1] datur prudentia, quæ est habitus intellectualis dictans secundum rectam rationem de fine, & mediis, &c.

Prob. 2. ex Philosopho, qui in hunc sensum definit hanc virtutem dicens, eam esse *habitum cum recta ratione activum circa ea, quæ sunt homini bona, vel mala*, vel *rerum appetendarum, et fugiendarum scientiam*. Quam definitionem approbat August. [2] dicens, *eam esse rerum bonarum, malarum, et neutrarum scientiam*.

Prob. 3. quia sic rectè explicatur natura hujus virtutis juxta verum genus, & veram differentiam. Dicitur 1. *habitus*, per quod convenit cum scientiis, & artibus. 2. *intellectualis*, quia residet in intellectu; & per hoc jam incipit differre ab habitibus appetitivis, qui sunt in voluntate; sed adhuc convenit cum scientiis, & fide. 3. *Facilitans ad recte judicandum de bonitate*, &c. in quo consistit vera ejus differentia, per quam proximè specificatur munus ejus proprium, quod est dictare de actibus humanis, ut sint boni, & de mediis, quibus fiant boni. Nam, ait Philosophus, [3] *Videtur prudentis esse bene consulere posse circa illa, quæ sibi sunt bona, et utilia, non particulariter, puta, qualia ad sanitatem, et robur, sed ad totius vitæ statum benè dirigendum*, sc. ad mores.

Igitur prudentia est virtus intellectualis, quæ est magistra, & directrix operationum humanarum ad honestam, felicemque vitam conducentium. Ita sentiunt communiter Philosophi, & Theologi, & si addas, *ad vitam, et beatitudinem supernaturalem*, habebis notionem prudentiæ Christianæ.

Porrò excellentiam, & utilitatem, vel necessitatem ejus sic proponit Sapiens: [4] *Beatus homo, qui invenit sapientiam, et affluit prudentia; omnia, quæ desiderantur, non valent huic comparari*. *Longitudo*

[1] 6. *Ethic*. 6. [2] *De lib. ar*. 13. *et* 83. *qq*. 31.
[3] *Ibid*. [4] *Prov*. 3.

dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ; et gloria. Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ. Signum vitæ est his, qui apprehenderunt eam, et qui tenuerit eam, beatus. Egregia elogia.

Officia prudentiæ sic describit August. [1] *Prudentia nobis necessaria est, quæ docet, quid fugiendum, et quid tenendum sit, prudentia docet te, ut non superbias, nec mireris de rebus transitoriis, cùm sint caducæ, et ea, quæ possides, tamquam aliena possidere advertas. Prudentia docet te, ut quæ non potes perpetuò tenere, fructuosè permittas abire. Prudentia docet te, ut in cunctis idem sis tam in prosperis, quàm in adversis, sicut manus eadem est, quæ in palmam extenditur, et in pugnum restringitur. Ipsa docet te, quomodo reprehensibilis sit nimia laudatio, et immoderata vituperatio, illa quidem adulatione, sed ista suspecta malignitate. Prudentia testimonium veritati, non amicitiæ reddit. Prudentia cum discretione promittit, et promissum accelerat*, &c. Vides, quomodo prudentia cæteris virtutibus opitulatur; ideò dicitur *auriga earum, et primum officium*, id est *omnis boni operis fons*, ait S. Ambros.

Quæres 1. *An, et quomodo prudentia distinguatur à sapientia, fide, scientia, et arte.*

Resp. 1. ex dictis aliàs, *Sapientiam* propriè, prout spectat ad intellectum, esse cognitionem certissimam rerum divinarum, & humanarum per prima, & sublimiora earum principia: *prudentia* autem versatur principaliter circa singularia, & contingentia, & ideò non habet tantam certitudinem. *Circa humana versatur, & circa illa, in quibus Consilium habet locum*, ait Philos. [2] *nam prudentis maximè opus diximus bene consulere; nemo autem consulit de impossibilibus aliter se habere* (qualia sunt objecta sapientiæ) *neque de his omnibus, quorum est finis aliquis, & hoc agibile bonum*. Sæpè tamen prudentes dicuntur sapientes, sed minùs propriè.

Resp. 2. idem esse de scientia: licèt enim dicatur etiam scientia, prout hoc nomen significat quamlibet notitiam veri tàm in speculativis, quàm practicis; tamen in rigore multum differunt; nam (inquit idem Philos.) [3] *scientia cum demonstratione est; quorum au-*

[1] *Ser. de Provid.* [2] *Ibid. c.* 8. [3] *ibid. c.* 6.

autem principia se aliter habere possunt, horum non est demonstratio; nam omnia mutari possunt. Neque locum habet consilium de his, quæ ex necessitate sunt; talia sunt objecta, & conclusiones scientificæ; ergo prudentia non est scientia, neque ars ob eandem rationem.

Resp. 3. Differt etiam à fide, quia hæc assentitur objecto ex motivo solius revelationis divinę, si est Theologica, vel humanæ, si est naturalis, & humana; prudentia verò quærit alia motiva ad assentiendum suis conclusionibus, & objectis; nam adhibet ratiocinationes, consulit doctos, & expertes; quærit vel evidentiam, vel certitudinem, saltem moralem, in agendis; imò & ipsa dirigit fidem, ne leviter credat, quia [1] *qui citò credit, levis est corde*. Et juxta monitum Joannis, [2] *Non credit omni spiritui, sed probat spiritus, utrùm ex Deo sint*.

Resp. 4. Quòd impropriè dicitur *ars bene vivendi*; propriè enim non est habitus cum recta ratione factivus, nec per se operatur ad extra, seu circa materiam externam, sed circa proprias operationes prudentis, artes verò versantur circa factibilia; ergo prudentia non est ars.

Confir. ex Philos. ars propriè *est habitus distinctus à prudentia*. Item, *Prudentia utique scientia non erit, nec ars, quia alius est finis agendi* (ut est finis prudentiæ) *alius faciendi*, (ut est finis artium) &c. opus prudentiæ est actio, seu operatio spiritualis, artis verò est factio materialis. 2. finis prudentiæ est honestas operis in ordine ad felicitatem, quæ est spiritualis; finis artis est utilitas, vel delectatio corporalis. 3. Objectum materiale prudentiæ est operatio, vel passio humana dirigenda, artis autem est quid corporeum. 4. Peccans in prudentia dicitur malus, & punibilis, non autem peccans in arte, non dicitur malus moraliter, sed ignarus; ergo Prudentia non est propriè ars.

Resp. 5. Prudentia distinguitur ab illo habitu, qui dicitur *intellectus*; nam iste est notitia simplex primorum principiorum, quæ sunt per se nota, & evidentia, & de universalibus, & necessariis; prudentia verò est de contingentibus, & particularibus, & incertis, & inevidentibus; ergo, &c.

[1] *Eccle.* 19. [2] 1. *Jo.* 4.

QUÆSTIO II.

De actibus, & muneribus Prudentiæ.

Actus prudentiæ sunt 1. *consilium*, seu *consultatio*, quæ est diligens inquisitio de agibilibus, an sint bona, vel utilia ad finem honestum. 2. *judicium*, quo intellectus post consultationem judicat positivè rem esse bonam, & media consultata esse utilia ad finem consequendum. 3. *imperium*, quod est ultima determinatio intellectus, aut voluntatis, quando ille proponit voluntati aliquem actum hìc, & nunc eliciendum. Hunc quidam vocant *imperium*, quia putant intellectum præcipere, & determinare voluntatem, ita ut non possit reniti, de quo diximus in Philosophia. Quæritur hìc, an omnes isti actus spectent ad prudentiam. Et an consultatio sit tam de fine, quàm de mediis.

CONCLUSIO. I.

Consultatio, & judicium pertinent ad prudentiam, velut actus ejus proprii, non autem imperium propriè sumptum. Est communis quoad 1. & 2. p. & contra Thomistas quoad 3. vide quæ diximus de dependentia voluntatis ab intellectu in tr. de actibus humanis. Disp. 1. q. 6. Item tr. de peccatis, an possit esse peccatum in voluntate, quin sit error in intellectu.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Prudentia enim est habitus consiliativus; quia est habitus rectè syllogizandi practicè; & tale syllogizare est consiliari. Unde habitus, quo quis est consiliativus, est prudentia.* Hinc sequitur 2. p. de judicio; non enim posset prudentia rectè syllogizare, nec consiliare sine judicio. Quoad 3. autem patet ex multis locis, & maximè cùm retorquet argumentum, quo adversarii conantur præferre intellectum voluntati, eò quod actus ejus sit causa æquivoca actus voluntatis: *contra*, inquit, [2] *ex eodem medio: nam voluntas imperat intellectui; ergo actus voluntatis est causa æquivoca efficiens respectu intellectionis.* Hoc facit ad intentum nostrum, quatenùs dicit, im-

[1] 3. d. 34. q. 20. [2] 4. d. 49. q. 4. L. 16.

imperium pertinere ad voluntatem; ergo non est actus proprius prudentiæ, quæ est in intellectu.

Prob. 1. p. 1. ex Philos. [1] *Prudentis viri est bene consulere circa ea, quæ sibi utilia sunt; quam ob rem vir prudens est consiliativus.... prudentia circa humana versatur, & circa illa, in quibus consilium habet locum; nam prudentiæ maximæ opus est bene consulere*; ergo, &c.

Prob. 2. ex Script. dicit enim Sapiens. [2] *Si intraverit sapientia cor tuum, consilium custodiet te.... ego sapientia habito in consilio .... qui omnia agunt cum consilio, reguntur sapientia ... erit salus, ubi multa consilia....* [3] *fili sine consilio nihil facias*, &c.

Confir. ex Patribus: nam inquit Ambros. [4] *Prudentia in veri investigatione versatur, & scientiæ altioris infundit cupiditatem....scire, quo consilio defendat, atque adjuvet, expectare etiam locorum, & temporum opportunitates prudentiæ est*; & sic de aliis.

Prob. 3. Ut aliquis actus honestè fiat, debet fieri in bonum finem, & per media congrua; ergo debent agnosci tam finis, quàm media; sed hæc non possunt benè sciri sine inquisitione; ergo, &c. Prob. 1. conf. Nam alioqui judicium de bonitate finis, & utilitate mediorum esset temerarium, non autem prudens; ergo, &c.

Prob. 2. p. 1. ex eodem Philos. [5] qui præter consultationem requirit conjectationem ex bonitate agendorum. *Simpliciter bene consulere est, cùm quod optimum est homini in rebus agendis, id ratiocinando conjectura assequitur*; sed ratiocinatio non est sine judicio, imò & tendit ad judicium de veritate, aut bonitate; ergo, &c. Idem docent alii Philosophi.

Prob. 2. Frustra fieret consultatio, nisi per eam cognosceretur veritas, seu bonitas finis, & utilitas mediorum, & talis judicaretur; ergo in prudentia requiritur judicium. Prob. ant. consultatio est inquisitio de bonitate finis, & utilitate mediorum ad finem consequendum; ergo nisi ex consultatione haberetur judicium, quòd bonus est finis, & quòd media sunt utilia ad illum assequendum, frustra fieret consultatio. Prob. ant. ex eodem Philos. [6] *Qui enim consultat,*

[1] *Ibid.* 7. & 8. [2] *Pro.* 8. & 8. 15. 24. [3] *Eccle.* 37.
[4] 1. *offic.* 24. & 27. [5] *Ibid.* [6] *Ibid.* 10.

tat, videtur quærere, ac resolvere, quemadmodum perveniatur ad finem.

Prob. 3. p. Nam per imperium intelligitur actus vel quo intellectus præcipit voluntati, *fac hoc*, vel, *noli hoc facere*, vel quo ostendit voluntati bonitatem, aut malitiam rei faciendæ, & congruitatem, vel incongruitatem mediorum, quæ proponuntur, objiciendo eidem voluntati leges præceptivas, & prohibitivas; sed neutrum dici potest; ergo verum imperium non pertinet ad prudentiam. Prob. min. 1. non præcipiendo; quia, ut sæpè dictum est, voluntas potiùs dominatur, & imperat intellectui, & applicat, vel distrahit illum ab objectis, vel actibus circa illa; ergo intellectus non habet imperium proprium, & efficax in voluntatem, nec in alias potentias. 2. non proponendo leges præceptivas, aut prohibitivas, seu regulas morum; nam qui hoc facit, non imperat, nec dominatur, sed potiùs servit, & ancillatur; ergo licèt intellectus per prudentiam proponat leges agendorum, vel omittēdorum, non sequitur, quòd imperet; ergo proprium imperium non spectat ad prudentiam.

Dixi, *propriè sumpto nomine præcepti*; nam si per imperium intelligas solùm intimationem, seu notificationem rei agendæ, aut omittendæ, seu obligationis aliquid hìc, & nunc faciendi, vel omittendi, uno verbo, ultimum judicium practicum, & dictamen rectæ rationis, facilè concedimus, hunc actum pertinere ad intellectum, & prudentiam; sed hìc actus valdè impropriè dicitur imperium, cùm potiùs sit imperii, seu legis intimatio, & ostensio regulæ bene agendi, quod est potius ministerium.

Dico etiam *hic, & nunc*, & in particulari; nam dictamen agendorum in generali non pertinet propriè ad prudentiam, quæ respicit actus humanos in particulari, sed ad alium quemdam habitum, qui potest dici *synderesis*, aut alius similis naturæ, quæ est ipsa mens cum notitia universali agendorum.

Objic. 1. con. 1. p. Scientia moralis, & synderesis sufficienter dictant de fine, & mediis; ergo frustra est alia consultatio prudentiæ. Probat. ant. scientia illa sufficienter continet præcepta, & regulas morum; sed non contineret, nisi dictaret sufficienter de fine, & mediis; ergo, &c.

Resp.

Resp. dist. utrumque ant. dictat in universali, & confusè, con. in particulari, & distinctè, neg. ant. & conf. Nam ad prudentiam spectat notitia finis hujus, & mediorum, quibus hic, & nunc in præsentibus circumstantiis sit quærendus; quod sine consultatione prudenti fieri non potest.

Objic.2. Potest homo consultare de fine, & mediis ante adeptum habitum prudentiæ; ergo consultatio non est actus prudentiæ.

Resp. dist. ant. consultare minùs perfectè, & minùs faciliter, con. ant. perfectè, & faciliter, sicut post adeptum habitum, neg. ant. & conf. illa consultatio erit ex lumine naturali, & synderesi, & ex prudentia naturali; sed fiet cum minori facilitate, & perfectione, quàm per habitum acquisitum.

Objic.1. con.2. p. Consultatio sufficienter dictat de fine, & mediis, ut voluntas eligat; ergo frustra est alius actus judicii. Prob. ant. ex simplici apprehensione, & intuitu bonitatis rei appetendæ, & medii conducentis ad eam obtinendam sæpè operamur, & quidem benè; sed tunc nihil adhibetur præter consultationem; ergo hæc sufficit.

Resp. neg. ant. & dist. maj. Operamur benè, quasi fortuito, & per accidens, con. cum certitudine, saltem morali, & prudenter, neg. maj. & conf. nam ut electio sit aliqualiter certa, & prudens, debet fieri post exactam, & maturam cognitionem finis, & utilitatis mediorum; & talis cognitio non habetur sine discursu, & judicio saltem virtuali ex consultatione illato.

Inst. Adhuc intellectus in tali judicio potest falli æquè, ac in consultatione; ergo ista sufficit sine illo.

Resp. dist. ant. Potest falli absolutè, con. tam facilè, neg. ant. Nam quò maturiùs deliberamus, & judicamus, eò securiùs agimus; & licèt absolutè possimus falli in judicio, & post consultationem, agimus tamen prudenter propter invincibilitatem ignorantiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De partibus prudentiæ, quæ, & quales sint.

Istæ partes sunt vel *integrantes*, sine quibus prudentiæ usus non est integrè perfectus, vel *subjectivæ*, ut species ejus sub ratione generica, vel *potentiales*, quasi facultates, ut intellectus, & voluntas sunt potentiæ animæ. De singulis hìc pauca dicenda, quantùm sufficiat studentibus.

Dicuntur autem *integrales*, non quòd componant hunc habitum integraliter, sicut brachia, crura, caput, &c. componunt corpus humanum integraliter; sed quia faciunt ad ejus perfectionem, & usum faciliorem. Sunt autem octo sequentes.

1. *Memoria*, quæ est recordatio præteritorum, & maximè eorum, quæ gesta sunt in similibus casibus, & circumstantiis, de quibus deliberamus. Nam ex illorum recordatione, & comparatione formamus judicium de successu, quasi ab expertis.

2. *Intelligentia*, quæ est advertentia, & æstimatio rerum præsentium, de quibus formari debet judicium, quantùm opus est ad consequendum finem, & eligenda media opportuna. Aliqui explicant de intellectu, seu de habitu primorum principiorum, seu generalium regularum moralis scientiæ cognitione.

3. *Docilitas*, idest facilitas audiendi, & accipiendi consilia, & doctrinam ab aliis, tum audiendo sapientes, & peritos, tum legendo libros, & exempla: alioqui facilè decipimur, dum volumus esse prudentes apud nosmetipsos; & sæpiùs excœcamur à propriis cupiditatibus, & affectibus. Ideò monet Sapiens; [5] *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sis sapiens apud temetipsum*.

4. *Solertia*, quæ est perspicacia quædam, & facilitas excogitandi media ad finem, & dicitur à D. Thoma *Eustochia*; hæc paratur vel ex proprii ingenii felicitate, vel ex alienis consiliis, & doctrina; *Est enim solertia, & alterum bene consulere* (ait Philos.) [2] *solertes, & agentes aliquid plus: quærunt enim, quid sibi bonum sit, & hoc agendum esse existimant; & ex*

[1] *Prov.3.* [2] *6. Eth.10.*

ex hac opinione notum eſt, hos eſſe prudentes.

5. *Ratio*, quæ diſcurrendo examinat ea, quæ proponuntur agenda: nam inquit idem Philoſ. [1] *Simpliciter bene conſulere dicendus eſt ille, qui quod optimum eſt in rebus agendis, id ratiocinando conjectura aſſequitur.*

6. *Providentia*, quæ in deliberando, & agendo reſpicit futura ſive bona, ſive mala, quæ ex agendis naſci poſſunt, ne, cùm acciderint, dicat homo, *non putaram, quod turpe eſt dicere*, ait Cicero; [2] &, ut docet Auguſt. [3] prudentia pars eſt *providentiæ, per quam videtur aliquod futurum, antequam ſit.* Nam inquit Ambroſ. *Id agere debemus, ne nos arbitrii noſtri pœniteat, aut facti*, quando ſc. acciderit malum improviſum:

7. *Circumſpectio*, quæ eſt circumſtantiarum omnium conſideratio, ne ex aliqua veniat in actum defectus, aut malum aliquod, vel impedimentum finis intenti: & iſta pars dicitur *ſoror providentiæ*; & per eam fit, ut opera ſint undecumque bona.

8. *Cautio* videtur coincidere cum *providentia*, & *circumſpectione*. Eſt autem actus, vel habitus, quo declinantur occurrentia impedimenta; eſtque proviſio quædam contra mala contraria, aut vitia, quæ undecumque imminent. Ideò monebat Apoſtolus; [4] *Videte, fratres, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes.*

Quantùm ad partes ſubjectivas, prudentia variè ſolet dividi ſecundum diverſa ſubjecta, ſeu perſonas, in quibus reperitur, & diverſa munera ſingulorum.

Alia eſt in principe, & alia in ſubditis; alia in perſonis privatis, & alia in publicis, ſeu magiſtratibus. In privatis dicitur *monaſtica*; in publicis, & regentibus dicitur vel *œconomica*, quæ verſatur circa adminiſtrationem rerum familiæ, vel *politica*, quæ circa regimen civitatis, aut Provinciæ, aut Regni, vel *legiſlativa*, quæ dirigit Regem, aut Rempublicam in ferendis legibus, aut *militaris*, quæ reſpicit bonum exercitus, & rei militaris.

Dividitur etiam ſecundum ſpeciales aliarum virtutum materias, quas dirigit: nam ſingulæ habent ſuam pru-

[1] *Ibid.c.8.* [2] *1. Offic.83. qq.31.* [3] *Ep.82.*
[4] *Epheſ.5.*

prudentiam specialem ; v. g. temperantia suam ; justitia, & fortitudo suam.

Quantùm ad *potentiales*, dicuntur esse tres. *Eubulia*, seu *consultativa*, *synesis*, seu *indicativa* ; & *Gnome*. 1. Est habitus inclinans ad rectè consultandum. 2. habitus judicandi rectè de operibus particularibus consultatis, & hoc secundum regulas communes. 3. autem inclinat ad determinandum de his, quæ facienda occurrunt, & non sunt explicitè statuta per legem aliquam. Ideò dicitur etiam *Epicheja*, quia judicat, & determinat per interpretationem, seu correctionem quarumdam legum ex æquitate, & secundum regulas superiores, & generales morum.

QUÆSTIO IV.

De objecto prudentiæ, an respiciat finem, & media.

EX his, quæ diximus de objecto materiali, & formali virtutum Cardinalium in communi, & de prudentiæ natura, facilè colligitur, quid dicendum sit de illius objecto materiali, & formali. Tamen majoris lucis gratia pauca hìc sunt explicanda, & maximè, an illa dictet æqualiter de fine, & mediis ; de quo est major controversia in scholis.

CONCLUSIO I.

OBjectum materiale proximum prudentiæ sunt actiones morales ; remotum autem sunt materiæ, circa quas versantur illæ actiones.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Sicut ars respicit factibilia, ita prudentia respicit agibilia, nec erit major connexio agibilium, ut respiciuntur ab isto habitu, quàm factibilium .... sicut ergo diversa factibilia requirunt diversas artes proprias, ita diversa agibilia diversas prudentias proprias* ; ergo Prudentia (ex Scoto) [2] attingit omnes actus virtutum moralium, & illi sunt materiale objectum ejus, & in omnibus eorumdem actuum materiis, quia sunt de agibilibus.

Prob. 2. ex definitionibus prudentiæ, ut cùm dicitur

[1] *Ibid. L. 22.* [2] *6. Ethic. 6.*

tur *habitus cum vera ratione, qui in eis agendis versatur, quæ sunt homini bona, & mala*. Et cùm dicitur *operantis oculus*. Et à Clito Pithagoræo *Mater omnium virtutum*; ergo respicit actus, & materias omnes aliarum virtutum.

Prob. 3. ex Patribus, qui prudentiam vocant *Aurigam virtutum*, ut Bernardus, [1] *lucernam animæ, reginam cogitationum, magistram eorum, quæ bona sunt*, ut Chrysost. *est veluti materfamilias ex rationis præscripto omnia dirigens in familia proborum*, ut Maximus Tyrius. Quæ fusè explicat Augustinus percurrens singulas virtutes, & vitia.

Prob. 4. Illud est objectum materiale prudentiæ, circa quod versantur actus ejus; sed actus ejus versantur immediatè circa omnes operationes morales, & mediatè circa omnes materias earum; ergo, &c. Prob. min. Nam versatur circa omnia moraliter agibilia, quæ faciunt ad humanam perfectionem, & felicitatem, dictans, an, & quomodo hìc, & nunc facienda sunt, aut vitanda; ergo, &c.

Confir. de objecto materiali remoto. Nam prudentia non potest dirigere actus aliarum virtutum in singulari, nisi respiciat etiam materias singulares omnium cum circumstantiis omnibus, in quibus elici debent illi actus; ergo omnes materiæ actuum humanorum, & virtutum sunt de objecto materiali prudentiæ.

Objic. 1. Aliæ virtutes habent pro objecto proprios actus; ergo non debent assignari prudentiæ actus aliarum virtutum pro objecto materiali.

Resp. neg. conf. Nam quia prudentia dirigit alias, ideò præter suos proprios actus, debet etiam respicere alienos, quos dirigat.

Objic. 2. Objectum materiale unius habitus debet esse subjectum objecti formalis: sed actus aliarum virtutum non sunt subjecta formalitatis, sub qua prudentia respicit suos, nec illos, ergo, &c. Prob. min. objectum formale prudentiæ est veritas, quia est habitus intellectualis; sed veritas non respicitur in actibus aliarum virtutum, sed tantùm in propriis actibus prudentiæ, seu intellectus; ergo, &c. Prob. min. Aliæ virtutes sunt in voluntate; sed voluntas non respi-

[1] *Ser. 49. Cant.*

picit veritatem, sed bonitatem actuum suorum; ergo, &c.

Resp. neg. 1. min. & dist. 2. & 3. maj. Veritas Logicalis, seu cognitionis, con. Metaphysicalis, & rei, neg. min. & 2. & 3. maj. Nam ipsa bonitas actuum virtutis justitiæ v. g. habet suam veritatem realem, quæ consistit in conformitate illorum ad sua principia, secundum quæ est cognoscibilis, sicuti est, seu cognitione, quæ illi conveniat, ut diximus aliàs de veritate transcendentali; & adhuc patebit.

CONCLUSIO II.

Objectum formale prudentiæ est veritas bonitatis actuum moralium, seu conformitas eorum ad regulas morum. Est communis.

Prob. 1. ex Philos. dicente, quòd *totius activi opus est veritas consentanea appetitui recto*; ergo quidquid prudentia respicit, illud respicit sub hac ratione, sc. secundum veram bonitatem moralem.

Prob. 2. Omnes actus prudentiæ sunt consultare, judicare, & dictare de agendis, ut sint recta; ergo objectum formale prudentiæ consistit in illa veritate bonitatis operationum humanarum. Ant. patet ex dictis. Prob. conf. illud dicitur objectum formale habitus, sub quo attinguntur omnia objecta ejus materialia; ergo si omnes actus prudentiæ tendunt ad actus morales, ut sint recti moraliter, & verè, hæc veritas bonitatis erit objectum formale habitus prudentiæ.

Confir. Nam si prudentia ut habitus intellectualis non respiceret nisi veritatem in communi, & in essendo, vel cognoscendo, non differret à sapientia, vel scientia speculativa; quia utraque respicit veritatem rerum in abstracto, seu in communi; ergo prudentia, quæ est cognitio practica, debet respicere veritatem bonitatis actuum in particulari, & ut veram.

Objic. 1. Actus prudentiæ non habent veritatem pro objecto, sed rectitudinem, seu bonitatem moralem; ergo nec habitus ejusdem; nam habitus, & actus ejus habent idem objectum. Prob. ant. nam sic illi actus respicerent seipsos; sed conf. est absurdum; ergo, &c. Prob. maj. consultatio, judicium, & dictamen habent ex sua ratione formali veritatem, seu con-

conformitatem cognitionis cum objectis suis; ergo, &c.

Resp. neg. ant. 1. argum. maj. 2. & ant. 3. Nam veritas, quam dicimus objectum formale horum actuum prudentiæ, non est veritas Logica, seu cognitionis, sed rei, seu bonitatis moralis actuum, quos illa dirigit, seu proprios actus, de quibus loquimur.

Inst. Sic confunderetur prudentia cum scientia morali; sed. conf. est falsum, & contra nos: ergo, &c. Prob. maj. scientia moralis respicit etiam bonitatem, seu veritatem bonitatis actuum humanorum; ergo prudentia, & scientia moralis haberent idem objectum etiam formale, & confunderentur.

Resp. neg. maj. & dist. ant. veritatem bonitatis in abstracto, & in communi, con. in particulari, & in concreto, neg. ant. nam hoc spectat ad solam prudentiam, ut suprà dictum est.

Objic. 2. Objectum habitus practici est opus ejus; alioqui non differret à speculativo, qui supponit objectum suum; sed illa veritas non est opus prudentiæ, quæ est habitus practicus; ergo illa veritas bonitatis non est objectum prudentiæ. Prob. min. nam antecedenter ad omnem actum prudentiæ, hic actus, v. g. jejunium in die quatuor temporum, habet veritatem conformitatis ad præceptum; ergo non est opus prudentiæ.

Resp. dist. min. Illa veritas in idea, & ut possibilis, & debita, & in actu signato, con. realiter, & in actu exercito, seu quatenus hìc, & nunc ponitur in esse, neg. min. & prob. ejus. Nam veritas bonitatis ut possibilis, & debita, & idealiter non est quidem opus prudentiæ, nec objectum ejus, sed scientiæ moralis; at de facto, & in actu exercito est opus, & objectum prudentiæ.

Inst. ergo Prudentia non differret ab aliis virtutibus; sed conf. est falsum, & contra nos; ergo, &c. Prob. subs. aliæ virtutes respiciunt etiam veram bonitatem in particulari, & in actu exercito; ergo &c.

Resp. neg. subsumptum, & dist. ant. respiciunt veram bonitatem specificativè, & materialiter, con. formaliter, & reduplicativè ut veram, neg. ant. temperantia respicit jejunium, prout dictatum, & conforme regulis rectæ rationis, & prudentiæ, sed pru-

dentia respicit illam conformitatem, ut sit vera secundum suas regulas; quibus eam applicat, & de hoc judicat: temperantia verò respicit eandem, sed directè, & in se.

Objic. 5. Bonitas specificat principalem actum prudentiæ, non autem veritas; ergo ista non est objectum formale prudentiæ. Prob. ant. dictamen, seu imperium rectæ rationis respicit bonitatem actus, quia illum dictat; sed illud dictamen est actus principalis prudentiæ; ergo, &c.

Resp. neg. ant. & maj. nam omnes actus prudentiæ, & dictamen ejus respiciunt directè veritatem bonitatis moralis, & hæc illos specificat; sicut virtutes appetitivæ, seu morales respiciunt directè ipsam bonitatem sibi à prudentia ostensam ut veram.

CONCLUSIO III.

PRudentia non solum respicit media, sed etiam finem virtutum. Ita Scotistæ contra Thomistas quoad 2. p. de fine.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Prudentia non solùm est circa media ordinata ad consequendum finem ultimum, sed etiam dictando de ipso fine, saltem in particulari, puta, de castitate.* Et id probat solidè.

Prob. 2. tota conclusio. Virtutes morales in suis actibus respiciunt finem, & media; ergo & prudentia. Ant. patet; nam temperantia, quæ utitur jejunio, ut servet castitatem, contra quam tentatur, respicit honestatem castitatis ut finem suum specialem æquè, ac jejunium, quo eam conservat. Prob. cons. nam voluntas non potest velle conservare castitatem ob ejus bonitatem per jejunium, nisi utrumque sibi proponatur, & dictetur à prudentia: voluntas enim est potentia cœca, & non fertur in incognitum; ergo si virtutes morales in suis actibus respiciunt finem, & media, hæc etiam debet respicere prudentia, ut possit ea dictare illis, v. g. in jejunante ut vincat tentationes contra castitatem, prudentia illi proponit bonum castitatis, ut finem immediatum illius virtutis, & jejunium ut medium ad eam servandam.

Prob. 3. & confir. hæc ratio. Sæpè deliberamus de fini-

[1] *3. d. 36. l. 18.*

finibus æquè, ac de mediis, & circa illa necessaria est quædam electio: & qui ex pluribus finibus proponeret meliorem, tam diceretur prudens, quàm qui ex pluribus mediis proponeret utilius; ergo prudentia æquè respicit finem, ac media.

Prob.4. ex Scoto; nam si prudentia non respicit finem specialem unius virtutis, non poterit ostendi unitas prudentiæ particularis ejus; & sic tot erunt prudentiæ castitatis, v. gr. quot erunt media ejus; sed conf. est absurdum; ergo, &c. Prob. maj. unitas prudentiæ castitatis, sicut nec ipsa castitas, non potest peti nisi ab unitate finis ejus; nam media sunt plurima, & diversissima, ut jejunia, vigiliæ, orationes, flagellationes, &c. ergo nisi prudentia, quæ dirigit castitatem, respiceret finem ejus, & ab eo sumeret unitatem, tot essent prudentiæ diversæ specie, &c.

Objic.1. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponendi actus prudentiæ circa finem; ergo, &c. Prob. min. recta ratio sufficit ad proponendos fines virtutum; ergo non sunt necessarii ad hoc actus prudentiæ.

Resp. neg. min. & dist. ant. Sufficit ad dictandos fines in universali, con. in particulari, neg. ant. nam recta ratio, seu synderesis dictat de fine virtutum in communi, v. g. dictat de servanda mediocritate in virtutibus moralibus, sed præscindit à circumstantiis in particulari, & hic & nunc; hoc pertinet ad prudentiam specialem singularum virtutum.

Objic.2.ex Phil. [1] *Opus ex prudentia, & ex virtute morali perficitur: virtus enim scopum* (finem) *proponit; prudentia, quæ ad opus tendunt* (media) *perficit .... virtus finem, prudentia quæ ad finem tendunt, ut agamus facit*; ergo ex Philosopho, prudentia non dictat de fine, sed solùm de mediis.

Resp. neg. conf. Nam Philos. vult solùm, quòd virtus primariò, & principaliter intendat finem, & secundariò media; at prudentia primariò dictat de mediis, & secundariò de fine. Vult, quòd actus principalis prudentiæ dictet de mediis, sed non excludit finem.

CON-

[1] *6. Ethic.22. & 13.*

CONCLUSIO IV.

Prudentia respicit non tantùm singularia, sed etiam universalia. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. *Nam*, inquit, *non solùm est circa media ordinatè ad consequendum finem ultimum, sed etiam dictando de ipso fine, saltem in particulari* ... & pro 2. p. *Nam de finibus propriis virtutum moralium dictatur discurrendo à principio practico sumpto à fine particulari ad universales*; ergo prudentia attingit non solùm particularia, sed etiam universalia.

Prob. 2. ex Philos. [2] *Neque prudentia est universalium tantùm, verum etiam & singularia oportet cognoscere; nam activa est; actio autem in singulis versatur*, &c. ergo prudentia respicit singularia, & universalia.

Prob. 3. quoad 1. p. Toties dicimus hominem esse prudentem, & agere prudenter, quoties operatur aliquid boni; sed illi actus sunt particulares; ergo prudentia respicit particularia.

Prob. 2. p. Non potest homo consultare de mediis ad aliquem finem, nec de illis judicare, aut dictare, nisi ratiocinando ex principiis universalibus ad particularia, seu ad actus particulares, de quibus deliberatur, denique ex principiis scientiæ moralis; ergo prudentia respicit etiam universalia.

Confir. Nemo prudenter agit, nisi observet præcepta, & leges naturales, & positivas, divinas, & humanas, nec judicare, an actus aliquis hic, & nunc sit bonus, nisi applicando illi tales regulas generales morum; ergo, &c.

Objic. cont. 1. p. Prudentia non est in sensibus externis; sed soli sensus externi versantur circa singularia; ergo prudentia non est de singularibus. Prob. min. nam ex Philos. *intellectus est de universalibus*; ergo, &c.

Resp. dist. min. Soli sensus externi sunt de singularibus sensibiliter, con. intelligibiliter, & absolutè, neg. min. & dist. ant. prob. de universalibus per singularia, con. de singularibus absolutè, & solis, neg. ant. & forte Philosophus loquitur de intellectu, prout

[1] *Ibid.* [2] *Ethic.* 8.

ut est habitus primorum principiorum, quæ sunt propositiones universales. Nam experientia constat, nos intelligere singularia, imò ex his ascendimus ad universalia.

Inst. Singularia sunt infinita; sed prudentia non habet infinitum pro objecto; ergo nec singularia.

Resp. dist. maj. sunt infinita syncategorematicè, con. maj. & neg. min. categorematicè, neg. maj. & cons. & præterea omnia singularia non cadunt sub directionem prudentiæ, sed soli actus humani.

CONCLUSIO V.

P*Rudentia respicit actus omnium virtutum, etiam Theologicarum*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *De finibus propriis virtutum moralium dictatur discurrendo à principio practico, à fine universali ad particulares .... ille habitus generatus ex dictaminibus circa fines particulares, saltem qui sunt proprii virtutum moralium, sive circa media ordinata ad illos fines, est propriè prudentia .... virtus moralis non potest esse sine prudentia circa propriam materiam*; ergo ex Scoto, versatur circa actus virtutum moralium, & est eadem, licèt non tanta ratio de Theologicis.

Prob. 3. quoad morales: nam tres morales consistunt in mediocritate; ergo omnes in suis actibus egent prudentia dirigente illarum actus, ne excedant, aut deficiant à mensura, & mediocritate.

Confir. ex Philos. *Prudentia est circa omnia humana bona, & utilia, non particulariter, sed universaliter ad totius vitæ statum benè dirigendum*; ergo attingit omnes actus virtutum moralium.

Confir. 2. ex dictis de causa finali virtutum, & de actibus prudentiæ; ibi enim patet, eam versari circa omnes actus humanos, ut dirigat eos secundum regulas morum; ergo, &c.

Prob. 2. p. Nam etiam actus virtutum Theologicarum in statu viæ debent dirigi ad aliquam mediocritatem, ut diximus ab initio tract. præcedentis; ergo prudentia respicit etiam earum actus. Prob. ant. nam actus fidei debent esse 1. firmi. 2. prompti, & sine hæsita-

[1] *Ibid. k. 20.*

les excitantes, & adjuvantes ex parte potentiæ, & per illas elevantur tam potentia, quàm habitus prudentiæ, & virtutum moralium.

QUÆSTIO V.

De subjecto prudentiæ.

INter subjecta virtutum aliud est mediatum, & *quo*: aliud adæquatum, & immediatum, & *quod*. De utroque est quæstio, sc. in qua facultate animæ rationalis subjectetur habitus prudentiæ, an in solo intellectu, an in solo homine, & non in Angelis, vel Beatis, an in solis justis, an etiam in peccatoribus?

CONCLUSIO I.

H*Abitus prudentiæ subjectatur in solo intellectu, non autem in sensibus ne quidem internis*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Intellectus perfectissimè perficitur per prudentiam .... ipsa enim est de omni agibili, & quantùm ad omnem conditionem agibilis perfectissima notitia*. Et antea dixerat, *De tota divisione habitus intellectivi non accipitur in numero virtutum, nisi una infusa, quæ est fides, et quoddam genus ad multas practicas acquisitas, quæ dicitur prudentia*: Et quoad 2. p. patet ex dictis de non ponendis virtutibus in sensu.

Prob. 2. quoad 1. p. Nam solus intellectus indiget habitu ad rectè consulendum, & judicandum de agibilibus; quia illi actus sunt in solo intellectu; ergo prudentia est in solo intellectu; ibi enim debet esse habitus, ubi sunt actus, à quibus generatur, & ad quos inclinat, & concurrit.

Confir. Nam solus intellectus est potentia intellectiva, & consultativa, & ratiocinativa ex universalibus principiis ad particularia procedens; sed hæc pertinent ad prudentiam; ergo hæc est in solo intellectu. Hinc

Prob. 2. p. de sensu. Nulli sensui convenit consultare, nec judicare, aut dictare, quia nullus est rationalis, aut discursivus; ergo nulli sensui convenit pruden-

[1] 3. d. 34. C. 7. et d. 33. A. 3.

prudentia. Prob. conf. consultatio, judicium, & dictamen non possunt fieri sine ratiocinatione, qua ex regulis generalibus, & præceptis scientiæ moralis concludantur, & dictentur particularia agibilia; ergo, &c.

Objic. 1. Prudentia est habitus electivus, alioqui non esset virtus; sed electio pertinet ad voluntatem; ergo & prudentia, sicut & aliæ virtutes. Prob. maj. ex definitione virtutis.

Respondeo dist. maj. habitus electivus directivè, con. elicitivè, neg. maj. & prob. ejus: prudentia dirigit voluntatem ad eligendum, sed ipsa non eligit, & ad prob. pariter dicendum, quòd omnis virtus est habitus electivus directivè, ut prudentia, aut elicitivè, ut justitia, &c.

Objic. 2. Actus prudentiæ pendet à voluntate; ergo in illa est prudentia. Prob. ant. nam intellectus non consultat, nec judicat nisi ex imperio voluntatis applicantis illum ad consultandum; alioqui non essent actus morales.

Resp. dist. ant. pendet à voluntate imperativè, con. elicitivè, neg. ant. & conf. nam ipsa voluntas non consultat, nec judicat, sed applicat intellectum ad illos actus, &c. ad videndum, seu inquirendum de bonitate finis, & utilitate mediorum, ut de illis judicet, & dictet.

Objic. 3. Intellectus non respicit nisi universalia, sensus verò singularia; sed prudentia est de singularibus; ergo est in sensibus, & non in intellectu.

Resp. ex dictis, neg. ant. quoad 1. p. nam licèt ad intellectum spectet cognoscere de universalibus, adhuc descendit ad singularia, & sic prudentia respicit utraque, & ideo non potest esse in sensu, qui non respicit nisi singularia.

Inst. ex Scoto. [1] Intellectus in viatore non respicit singularia sub propriis rationibus; ergo non potest judicare de illis per prudentiam sibi inhærentem.

Resp. dist. ant. Sub propriis rationibus intuitivè, & præcisè, con. concretivè, & cum rationibus communibus, neg. ant. nec enim id somniavit Scotus; [2] sed

[1] 3. *d.* 14. *q.* 3. *E.* 9.
[2] *Quodl.* 14. *E.* 9.

sed potiùs contrarium docet, sc. quòd intellectus, ut potentia superior sensitiva, potest cognoscere universalia, quod sensitiva facere nequit, sed sensus nihil potest cognoscere, quod non possit intellectus.

Objic. 4. Prudentia est in brutis; ergo & in sensu humano, qui est longe perfectior. Prob. ant. 1. ex Philos. [1] *Bestiarum aliquas prudentes esse dicunt, quæcumque circa vitam suam providentiam habere videntur, ut formicæ, et apes.* 2. ex Script. [2] *Estote prudentes, sicut serpentes*; ergo &c.

Resp. dist. ant. utrumque, prudentia impropria, & similitudinaria, con. propria, neg. ant. utrumque: nec Philosophus, nec Christus loquuntur de vera, & propria prudentia, sed de similitudinaria propter similitudinem quandam actuum, qui sunt in illis brutis cum illis, quos dictat nobis vera prudentia.

CONCLUSIO II.

Non tantùm homo viator, sed etiam Angeli, et Beati sunt capaces prudentiæ.

Prob. 1. ex Scoto. [3] citato pro virtutibus moralibus in communi, & de Angelis dicit, quòd *si Angelus esset creatus in puris naturalibus, non habens in voluntate virtutes morales, possent generari in eo multis rectis electionibus*; ergo idem est de prudentia, nec enim possunt elici actus illarum virtutum sine ista.

Prob. 2. de hominibus constat ex huc usque dictis, eam esse virtutem propriam intellectuali naturæ; ergo & homini.

Prob. 2. p. de Angelis; nam certum est, quòd ab initio creationis poterant ex prudentia sibi infusa moderari amorem sui, & ad hoc debuerunt consultare, & judicare de mediis necessariis, aut congruis; ergo potuerunt habere actus prudentiæ, & per illos potuerunt acquirere habitum ejus; ergo Angeli sunt capaces prudentiæ acquisitæ, & habitualis.

[1] 6. *Ethic.* 8.
[2] *Matth.* 10.
[3] 2. d. 33. 7.

Prob. 2. Nam etiam nunc in ſtatu beatitudinis dicuntur prudentes, & de facto ex prudentia nos dirigunt; ergo &c. prob. ant. nam, inquit Bernardus de Angelis cuſtodibus, [1] *nec ſuperare, nec ſeduci, minùs autem ſeducere poſſunt, qui cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris, fideles ſunt, prudentes ſunt,* &c.

Confir. Nam in Chriſto admittitur prudentia, ut ſuppono ex tr. de Incarnat. ergo & in Angelis; imò non dicitur indigna Deo, ſublatis tamen imperfectionibus, quibus ſubjacet in creaturis; nam dicitur, [2] quòd *ſtabilivit cælos prudentia*, & quòd *prudentia ſua extendit cælos*; ſc. tribuitur Deo eminenter, & exemplariter. Item. [3] *Attingit à fine ad finem fortiter, et diſponit omnia ſuaviter*, quæ ſunt munia prudentiæ.

Prob. 3 p. de Beatis. Nam, ait Auguſt. [4] *Juſtitia in beatitudine tanta erit, et talis, ut perfectior, et major eſſe non poſſit, prudentia ſine ullo periculo erroris, fortitudo ſine moleſtia*, &c. & Magiſter, [5] *Virtutes omnes Cardinales in Chriſto fuerunt, et ſunt, in quo habuerunt uſus eoſdem, quos in patria habent.* Et Hieronymus hortatur, *ut diſcamus in terris, quorum nobis ſcientia remanebit in cælis*; ergo remanebit & prudentia.

Confir. tota concluſio ex dictis de ſubjecto virtutum moralium in communi.

Objic. Non admittuntur in Angelis aliæ virtutes morales; ergo nec iſta. Prob. ant. nam Angeli non habent paſſiones moderandas, nec mediocritatem ſervandam; ergo nec egent prudentia.

Reſp. neg. ant. Nam in Chriſto, & B. Virgine admittuntur paſſiones, non quidem moderandæ, ſed ſaltem ad uſum, & ornatum: ita eſt de virtutibus in ſtatu heroico.

CON-

[1] *Pſ. 70.* [2] *Prov. 3.*
[3] *Jerem. 10.* [4] 14. *Tri. 9.*
[5] 3. *d.* 33.

CONCLUSIO III.

P*Rudentia etiam subjectatur in peccatoribus, et à fortiori in justis.* Est communis.

Prob. 1. ex Script. Nam Christus agnoscit aliquam prudentiam in peccatoribus dicens, [1] *Filii tenebrarum sunt prudentiores filiis lucis.* Et sapiens dicit ad omnes tam peccatores, quàm justos. [2] *Inclina cor tuum prudentiæ, et prudentia servabit te;* ergo utrique sunt capaces prudentiæ.

Prob. 2. Si peccatores essent incapaces prudentiæ, frustra invitarentur ad actus virtutum, tanquam media ad consequendam veniam peccatorum, & vitam æternam, ut cùm Daniel [3] dicebat Nabuchodonosori; *Consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime.* Et Christus adolescenti, [4] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Confir. Nam Philosophi, & gentiles non fuerunt sine aliqua prudentia, eam habuerunt, sicut & alias veras virtutes; ergo &c.

Objic. 1. ex Philos. [5] prudentia dirigit ad bonum; ergo impossibile est, prudentem non esse bonum; ergo & prudentiam esse in peccatore, qui malus est.

Resp. dist. ant. Dirigit ad bonum, quantum est ex se, & si homo velit bene uti ejus directione, con. per accidens, & ex malo usu, neg. ant. & cons. nam multi sciunt, bonum, & finem, quem debent prosequi, & media, quibus possunt illum consequi, neutrum tamen faciunt: Prudens ut prudens, seu operans prudenter est semper bonus. Non autem omnis habens prudentiam operatur semper prudenter, nec bene: bonitas moralis est in voluntate, & est ab aliis virtutibus formaliter, à prudentia verò directivè, & quasi efficienter.

[1] *Luc.* 16. [2] *Pro.* 2. [3] *Dan.* 4.
[4] *Matth.* 19. [5] 6. *Ethic.* 6.

QUÆSTIO VI.

De unitate prudentiæ, an sit unica pro omnibus virtutibus.

MOx dicebamus, prudentiam respicere actus aliarum omnium virtutum: restat videndum, an id fiat per unicum, & eundem indivisibiliter habitum; an per plures etiam specie diversos juxta diversitatem illorum actuum, ita ut cuilibet virtuti morali detur sua prudentia, v. g. temperantiæ sua, justitiæ sua, & quæ dictet de mediocritate servanda in suis actibus circa sua objecta, & de mediis ad id præstandum idoneis.

CONCLUSIO.

PRudentia non est sic una, quin dentur tot ejus species, aut genera subalterna, quot sunt virtutes aliæ, quas dirigit. Ita Scotistæ, & alii contra Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Potest dici, quòd sicut ars respicit factibilia, ita prudentia agibilia, nec est major connexio agibilium, ut res respiciuntur ab uno habitu, quàm factibilium; ergo sicut diversa factibilia requirunt diversas artes proprias; ita diversa agibilia diversas prudentias proprias: et sicut aliquis potest esse benè affectus circa aliqua agibilia, et malè circa alia, ita etiam in dictando potest esse habituatus ad rectè dictandum circa ista, et non circa illa, cùm nec circa illa habeat principia ad dictandum, nec conclusiones sequentes ex illis.* Igitur sicut ars in genere supremo respicit omnia factibilia, ita & prudentia respicit omnia agibilia etiam generaliter: & sicut singulæ artes in suo genere subalterno, vel in sua specie respiciunt sua factibilia, & regulas illorum tradunt.... sic & singulæ virtutes suas operationes, & suas habent regulas, v. g. temperantia suas, justitia suas &c. ergo & singulæ suas prudentias dictantes diversas illas regulas.

Dices. Virtutes habent eundem modum consultandi, & judicandi de mediocritate suorum actuum, non

[1] 3. *d*. 36. *l*. 22.

non verò artes circa suas regulas proprias; ergo est disparitas de virtutibus, & de artibus, illis sufficit unicus habitus prudentiæ, non verò istis, sc. artibus.

Contra. Tam artes conveniunt in modo consultandi, & judicandi de mediis ad suos fines, quàm illæ virtutes; ergo si virtutibus sufficit una prudentia circa omnes earum operationes, & omnia agibilia, ita & artibus ad omnia factibilia. Prob. ant. singulæ artes consultant sua principia, & suas regulas: sic omnes scientiæ recurrunt ad definitionem sui objecti, ut de illo conficiant suas demonstrationes; ergo &c.

Prob. 2. ex eodem. Nam, ut dicebamus, potest aliquis inclinari ad actus unius virtutis, v. g. temperantiæ in cibo, & potu, & non ad actus alterius, v. g. humilitatis, aut liberalitatis, sed potiùs eos aversari; ergo potest inclinari, & habituari ad rectè judicandum, & dictandum de mediis temperantiæ à cibo, & potu sine habitu ad dictandum de mediis liberalitatis, vel humilitatis, &c. ergo habitus prudentiales singularum virtutum distinguuntur genere, aut specie, sicut & illæ virtutes. Prob. cons. nam illæ omnes, & singulæ virtutes habent sua specialia media, quæ sunt objecta diversæ rationis; ergo possunt cognosci, & dictari diversis habitibus tam prudentiæ, quàm scientiæ, sicut objecta diversarum scientiarum, & artium.

Confir. Qui per frequentes actus temperantiæ in cibo acquirit habitum illius, non acquirit per eosdem habitum humilitatis, aut liberalitatis; & per hoc, quod novit regulas illius temperantiæ, non statim novit regulas, & media humilitatis; & multò minùs fortitudinis; ergo &c.

Confir. 2. Qui facit actus illius temperantiæ, non recipit præcisè per illos species fortitudinis, nec mediorum ejus; ergo nec habitum dictandi de illis.

Probatur 3. & confirmantur prædicta. Mediocritas requisita in materia fortitudinis petit considerationes in intellectu diversas à considerationibus circa mediocritatem in materia humilitatis, & hæ considerationes nituntur diversis principiis, ac regulis; ergo non possunt attingi per eundem realiter, aut for-

maliter habitum prudentiæ. Prob. ant. qui deliberat, an teneatur audire sacrum in die festo, instante periculo mortis, debet examinare has regulas, v. g. *an præcepta positiva obligent in tali periculo, & cessante omni contemptu?* Et qui deliberat de danda eleemosyna egeno, debet examinare, *an sub peccato mortali teneamur subvenire pauperi in gravi necessitate, & an ille sit in tali necessitate?* Sed illa principia nihil habent commune, sed exigunt cognitiones prorsus diversas; ergo & prudentias, & dictamina diversa.

Prob. 4. Habitus, qui respicit plura objecta secundum diversas formalitates, non est unicus, sed plures specie; sed prudentia in diversis virtutibus respicit plura objecta sub diversis formalitatibus; ergo non est una, sed plures. Maj. patet: nam habitus specificantur ab objectis, & maximè à formalibus. Prob. min. prudentia in diversis virtutibus respicit earum actus immediatè, & earum materias sub his rationibus, sub quibus respiciuntur, & eliciuntur ab illis, v. g. in fortitudine respicit actus aggressionis, aut patientiæ in terribilibus aggrediendis, aut depellendis, aut sufferendis. Ita est de justitia, & temperantia; sed illi omnes actus, & objecta eorum differunt formaliter, aut specie, aut genere; ergo inde petitur multiplicitas, & differentia illarum virtutum; ergo in diversis virtutibus prudentia respicit diversa formaliter objecta; ergo & ipsa debet in eis diversificari.

Prob. denique, & confir. præcedens argumentum. Prudentia Monastica respiciens regimen particulare ipsius prudentis, differt specie à domestica, seu œconomica, & politica, & militari, quæ respiciunt regimen aliorum; ergo à fortiori prudentia, quæ dirigit actus aliarum virtutum.

Objic. 1. ex Philos. *Cum prudentia, quæ est una, simul inerunt omnes*, sc. virtutes; ergo prudentia est ubique una.

Resp. dist. ant. una genere generalissimo, & amplissimo, con. una genere subalterno, vel specie, neg. ant. nec enim id cogitavit Aristoteles. Loquitur de prudentia undecumque completissima extensivè, & intensivè complectente omne bonum morale, ut di-

ximus

ximus de connexione virtutum.

Inst. Unitas prudentiæ petitur ex modo consultandi, & judicandi de medio virtutum, & ejus proportione cum fine; sed hic modus est unus in omnibus virtutibus; ergo & prudentia.

Resp. neg. absolutè min. Nam modus inveniendi medium in omnibus virtutibus pendet ab earum objectis materialibus, & formalibus, & à principiis, ac regulis singularum, quæ sunt in singulis diversissima, nisi adversarii velint loqui de unitate generica generalissima; sicut qui diceret, hominem, & bovem esse unum unitate entis, de quo non dubitamus.

Objic. 2. Objectum formale prudentiæ est ubique unum; ergo & prudentia. Prob. ant. objectum formale ejus est veritas bonitatis moralis; sed hæc est in omnibus una; ergo & objectum formale.

Resp. dist. ant. & min. prob. Unitate generis supremi, con. unitate generis subalterni, aut speciei, neg. ant. & min. nam illa veritas bonitatis diversificatur in singulis objectis; sicut in scientiis speculativis veritas formalis, quæ est objectum formale intellectus, habet similem unitatem, & tamen illæ distinguuntur inter se.

Inst. Licèt medicina quærat sanitatem corporalem contra diversos morbos, & in diversis membris, adhuc est una scientia; ergo licèt prudentia quærat bonitatem moralem in diversis virtutibus, & contra diversa vitia, adhuc erit una, quia illa bonitas est una.

Resp. dist. ant. Est una unitate quadam aggregationis, aut generis generalissimi, con. unitate specifica, vel individuali, neg. ant. Nam, ut diximus in Logica, & de Logica, habitus ejus non habet unitatem specificam, nec individualem. Potest quis habere facilitatem benè dividendi, aut definiendi sine facilitate bene argumentandi; sic Medicus potest habere peritiam curandi aliquos morbos, & non alios, ut patet experientia.

Objic. 3. In scientiis speculativis differentia objectorum non multiplicat habitus; ergo nec diversitas agibilium multiplicat habitus prudentiæ circa illa. Prob. ant. nam plus distant conclusiones à suis prin-

cipiis & principia à conclusionibus, quàm ulla agibilia in moralibus, & tamen idem habitus versatur circa utraque; ergo illa diversitas non infert multiplicitatem habituum.

Resp. neg. ant. 1. & 2. quoad 3. p. nam ex dictis aliàs, habitus principiorum est intellectus, & habitus conclusionum est scientia, quæ est alius habitus ab illo.

Inst. Habitus considerans unum principium se extendit ad omnes materias, ad quas se extendit illud principium; sed prudentia considerat unum principium, quod se extendit ad omne agibile, & ordinabile per rectam rationem, quæ est unicum principium ejus; ergo & ejus habitus est unicus in ordine ad omnia agibilia, & non multiplicatur per illorum diversitatem.

Resp. dist. maj. Se extendit cum sui multiplicatione, con. sine sui multiplicatione, neg. maj. & conf. nam, ut dicebam, habitus principiorum non attingit conclusiones formaliter manens idem; sed hoc pertinet ad scientiam; quæ est alius habitus. Ita est de prudentia *ut sic*, & in genere supremo, respicit rectam rationem, etiam in abstracto, & *ut sic*; sed cùm descendit ad hanc, vel illam materiam in specie, jam est prudentia specialis, v. g. temperantiæ, aut justitiæ.

Fateor, quòd sicut omnia objecta prudentiarum, sicut & virtutum, habent aliquam unitatem attributionis, quia tendunt in finem unum, v. g. in Deum, vel beatitudinem naturalem; ita & habent unitatem quandam formalem universalem, sed virtualiter multiplicem, quatenùs extenditur ad omnia objecta, & bona inferiora, & media, quæ ad illud ultimum referuntur; sed loquimur hìc de virtute reali, & specifica, seu generica subalterna agibilium in ordine ad illum unum finem, & dicimus ex hoc capite prudentiam non esse unam.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De imprudentia, seu de vitiis oppositis prudentiæ.

QUæ diximus de prudentia, magis patebunt ex dicendis de imprudentia, seu de vitiis prudentiæ oppositis; certum enim est, dari habitum quemdam vitiosum, qui dicitur *imprudentia*, ut constat plurimis Scripturæ locis: nam legimus; [1] *Imprudentia stultorum errans*. Et, [2] *Labia imprudentium stulta narrabunt*: & in Euangelio, [3] *Vos imprudentes estis*.

Imprudentia generatim dici potest de omni vitio, & peccato; nam omne peccatum deviat à recta regula prudentiæ; sed propriè dicitur de vitio, quod specialiter opponitur virtuti prudentiæ; quod fit vel *negativè*, seu *privativè*, quando actus non attingit perfectionem essentialem prudentiæ; ut *præcipitatio*, *inconsideratio*, *inconstantia*, *negligentia*, &c. vel *positivè*, & quoad excessum, quando actus sunt extra limites hujus virtutis, & habent tantùm similitudinem, seu apparentiam fucatam ejus; & dicuntur *prudentiæ similitudinariæ*; ut sunt *prudentia carnis*, *astutia*, *dolus*, *fraus*, & nimia sollicitudo temporalium, & futurorum.

Igitur imprudentia vel est *habitualis*, quæ opponitur prudentiæ habituali, & est habitus inclinans ad judicium non rectum de agibilibus moraliter; vel *actualis*, quæ opponitur prudentiæ actuali, & est actus aliquis judicii non recti circa illa agibilia; vel *negativa*, quæ consistit in defectu judicii recti; vel *positiva*, quæ consistit in actu, vel habitu positivo contra rectum judicium, vel dictamen. Si autem imprudentia sistat purè in intellectu, nec involvat ullum defectum, vel actum in voluntate, non erit peccatum, quia nullum est peccatum, nisi in voluntate, & à voluntate, ut dictum est.

Præcipitatio est defectus consultationis, seu temeritas, qua subitò resolvimus circa agibilia sine debita attentio-

[1] *Pro.14.* [2] *Eccle.21.*
[3] *Mar.7.*

tentione, & deliberatione; & huic obnoxii sunt cholerici, & superbi. Eodem recidere videtur *inconsideratio*, quatenùs sc. sine debita consideratione qualitatum, aut circumstantiarum operis illud aggredimur; vix, inquam, differt à *præcipitatione*, nisi fortè quia hæc dicit subitaneam, & violentam determinationem; quam non dicit simplex *inconsideratio*, sed puram negationem consultationis, saltem secundum se. Item *præcipitatio* accidit in rebus majoris momenti, *inconsideratio* tam in levibus, quàm in gravibus.

Inconstantia est quædam levitas animi, & defectus firmitatis in judicio semel formato cum matura deliberatione, seu consultatione; & hoc si mutatio fiat sine graviori ratione; alioqui *sapientis est mutare consilium*; quando sc. occurrunt majora motiva.

Negligentia est tarditas in exequendo id, quod jam maturè est deliberatum, & judicatum; seu *est debitæ constantiæ derelictio in opere bono*, ait S. Bonaventura, quia opponitur sollicitudini, quæ est munus prudentiæ.

Inter partes autem imprudentiæ positivæ est *prudentia carnis*, quæ est solertia in excogitandis mediis ad opera carnis implenda, de qua dicitur, [1] *Prudentia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta*.

Astutia est excogitatio mediorum in malum finem, & maximè ad nocendum; loquimur de *astutia mala*, & similitudinaria, & imprudentia, non de bona, vel indifferenti. Talis erat astutia Absalon ambientis Regnum Patris, dum adulabatur populo sub prætextu zeli justitiæ administrandæ. Talis & in Herode quærente Christum ad necem sub specie Religionis in ipsum.

Dolus est, cùm aliud est in verbis, aliud in factis ex animo nocendi; [2] *Linguis suis dolosè agebant*. Et [3] ut *dolum facerent in servos ejus*. Et, [4] ni fallor, tendit ad executionem eorum, quæ *astutia* meditabatur.

Fraus describitur à S. Bonaventura *voluntas profectum proximi decipiens ob terrenum emolumentum*; sed hoc ipso, quòd tribuitur voluntati, est potiùs execu-

[1] *Rom.* 8. [2] *Ps.* 5.
[3] *&* 13. [4] *Ps.* 103.

executio doli, & astutiæ, & peccatum voluntatis, quàm imprudentia, nec vitium intellectus, & consistit in factis, non autem in verbis, ut dolus. Denique *fraus* propriè significat fallaciam, insidias, machinationem, deceptionem alicujus in contractibus, & commerciis, & opponitur prudentiæ, quatenus ista tendit in verum bonum ut agibile, *fraus* autem in bonum ut agibile falsum.

Sollicitudo alia est circa temporalia, alia circa futura 1. est studium immoderatum acquirendi, vel conservandi temporalia. 2. verò est nimia cura, & anxietas providendi bona, aut præcavendi mala futura; utraque est vitiosa, & prohibetur in Scriptura. [1] *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus*, &c. *Nolite solliciti esse in crastinum*. Hæc quippe sollicitudo distrahit mentem à cura bonorum spiritualium, & salutis æternæ. Et sicut spinæ frumentum suffocant, ne fructificet, ita ista sollicitudo verbum Dei. Et displicet Deo, quia denotat diffidentiam de illius providentia; monet enim; [2] *jacta cogitatum tuum in domino*, &c.

DISPUTATIO III.

De justitia, & jure.

JUSTITIA est virtus ad alterum, & una ex tribus moralibus, & appetitivis; residet enim in voluntate: nam, inquit Stobæus, [3] *justitia & vitia, & virtutes animi inter se discernit, & animi partium compagis est quædam constitutio utriusque perfecta, & suprema. Ut enim in hac omnia sunt, ita sine hac reliqua non existunt animi bona*. De hac igitur virtute hic disserendum.

QUÆ

[1] *Matth.* 6. [2] *Ps.* [3] *Ser.* 9.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit justitia moralis, & jus.

DIco, *justitia moralis*. Nam nomen *justitiæ* latissimè patet, & non intendimus illam examinare in tota latitudine sui nominis. Justitia derivatur à *jure*, inquit Ulpianus; & vicissim *jus* dicitur à *justitia*, & *jus* idem est, ac *justum*. Justitia describitur per ordinem ad *jus*, quod dicitur ejus objectum, ut cùm illam describit Philos. [1] *habitum, quo homines apti sunt ad res justas agendas, & quo justa agunt, & volunt justa.*

Jus autem venit vel à jubendo, vel à justo. In prima derivatione continet leges naturales, & dicitur *jus naturæ*, vel positivas divinas, & dicitur *jus divinum*, vel humanas; & dicitur *jus humanum*; in 2. autem derivatione significat potestatem moralem alicujus ad aliquid habendum, vel agendum.

Justitia 1. sumitur pro omni rectitudine, & convenientia; sic vestis alicui conveniens, & proportionata dicitur justa; &, quidquid rectè fit, dicitur justum, sic omnes actus omnium virtutum dicuntur justi, & omnis virtus dicitur justitia, 2. pro aggregatione omnium virtutum; sic præditus omni virtute, & perfectus dicitur justus. 3. sumitur magis strictè pro charitate, & gratia sanctificante, quæ est formalis justitia, & quidem supernaturalis, & infusa, expellens peccatum, quod dicitur injustitia, & iniquitas. [2] *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso.* Et de utraque, *ut peccatis mortui justitiæ vivamus*; ubi justitia opponitur peccato. 4. propriè pro habitu inclinante voluntatem, ut rectè se gerat erga alios, reddens unicuique suum; & in hoc sensu hic agimus de justitia, & dicitur virtus moralis Cardinalis.

CON-

[1] 5. Ethic. 1. [2] Ps. 1. pe. 2.

CONCLUSIO.

D*Atur aliqua virtus moralis, quæ dicitur justitia, & hæc rectè describitur virtus, seu habitus voluntatis inclinans ad tribuendum unicuique jus suum.* Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui præter justitiam universalem, quæ respicit omnia, admittit specialem, *Qua perficitur voluntas circa appetibilia in ordine ad alterum.* Et definit eam ex Anselmo, [2] quòd sit *rectitudo voluntatis propter se servata..... Et hoc quod est esse ad alterum, vel quasi ad alterum.*

Prima p. patet ex disp. 1. de existentia, & numero virtutum Cardinalium: nam ibi constat de existentia justitiæ cum aliis tribus. Item ex Scriptura, in qua hæc toties commendatur, & in hoc conveniunt omnes tam Philosophi, quàm Theologi.

Prob. 2. p. ex communi Philosophorum, Juristarum, & Theologorum consensu, qui sic eam describunt saltem æquivalenter. Ab Ulpiano dicitur *constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens pro dignitate sua.* Et ab August. [3] *habitus animi, communi utilitate servata, suam cuique tribuens dignitatem: Vel virtus, qua sua cuique tribuuntur:* & sic de aliis, quæ omnes eodem recidunt.

Objic. Virtus vera non respicit medium rei, sed rationis, & quoad nos, & secundum rectum dictamen rationis; sed justitia respicit medium rei; ergo non est virtus. Maj. patet ex Philos. Nam virtus est habitus electivus. Prob. min. Nam reddit tantum pro tanto, *dentem pro dente*, tria pro tribus, &c.

Resp. dist. maj. non respicit necessariò, & semper, con. aliquando, & cùm sic dictat recta ratio, neg. maj. & sic dist. min. justitia respicit medium rei, cùm sic dictat ratio, & aliquando, con. semper, & necessariò, neg. min. nam sæpè eligit non æqualitatem Mathematicam, sed proportionalem ex æquo, & bono secundum personas, loca, & tempora, & alias circumstantias.

Objic.

[1] 3.*d.* 34. *B.* 5. [2] 4.*d.* 46. *A.* 2.
[3] 83. *qq.* 32.

Objic. con. 2. p. Omnis virtus est justitia, quia omnis virtus respicit justum, & observantiam legum; sed illa definitio non convenit omni virtuti; ergo non est bona pro justitia speciali. Prob. min. tam justum est, & conforme legibus temperatè vivere, quàm reddere aliis suum. Ita est de arduis aggrediendis, & difficilibus sustinendis, sc. justum est hæc præstare; ergo temperantiæ, & fortitudini convenit illa definitio.

Resp. dist. maj. est justitia largè sumpta voce justitiæ, con. strictè, & propriè sumpto illo nomine pro virtute speciali, neg. maj. & cons. prob. Nam omnis virtus dicitur justitia impropriè, & largè, non autem strictè, & in sensu, quo hic de justitia loquimur.

CONCLUSIO II.

Jus venit à jussione, seu à lege jubente, & dici potest facultas legitima aliquid habendi, seu obtinendi, vel retinendi, cui citra injuriam altero rationabiliter invito contraveniri non potest.

Prob. p. 1. ex usu communiori hujus vocis; quia dicitur quasi à *jubendo*, aut quasi *jussum*. Et sic quod per leges naturæ jubetur, dicitur *jus naturæ*, & quod per divinas positivas, dicitur *jus positivum divinum*, & quod per humanas, dicitur *jus humanum*, vel *Ecclesiasticum*, vel *civile*; ergo &c.

Confir. ex Philos. [1] *Jus alterum naturale est, alterum legitimum: naturale, quod ubique eamdem habet vim; legitimum, quod nihil ab initio referebat, hoc, vel illo modo esset, sed postquam est lex, refert*; ergo *jus* venit à lege, seu jussione.

Prob. 2. p. 1. quia, ex usu Scripturæ, nomen *juris* sumitur sæpè in illo sensu, ut significet talem potestatem; ergo sic benè explicatur. Prob. ant. nam cum Abraham [2] vellet sepelire uxorem in terra aliena, dixit, [3] *Date mihi jus sepulchri*; & de agro consecrato dicitur, *ad jus pertinet sacerdotum*: & Deus jubet Samueli, ut populo petenti Regem [4] *dicat jus Regis*, sc.

[1] 5. *Ethic.* 11. [2] *Gen.* 23.
[3] *Levit.* 27. [4] 1. *Reg.* 8.

sc. potestatem jubendi, disponendi, &c. uno verbo, potestatem in bona populi.

Confir. ex modo loquendi legum, & Legistarum, ut cùm dicunt, *jure suo nemo potest privari*. Et, *juri suo licitum est cuique renuntiare*. Item *jus patronatus* dicitur potestas moralis aliquem in beneficio præsentandi; ergo *jus* significat potestatem illam.

Aliquando etiam significat rem ipsam, in quam quis dicitur habere *jus*, ut in definitione justitiæ, qua dicitur *jus suum unicuique tribuere*, id est rem suam, quam debet habere. Unde Glossa. Extra 22. v. *juribus* dicit, *Jurium appellatione comprehenduntur omnia bona*, &c.

Aliquando *jus* dicitur omne id, quod justum est, ac conforme Regulis, seu legibus, ut dictum est de justitia.

Igitur *jus*. 1. dividitur in *positivum*, & *naturale*; istud legibus naturæ stabilitur, illud legibus positivis. *Positivum* subdividitur in *Divinum*, quod legibus divinis statuitur, & *humanum*, quod legibus humanis. 3. *humanum* aliud est *Canonicum*, seu *Ecclesiasticum*, quod legibus Ecclesiæ, & aliud *civile*, quod civilibus stabilitur.

2. Dividitur in *activum*, quo quis habet potestatem aliquid agendi, v. g. eligendi, præsentandi, obtinendi, possidendi, &c. Et *passivum*, quo quis habet potestatem, ut ab alio alatur, custodiatur, &c. & *resistitivum*, quo potest quis impedire actionem alterius, v. g. ne aperiat fenestram, aut portam super hortum suum.

3. In *jus ad rem*, seu *in rem*, quando illa potestas est in rem, quam nondum habet, sed prætendit habere, ut electus ante confirmationem dicitur habere *jus ad*, vel *in rem*. Si autem illam de facto possidet, dicitur habere *jus in re*. Utrumque rursus dividitur secundum diversos titulos, in quibus fundatur illa facultas, v. g. in lege naturali, vel divina, vel civili, vel canonica, vel ex pacto, legato, hæreditate, donatione, emptione, &c. Item subdividitur ratione rerum, v. g. sepulchri, funeralium, &c.

4. Aliud est *jus dominii*, quod est potestas disponendi de re, etiam destruendo eam (tale est dominium Dei in creaturas) & dicitur etiam *Dominium*

pro-

proprietatis. Aliud *jus utile*, sive *usus*, quod est potestas utendi re aliqua, salva ejus substantia. Aliud *jurisdictionis*, quod est potestas judicandi, seu jus dicendi, quale est in superiore respectu subditorum, & subdividitur in *jurisdictionem ordinariam*, quam quis habet à se ipso ratione dignitatis, vel officii, & *delegatam*, quam quis habet ab alio sibi commissam. De his, & aliis vide apud Juristas, & Canonistas.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit justitia, & de partibus ejus.

Singulæ virtutes continent plures partes integrantes, potentiales, & subjectivas, ut diximus de prudentia.

Justitia dividitur 1. in *legalem*, seu *universalem*, & *particularem*. 1. respicit bonum commune totius communitatis, & dicitur *legalis*, quia in eam tendunt leges omnes, sc. ut servetur pax, & tranquillitas in republica. 2. verò respicit bonum particulare singulorum, sc. ut cum eis servetur æqualitas quædam. *Particularis* subdividitur in *commutativam*, quæ respicit medium in contractibus secundum proportionem Arithmeticam, v. g. quinque pro quinque, centum pro centum, & *distributivam*, quæ respicit medium secundum proportionem Geometricam in distribuendis bonis communibus, v.g. honoribus; nam hæc distribuuntur secundum cujusque merita, vel gradus, vel ætatem, &c. prout leges decernunt. in 1. res inter se considerantur, ut servetur æqualitas dati, & accepti, aut redditi, ut qui tria accepit, tria reddat: in 2. spectantur personæ, ut inter eas servetur æqualitas inæqualis juxta inæqualitatem graduum, dignitatum, meritorum, &c. ut sc. detur plus duci, quàm gregario militi.

3. Subdividitur in *punitivam*, & *præmiativam*; ista distribuit bona pro meritis singulorum; illa decernit supplicia peccantibus pro qualitate criminum: sic fit commutatio quædam meritorum cum præmio, & peccatorum cum pœna, & utraque pertinet ad commutativam, quia ibi servatur æqualitas Arithmetica; quatenùs autem ibidem habetur quæ-

dam

dam ratio personarum, juxta quas æstimantur merita, aut peccata, ut proportionentur præmia, & pœnæ, ideo reducitur etiam ad distributivam.

Denique plures habet partes potentiales juxta diversas species personarum, quas respicit; sed non omnes æqualiter habent rationem justitiæ, sed per aliquam similitudinem, vel attributionem analogam; nec enim in eis servatur perfecta æqualitas.

Inter illas autem numeratur 1. *Religio*, qua Deum colimus. 2. *Pietas*, qua parentes, propinquos, & patriam colimus. 3. *Observantia*, qua personas eminentes dignitate, scientia, & meritis honoramus. 4. *Obedientia*, qua mandatis superiorum obtemperamus. 5. *Gratitudo*, qua recepta beneficia recognoscimus, ac rependimus. 6. *Liberalitas*, qua bona propria dispensamus, & si hæc largiori manu expendimus, dicitur *Magnificentia*. 7. *Veritas*, qua tales volumus esse, quales volumus videri. 8. *Amicitia*, qua nos ipsos aliis communicamus vel affectu, vel obsequio. 9. *Affabilitas*, qua nos in conversatione faciles, & gratos exhibemus. 10. *Vindicatio*, qua mala nobis illata punimus animo repellendi, non verò nocendi, &c. Alii plures numerant justitias; nobis istæ sufficiant.

Quantùm ad partes integrantes, non malè ad duas reducuntur, sc. abstinere à malo, & facere bonum, juxta illud, [1] *Declina à malo, & fac bonum*. Et Isaias, [2] *Quiescite agere perversè, & discite benè facere*. Et Paulus, [3] *Odientes malum, & adhærentes bono*. Utrumque requiritur ad perfectam justitiam, sc. nemini facere injuriam, & facere illi bonum debitum, seu reddere illi suum, & si altera pars desit, non erit integrum opus virtutis hujus.

Restat quærendum, an, & quomodo duæ illæ priores justitiæ, *commutativa* sc. & *distributiva* distinguantur, & an sint veræ species justitiæ, & quidem infimæ.

CON-

[1] *Ps.* 23. [2] *Isa.* 1.
[3] *Rom.* 12.

CONCLUSIO I.

Commutativa, & distributiva sunt veræ species justitiæ, non tamen infimæ. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd *tres virtutes morales acquisitæ, sc. fortitudo, justitia, & temperantia sunt genera intermedia*; ergo justitia ut sic est genus habens sub se diversas species; sed istæ duæ, commutativa, & distributiva sunt principaliores; ergo specie differunt. Prob. min. ex eodem, [2] *Si loquimur de reliqua justitia, quæ simpliciter est ad alterum, illa dividitur in commutativam, & distributivam*: & assignat differentias earum notabiles; ergo ex Scoto, differunt specie, & maximè quia distributivam admittit in Deo, non verò commutativam, saltem propriè, ut diximus alibi.

Confir. ex Philos. qui unam justitiæ particularis speciem ponit *in distributione honoris, vel pecuniarum, vel aliorum, quæ talia sunt, ut dividi possint inter eos, qui in societate civili versantur: In his enim potest fieri, ut æquum habeatur, vel iniquum alter alteri. Alia species in commerciis hominum corrigendis existit.* Hæc est commutativa; ergo ex Philos. commutativa, & distributiva sunt duæ species justitiæ.

Prob. 2. Virtutes, quæ requirunt diversa specie media, differunt etiam specie; sed justitia commutativa, & distributiva requirunt diversa specie media; ergo & ipsæ differunt specie. Prob. min. Nam distributiva requirit æqualitatem proportionis, non verò quantitatis, quam requirit commutativa; sed hæc media specie differunt; ergo &c.

Prob. 3. Illæ virtutes specie differunt, quæ inducunt diversas obligationes per se; sed tales sunt commutativa, & distributiva; ergo &c. maj. patet: nam diversitas specifica effectuum non potest venire, nisi ex diversitate essentiali habituum. Prob. min. nam commutativa obligat ad servandam æqualitatem arithmeticam sub pœnam restitutionis strictæ, non autem distributiva, saltem per se, obligat quidem graviter in rebus gravibus, v.g. peccat graviter, qui dat bene-

[1] *3. d. 34. q. 3. B. 3. & 4.*
[2] *Ibid. c. 5.*

neficium minùs digno in concursu, & illo privat digniorem, at non tenetur restituere; sed illæ obligationes sunt essentialiter diversæ; ergo &c.

Confir. Quod debetur ex justitia commutativa, debetur illi absolutè sine respectu ad alios, non verò quod debetur ex distributiva: nam licèt sim dignus beneficio, adhuc mihi non debetur, si adsit dignior. Non ita est in commerciis, & justitia commutativa, attenditur absolutè contractus, non dignitas, nec meritum creditoris; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam in commutativa concurrunt jura diversa, & debita; ergo & diversæ species hujus justitiæ; ergo hæc non est species atoma; nam hæ justitiæ specificantur ab objectis, & juribus. Prob. ant. qui læditur in bonis famæ, habet diversum jus reparationis ab eo, qui læditur in bonis fortunæ, & æqualitas in utrisque servanda pendet à diversis regulis particularibus. Denique jura illa distinguuntur plùs, quàm numero; ergo differunt specie, & habent diversa objecta, & media; & habitus, quorum jura illa sunt objecta, differunt specie; ergo sub justitia commutativa continentur diversæ species. Idem dic de juribus circa bona vitæ corporalis, & spiritualis; hæc sine dubio specie differunt, & illorum objecta, & media, & qui lædunt in illis alios, habent diversa specie peccata.

Obj. c. 1. con. 1. p. Si justitia commutativa, & distributiva essent diversæ species sub eodem genere, deberent convenire univocè in ratione generica justitiæ; sed non ita conveniunt; ergo non sunt duæ species justitiæ. Prob. min. justitia ut sic obligat ad reddendum cuique suum sub pœnam restitutionis; sed distributiva, per nos, non obligat sub pœnam restitutionis; ergo non convenit cum commutativa in genere justitiæ. Prob. maj. qui retinet alicui suum, non est justus, donec restituat; ergo &c.

Respondeo neg. 1. min. & dist. 2. maj. si *suum* sumatur absolutè pro eo, in quo habet jus actuale, con. si sumatur pro eo, ad quod petendum habet jus, neg. maj. & cons. nam ly, *suum*, quod ponitur in definitione justitiæ ut sic, abstrahit inter illas duas significationes *sui*, & *juris in re*, quod est in commutativa, & *ad rem*, quod est in distributiva.

An

An autem ly, *suum*, in illa definitione sumatur hoc, vel illo sensu, quæstio est de nomine.

Inst. Definitio dicit tantum, quòd inclinat ad reddendum cuique suum; ergo ad restituendum.

Respondeo dist. ant. Ad reddendum quomodocumque, sive distribuendo, sive restituendo, con. ad reddendum stricta, & rigorosa restitutione, vel solutione debiti, neg. ant. nec enim in hac stricta significatione sumitur ibi vox reddendi, sed abstrahit ab utroque sensu.

Objic. 2. Per utramque justitiam voluntas afficitur circa distribuibilia, & commutabilia secundum eandem rationem, & non differunt nisi secundum modum æquandi lucrum, & damnum; sed hæc differentia modorum non sufficit ad differentiam specificam habituum; ergo illæ justitiæ non differunt specie. Prob. maj. in hoc conveniunt, quòd utraque inclinat ad jus suum cuique reddendum, & differunt tantùm, quia una reddit secundum proportionem geometricam, & alia secundum æqualitatem physicam, seu Arithmeticam; ergo afficiunt voluntatem secundum eandem rationem intrinsecam, & differunt solùm penes modum æquandi lucrum, & damnum: min. etiam prob. nam illi modi ęquandi sunt accidentales, & extra rationem essentialem justitiæ, cui sufficit, ut reddatur cuique suum, quomodocumque id fiat.

Respondeo neg. min. & ant. prob. Nam illi modi tam sunt essentiales illis speciebus justitiæ, quàm rationalitas, & irrationalitas homini, & bruto, saltem in suo genere virtutis, & entis moralis. Adde, quòd in aliis etiam differunt, ut patet ex fundamentis conclusionis.

Objic. 3. Justitia commutativa servat etiam medium proportionis geometricæ; ergo inde non rectè petitur differentia ejus specifica à distributiva. Prob. ant. quando aliquis debet pecunias multis, quibus non potest integrè satisfacere, tenetur singulis aliquid reddere ex bonis, quæ habet, & hoc secundum proportionem geometricam, ita ut plus detur illi, cui plus debet, & minus illi, à quo minus accepit. Idem accidit in contractibus societatis; lucrum enim debet dividi cum proportione summæ, quam quisque contulit;

tulit, ſed hoc fit ex vi juſtitiæ commutativæ; ergo &c.

Reſpondeo 1. diſt. ant. & maj. prob. Per accidens, & præter intentionem contrahentium, con. per ſe, & ex ratione talis contractus, neg. ant. & maj. nam in 1. caſu ſingulis debetur tota ſumma accepta, quòd verò non reddatur tota, ſed partim, & cum aliqua proportione, id fit per accidens, & contra intentionem creditorum. In 2. autem caſu omninò ſervatur æqualitas phyſica in diviſione lucri, ſicut & in redditione ſummarum capitalium, quæ licèt non ſint æquales, tamen redduntur ſecundum æqualitatem ſingulis debitam.

Denique commutativa per ſe reſpicit medium rei, licèt aliquando, & per accidens ſervet medium rationis: diſtributiva autem per ſe, & ſemper ſervat medium rationis, & reſpicit ad perſonas.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam quòd in commutativa ſervetur aliquando medium proportionis, & cum aliqua æqualitate Arithmetica, adhuc diſtinguitur ſpecificè à purè diſtributiva, & inde ſequitur ſolum, quòd illa pateat latiùs, & aliquando participet de utraque, ſicut licèt homo ſit ſimul ſenſitivus, & rationalis, non ceſſat diſtingui ſpecie à bruto, quod limitatur ad ſolam ſenſitivitatem.

Objic. 4. Ideò diſtinguimus commutativam à diſtributiva, quia hæc in ſuis actibus reſpicit plures perſonas, quarum penſat merita, & conditiones, ut ſervet æqualitatem cum proportione, illa verò conſiderat ſolam quantitatem accepti, ut reddat eam; ſed hæc ratio non valet; ergo non diſtinguuntur. Prob. min. Nam in diſtributione beneficii, v.g. fieri poteſt, ut unicus concurrat, & accipiat, vel ut collator non cogitet niſi de illo ſolo abſolutè, & ſine reſpectu ad alios; ergo reſpectus ad plures perſonas non facit eam differentiam.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam in tali caſu ille actus abſolutè per accidens, non ex natura ſua eſt determinatus ad unicum, ut patet, ſicut per accidens eſt, quòd unicus ſit concurrens, aut unicus reſpiciatur à collatore.

Objic. 1. con. 2. p. Omnes actus juſtitiæ commutativæ conveniunt in eo, quòd ſervent æqualitatem

rei

rei ad rem, & differunt ratione solius materiæ; sed hoc non sufficit ad differentiam specificam; ergo omnes actus justitiæ commutativæ sunt ejusdem speciei infimæ; ergo hæc justitia est una specie infima.

Resp. neg. maj. quoad 2. p. nam præter differentiam materiæ, adest differentia jurium, & mediorum, & regularum. Aliud est jus ad repetendum bonum famæ, & aliud ad repetenda bona fortunæ, & alia sunt media restitutionis eorum: ad restitutionem bonorum fortunæ sufficit reddere centum pro centum, & hæc æstimantur juxta quantitatem, bona autem famæ pensantur longe aliter, & aliter restituuntur, ut videbis apud Casuistas. Et alia sunt jura, nam in Deo jus ad cultum dicitur religio, in Regibus dicitur observãtia, &c.

CONCLUSIO II.

Justitia legalis est vera species virtutis justitiæ ab aliis distincta, & dicitur universalis virtualiter, & imperativè, non formaliter.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui agnoscit justitiam hanc ut universalem, & ut particularem. *Quædam est universalis ad alterum, puta, ad legislatorem, & ad legem, in quantum est regula determinata à legislatore, & hæc dicitur à quibusdam justitia legalis, vel est particularis in aliquo particulari determinato pertinente ad legem.* Hoc dicit subdividendo justitiam, prout est rectitudo ad alterum; ergo ex Scoto, est vera justitia, & aliquo sensu est universalis.

Confir. ex Philos. [2] *Justus erit, qui secundum leges facit, et qui æquus est. Et è contra videtur injustus, qui contra leges facit, et qui plus appetit, et iniquum.* Et licèt videatur dicere, quod *hæc justitia non est pars justitiæ, sed tota virtus;* tamen supponit etiam hanc esse virtutem specialem ab aliis distinctam, cùm addit; *in quo autem differunt tota virtus, et justitia, hoc ex supradictis constat.*

Prob. 2 p. 1. Justitia legalis habet specialem honestatem circa proprium objectum ab aliis speciebus distinctam; ergo est specialis virtus justitiæ ab aliis distincta. Prob. ant. operari propter bonum commune immediatè, est specialiter honestũ, & habet specialem con-

[1] 4. *d.* 46. *q.* 1. *A.* 2. [2] 5. *Ethic.* 2.

conformitatem cum recta ratione: sed in hoc consistit operatio justitiæ legalis; ergo, &c. maj. videtur certa. Prob. min. nam per hanc justitiam legalem specialem intelligimus habitum inclinantem ad bonum commune, seu totius communitatis servandum, aut procurandum; ergo, &c.

Prob. 2. Justitia est virtus ad alterum inclinans ad reddendum illi suum; sed hæc virtus est verè ad alterum, ut reddat illi suum, sc. communitati, & nulla alia id præstat sub hac ratione formali; ergo est justitia vera, & specialis. Prob. min. triplex est ordo justitiæ inter homines in communitate existentes, sc. ordo partis ad partem, & civis ad civem, & privati ad privatum, & hic servatur per justitiam commutativam in commerciis mutuis. 2. Ordo totius ad partem, seu totius communitatis ad singulos particulares in distributione bonorum communium: & hic ordo servatur per distributivam. 3. Est ordo partium ad totum, seu singulorum civium, & privatorum ad totum, seu ad bonum totius communitatis, & hic servatur per justitiam legalem; ergo hæc justitia inclinat ad reddendum communitati suum secundum rationem formalem, quæ est ei propria.

Prob. 2. p. Nam hæc justitia respicit immediatè bonum publicum, seu publicam felicitatem, & Deum ipsum, quæ sunt bonum, & finis ultimus aliarum virtutum; ergo ratione hujus objecti respicit aliquo modo actus aliarum, ut eò tendant, & perveniant. Sicut charitas dicitur etiam virtus universalis propter eandem rationem; sc. quia ordinat, & dirigit aliarum virtutum actus ad Deum, ut finem ultimum, quem respicit immediatè: & sicut ista non desinit esse virtus specialis ab aliis distincta, quia respicit illud summum bonum commune sub ratione, & motivo formali diverso, & immediatè, & directè, & in se; ita est de hac justitia, quæ respicit immediatè, & in se observantiam legum, & quietem, & bonum totius communitatis.

Objic. Hæc justitia sub hoc respectu potiùs pertinet ad pietatem, vel religionem, vel obedientiam; ergo non est specialis virtus ab illis distincta. Prob. ant. vel inclinat ad satisfaciendum debito legum, ut obedientia, vel ad procurandum patriæ bonum, ut pie-

tas, vel ad reddendum Deo cultum debitum juxta præcepta, ut religio, vel denique respicit bonum commune totius, ut participabile ab omnibus, ut distributiva; ergo, &c.

Resp. neg. ant. 1. quia pietas debet procurare bonum commune patriæ ratione originis, quam cives habent à patria; non ita est de motivo hujus justitiæ, qua sic agit homo, ut membrum communitatis, quæ est quasi totum corpus. Obedientia est in solis subditis, & non in Principe, ut hæc justitia, quæ principaliter est in Rege ut capite. Item obedientia facit aliquid, quia præcipitur, hæc autem facit, quia honestum est sic procurare bonum commune. Denique religio limitatur ad cultum Dei; hæc verò præcisè respicit quietem publicam per legum omnium custodiam.

QUÆSTIO III.

De objecto, & subjecto justitiæ moralis.

AGimus de objecto materiali, & formali, & de subjecto *quo*, & *quod*, & de personis, inter quas esse possit justitia Cardinalis.

Suppono autem ex dictis tr. 1. & ex dicendis de satisfactione Christi, non posse esse in Deo ad creaturam justitiam commutativam rigorosam, imò nec distributivam, nisi ex pacto, & lege, quam sibi volens imposuit. Restat ergo de hominibus quærendum, quæ, & qualis justitia intersit.

Suppono 2. ex dictis, quod, cùm justitia hæc sit virtus propriè moralis, debet subjectari *ut quo* in voluntate.

CONCLUSIO I.

OBjectum materiale remotum justitiæ sunt res omnes, quæ debentur, & personæ, quibus debentur; Proximum sunt actus interni, & externi, quibus redditur cuique suum; formale verò est ipsum jus, seu debitum. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet, justitiam inclinare ad restituendam rem omnem alienam injustè deten-

[1] 4. d. 15. q. 2. 2. d. 34. L.

tentam, & esse ad alterum. Et alibi enumerat omnia, quæ per justitiam homo potest alteri debere, & communicare, quasi materias justitiæ, nec ullam rem excipit, ne quidem ipsum hominem, qui se ipsum reddit alteri per amicitiam, *quæ est summa justitia, & perfectissima virtus moralis*; ergo censet, res omnes, quæ possunt deberi aliis, esse materiam justitiæ, sicut & personas, quibus possunt deberi.

Prob.2. ex Script. in qua res omnes ablatæ, vel irrationabiliter detentæ jubentur restitui. Sic Pharao jubet Saram restitui Abrahæ. [1] *Redde viro uxorem suam*. Et in Levitico [2] jubet Deus *reddere omnia, quæ per fraudem voluerit quis obtinere*. Et in Euangelio, [3] *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. Item, *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum*.

Prob.3. Illud est objectum materiale virtutis, circa quod versantur actus ejus; sed actus justitiæ versantur circa res omnes, quæ deberi possunt Deo, vel homini; ergo illæ res, & personæ sunt de illius objecto materiali remoto.

Prob.2. p. ex eadem Script. qua præcipiuntur actus reddendi debita, ut patet ex eisdem textibus, & aliis; ergo &c.

Prob.2. ex definitione justitiæ, qua dicitur voluntas *reddendi cuique suum*; ergo actus ipsius justitiæ, quibus redditur cuique suum, sunt materia ejus proxima; sed illi sunt tam interni, quàm externi; ergo utrique sunt materia proxima justitiæ.

Confir. ex dictis de objectis virtutum in communi, & de prudentia; nam quoad hoc eadem est ratio de ista in particulari.

Prob.3. p. ex Script. in qua directè prohibetur iniquitas, & præcipitur æquitas. [4] *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura*, &c. ergo æquitas est ratio formalis justitiæ.

Prob.2. ex Philos. qui post datas species justitiæ, & materias ejus dat rationem, quia in his fieri potest, ut æquum habeatur, vel iniquum; ergo æquitas est ratio formalis objecti justitiæ, sub qua respicit omnia.

Confir. ex allata definitione justitiæ, & ex Patribus;

[1] *Gen.20.* [2] *Levit.6.* [3] *Matth.22.*
[4] *Levit.19.15.&35.*

bus; nam inquit August. dicitur *voluntas jus suum cuique tribuens pro dignitate sua*; ergo respicit omnia sub ratione æqui, seu juris.

Prob. denique: nam certum est, justitiam ex natura sua specifica respicere in suis objectis, & actibus æquitatem, & nullam aliam virtutem hanc respicere; ergo per hoc specificatur in sua specie talis virtutis.

Objic. con. 1. & 2. p. Res fundant immediatè jus, seu æquitatem, quæ est objectum formale justitiæ; ergo sunt objectum ejus materiale proximum, non autem remotum; nec id dici potest de actibus. Prob. ant. res ipsæ directè, & immediatè debent æquari; ergo fundant immediatè æquitatem.

Resp. dist. utrumque ant. Res ut dandæ, & ut debitæ, con. res nudè secundum se præcisè, neg. ant. nec enim pertinent ad justitiam, nisi sub illis respectibus; non autem secundum se, nisi valdè remotè, & ideò secundum se non fundant jus, seu æquitatem, vel iniquitatem, nisi prout cadunt sub actibus redditi, & debiti.

Objic. con. 2. p. Ipsi actus dandi vel sunt ipsa jura formaliter, vel applicationes jurium; ergo non sunt objecta materialia proxima.

Resp. neg. ant. Non enim sunt ipsa jura formaliter, sed illa fundant: nam jus, quod habeo in re mihi ablata fundatur in ipso actu restitutionis, qui debetur simul cum re ablata.

Objic. con. 3. p. Objectum formale veræ virtutis non debet esse quid rationis; sed illa æquitas, sive jus est quid rationis, & justitia est virtus realis; ergo non est objectum formale justitiæ.

Resp. dist. min. Est quid rationis rectè dictantis, quid, & quantum debeatur, con. rationis fingentis, neg. min. & cons. Nam sicut est virtus moralis, & rationis non fingentis, sed rectè dictantis, & judicantis, ita est objectum talis virtutis formale.

CONCLUSIO II.

Non datur stricta justitia in Deo erga creaturas, nec in Patre erga filium non emancipatum, nec in Domino erga mancipium. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam ibi *non est æqualitas simpli-*

[1] 4. *d.* 40. *q.* 1. *M.* 12.

pliciter, nisi ad se ipsum, ideò nec justitia simpliciter, nisi ad se, quasi ad alterum, sed æqualitas aliqualis, qualis esse potest Domini excedentis valdè ad servum excessum .... Deus non est simpliciter debitor, nisi bonitati suæ ut diligat eam, creaturis autem est debitor ex liberalitate sua, ut communicet eis, quantum natura sua exigit; quæ exigentia ponitur in eis quoddam justum quasi secundarium objectum istius justitiæ. Vides de justitia, qualis sit in Deo ad creaturam, & in Domino ad servum. Quoad patrem verò, id colligitur ex eo, quòd docet justitiam esse ad alterum: nam filius non emancipatus non est propriè, & legaliter alius à patre.

Prob.1. p. ex dictis aliàs. Deus nihil potest debere creaturis, saltem jure, seu debito rigoroso; ergo neque ex justitia. Prob. ant.1. ex Script. [1] Nam *quis prior dedit Deo, ut retribuatur ei? Quoniam ex ipso, & in ipso sunt omnia.* Item *Quid habes, quod non accepisti?* Uno verbo, creatura nihil dare potest Deo, ex quo fiat illi debitor. 2. quia jus in creatura respectu Dei veniret ex contractu, aut ex lege naturali, vel positiva: sed neutrum dici potest; ergo, &c. Prob. min. quia nulli legi subjacere potest Deus, nec obligari potest creaturæ; ergo, &c.

Confir. ex Philos. [2] *Domini ad servum non est justitia, nec æqualitas*; ergo nec Dei ad creaturam: nulla enim dominatio major, quàm Dei ad creaturam.

Prob.2. p. imò & tota conclusio. Stricta, & propria justitia requirit 1. alterum 2. debitum, & æqualitatem; sed patris ad filium non emancipatum, & multò minùs Dei ad creaturam, nec Domini ad servum, nullum istorum adest strictè, & moraliter loquendo; ergo nec justitia propria. Prob. min. 1. filius est portio quædam patris, & effectus ejus, & nihil ei dare potest, quod æquet debitum suum. Ita est de creatura respectu Dei, & de servo ad Dominum; ergo, &c.

Confir. Nam ex veteri jure filiifamilias, & non emancipati erant quasi servi, & mancipia; nec quidquam proprium habebant: quidquid acquirebant, ad patrem pertinebat: & hoc significat vox emancipandi; est enim velut mancipii solutio, & liberatio.

Prob.3. p.1. ex Philos. mox cit. Dicit enim, quòd Domini ad servum non est justitia. 2. Ratione; nam

[1] *Rom.11.* [2] *5. Ethic.11.*

servus est totaliter de jure Domini sui, non alter à Domino; & illi debet vitam, quam illi donavit; indè enim dicitur *servus*, quasi à *servando*, quia eum poterat occidere; ergo, &c.

Dixi, *propria*, & *stricta justitia*. Nam ex Scriptura habemus in Deo mirabilem justitiam erga nos, dum retribuit nobis bona pro bonis operibus nostris, dicente Psalmista: [1] *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam*. Item, *judicabit orbem terræ in justitia .... justus es Domine, & rectum judicium tuum*. Et Apostolus, *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex*.

In patre ad filium. *Paterna authoritas erga filium justa est ex lege naturæ; quia omnes filii tenentur parentibus obedire*, inquit Doctor. [2] Et ex pietate, quæ est quædam species, & pars justitiæ, patres multa debent filiis, v.g. alimenta, vestes, &c. & filii parentibus honorem, obedientiam, obsequia, & alimenta, si indigeant.

Inter servum, & Dominum. Apostolus [3] jubet, *Domini, quod justum est, & æquum servis præstate*: & reciprocam justitiam commendat: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, non ad oculum servientes.... Vos, Domini, eadem facite illis remittentes minas*, &c. ergo inter illos omnes aliqualis intercedit justitia.

Objic.1. con.1. p. Inter Deum, & hominem, inter patrem, & filium potest esse vera amicitia; ergo & justitia; nam amicitia est quædam justitia, & non minùs est ad alterum, quàm justitia; ergo, &c.

Resp. neg. cons. & prob. Nam amicitia supponit quidem alterum, & distinctionem, sed facit quandam unitatem amicorum; & est quidem justitia, sed non stricta.

Objic.2. Deus potest inferre injustitiam homini, ut si non præmiaret pro meritis, aut si puniret ultra demerita; ergo ex justitia debet præmiare, & servare medium in puniendo.

Resp. neg. ant. Nam hoc implicat in Deo, qui cùm sit ipsa rectitudo inviolabilis, non potest agere injustè: nec tamen sequitur, quòd de stricto jure debeat servare ullam regulam in præmiis, vel pœnis, & quid-

quid

[1] *Ps.17.* [2] *4.d.5.E.* [3] *Coloss.4.*

quid faceret de creaturis, uteretur jure suo. Præmiat ex fidelitate, qui liberaliter promisit mercedem benè operantibus; & ex misericordia punit citra condignum, non ultra.

QUÆSTIO IV.

An justitia sit ad alterum, ita ut non possit esse ad seipsum.

CUM dicimus, justitiam inclinare ad reddendum cuique suum, satis indicatur eam esse regulariter inter plures, & saltem duos, quorum unus sit debitor, & in quo sit justitia subjectivè, & alter creditor, quem respicit hæc justitia; sed quæritur, an hæc distinctio personarum sit talis, ut homo nequeat sibi esse justus.

CONCLUSIO.

Licèt regulariter propria justitia sit ad alterum, tamen aliquis potest exercere justitiam erga seipsum, quasi alterum.

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. in definitione justitiæ, quam dicit esse *rectitudinem voluntatis propter se servatam ad alterum, vel quasi alterum*. Et agens de pœnitentia dicit, quòd *si homo exerceat actum vindicandi in seipsum, non exercet in se, nisi ut in alterum, & iste actus continetur sub justitia*, &c. ergo ex Scoto, omnis vera justitia est ad alterum, vel ad seipsum, quasi ad alterum; & sic semper requirit aliquam alteritatem, seu distinctionem personarum.

Prob. 2. p. 1. ex definitionibus justitiæ, & modo loquendi Scripturæ, & Patrum, & Theologorum de hac virtute, terminatur ad aliud, quàm ad subjectum suum; ergo regulariter est ad alterum. Prob. ant. Scriptura dicit, *Diligite justitiam, qui judicatis terram .... justitia custodit innocentium viam*. Et Ambros. *justitia aliis potius nota, quàm sibi, quotidiano usu, & fructu publico, suo damno alienas custodit utilitates*. Et August. *est virtus, qua sua cuique tribuuntur*. Et Hieron. *est major cæteris virtutibus, quia cæteræ vir-*

[1] 4. d. 46. q. 1. A. 2. d. 14. q. 2. D. 5.

virtutes habentes delectant; justitia habentem non delectat, sed alios .... non prodest habentibus, sed cæteris miseris non habentibus; ergo &c.

Prob. 2. ex Philos. [1] *Justitia virtus quidem perfecta, non simpliciter, sed ad alium .... alienum bonum videtur esse justitia, quia ad alium est*. Et Cicero, *Est habitus animi, communi utilitate servata, suam cuique tribuens dignitatem*. Et sic de aliis Philosophis.

Prob. 3. Nam definitur inclinans ad suum cuique jus reddendum, non autem propriæ incumbens utilitati; ergo de se, & regulariter est ad alios, non verò ad ipsum habentem. Prob. ant. Commutativa reddit accepta secundum æqualitatem Arithmeticam, & rei, distributiva dividit bona communia singulis secundùm merita, & dignitates, servata æqualitate geometrica, & proportionali. Legalis studet, & providet felicitati publicæ, & sic de cæteris; ergo, &c.

Prob. 2. p. Pœnitentia est quædam pars justitiæ, & per illam peccator punit in se peccata sua, quasi in alio, sc. justitia, quæ in eo est, punit ipsummet quasi alium, sc. ut peccatorem. Sic in distributione bonorum communitatis, quæ destinantur ministris, gubernator sibi sumit portionem, quæ ministerio suo convenit. Dux militiæ dividens singulis militibus spolia, sumit partem sibi congruam, &c. Sed hi omnes actus sunt justitiæ; ergo in his homo est justus sibi, ut ad alium; agit quasi duas personas, sc. judicis, & rei, actoris, & patientis, distribuentis, & recipientis, creditoris, & debitoris; & sic se ut alium respicit.

Objic. 1. con. 2. p. Justitia servat æqualitatem ut medium; sed æqualitas non est ad seipsum, sed ad minus inter duos; ergo & justitia. Prob. min. æqualitas est relatio realis rei ad rem, & personæ ad personam, & quantitatis ad quantitatem, & debitoris ad creditorem, superioris ad inferiorem; sed omnis relatio realis requirit extrema realiter distincta; & idem non est sibi superior, & inferior; ergo, &c.

Resp. dist. min. Inter plures saltem moraliter, & sub diversis formalitatibus, aut muneribus, con. inter plures physicè, & individualiter, & effectivè, neg. min. Nam sufficit, ut extrema distinguantur quoad for-

[1] 5. *Ethic*. 3.

formalitates, & munera, & moraliter, ut fit in pœnitentibus, qui se accusant, judicant, & puniunt, & patiuntur sibi per seipsos inflictas pœnas. Sic est de charitate, qua homo seipsum diligit. Pœnitens facit actum justitiæ, cum se accusat, & punit ut reum. *Justus est priùs accusator sui, & dum se accusat, excusat*. Agit duas personas, judicis, & rei.

QUÆSTIO V.

An justitia semper respiciat medium rei, An etiam medium rationis.

Diximus, quòd in virtutibus *medium rei* est illud, quod sic nascitur, & taxatur ex natura rei, ut semper sit idem, v. g. medium palmi est semipalmus, æqualitas centum scutorum sunt centum scuta; *medium rationis* est illud, quod non semper, nec in omnibus est idem; nec ita ex natura rerum taxatur, quin debeant attendi circumstantiæ personarum, & meritorum, & temporum, &c. Dicitur *rationis*, non quòd pendeat ex libero arbitrio, sed quod res exigant ita pensari, & æstimari, & taxari ex circumstantiis, non autem ex sola entitate, & substantia rerum, ut servetur debita æqualitas. Quærimus ergo hic, an justitia in actibus, v. g. in commerciis, & commutationibus, & distributionibus dignitatum debeat semper attendere ad media rerum, an verò saltem aliquando ad media rationis, ut servet debitam æqualitatem?

CONCLUSIO.

Justitia non solùm servat medium rei, sed sæpe respicit ad medium rationis. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quidam Doctor dicit, quòd justitia habet tantùm medium rei, & cæteræ virtutes media rationis, hoc enim falsum est*, &c. ergo ex Scoto justitia non servat semper medium rei.

Prob. 1. p. In justitia commutativa requiritur, ex Scoto, ut *domini rerum eas permutent sine fraude 1. in substantia, ut non detur aurum pro auricalco, nec aqua pro vino*, 2. in quantitate, quæ mensuretur per

[1] 4. d. 15. q. 2. L. 15.

pondus, vel aliam mensuram, & 3. in qualitate, ut non permutetur vinum corruptum pro vino puro; sed hæc sunt media rei; ergo justitia servat saltem aliquando medium rei.

Confir. Nam usus, & consuetudo docent, quòd in hac justitia maximè attenditur iste valor, & quantitas, aut qualitas physica rerum, quæ commutantur, ut qui accipit centum, reddat centum; & qui accipit alias res, reddat eas vel in substantia, vel in valore intrinseco earum, vel in lege taxato, permanenter, & independenter ab omni conditione personarum, sive sint nobiles, sive viles; ergo communiter justitia commutativa respicit æqualitatem, & medium rei.

Prob. 2. p. Nam in distributione bonorum communium, & dignitatum, & præmiorum *attendit ex ratione* ad plures circumstantias, maximè personarum, & sicut in vindicta injuriarum attenditur qualitas personæ offensæ, sic in retributione attenditur qualitas personæ operantis, & ex hac, & aliis circumstantiis pensantur merita; ergo justitia servat etiam media rationis.

Prob. 2. Si in retributione servaretur semper medium, & æqualitas rei, Deus nunquam exerceret illam erga nos, neque nos erga Deum; sed conf. est falsum: ergo &c. Prob. maj. non possemus commensurare cultum, & reverentiam Deo debitam cum ejus dignitate, nec satisfactionem cum gravitate peccati, nec honorem debitum parentibus à filiis, nec compensationem pro homicidio, vel mutilatione, aut vulneratione; sed hæc compensantur ex taxatione legum, quæ habetur ut justa, & ex rationis judicio facta est; ergo &c.

Confir. Nam Deus non servat æqualitatem in retributione pro bonis operibus nostris: præmiat ultra condignum, & punit citra demeritum, & tamen in his dicitur justus: [1] *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet justus judex.* Item, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, &c. Ita est in judiciis humanis, in quibus non servatur æqualitas rerum, sed rationis juxta taxationes legum ex humanæ prudentiæ arbitrio, & tamen in istis est justi-

[1] 2. *Timot.*

stitia, juxta illud, [1] *Si verè justitiam loquimini; recta judicate*, &c.

Objic.1. con.1. p. Omnis virtus in mediocritate consistit, ut sapiens determinabit: sed justitia est virtus, & medium rei non pendet ex determinatione sapientis: ergo medium justitiæ est medium rationis, & non rei.

Resp. dist. maj. Virtus aliqua, & aliquando, con. omnis virtus absolutè, & semper, neg. maj. & cons. nec aliter intelligendus est Philos. [2] dum sic definit virtutem. Certum quidem est, quòd semper non expectatur arbitrium rationis, ne quidem in aliis virtutibus: nam quædam sunt ita bona, aut mala, ut non admittant moderationem. Præterea medium rei potest etiam esse rationabile, & hoc sensu dici *medium rationis*.

Objic. con.2. p. Differentia justitiæ ab aliis virtutibus est, quòd in istis attenditur effectus, in illa verò effectus, & actus: ergo justitia semper servat medium rei.

Resp. dist. ant. actus, & effectus secundum circumstantias, & proportionem aliquam rationabilem, con. absolutè, & nudè, & secundum entitatem rerum physicam, neg. ant. id enim non semper attenditur in actibus justitiæ, ut cùm reus condemnatur ad dandam summam aliquam pecuniæ in compensationem vulnerum, aut injuriarum, aut imperantur humiliationes, aut alia obsequia juxta æstimationem judicum ex circumstantiis personarum offensarum.

Objic.2. ex Script. Satisfactiones præscribuntur ex æqualitate rerum, sc. ad pondus, & mensuram: ergo justitia servat media rei. Prob. ant. *Statera justa, & æqua sint pondera, & justus modius*; ergo &c.

Resp. dist. ant. & cons. prob. aliquando, & in his, in quibus tale medium servari potest, con. in omnibus, & semper, neg. ant. & cons. prob. in frumento, oleo, pecuniis medium rerum illarum servari potest, non autem in omnibus, v. g. in honoribus distribuendis, & aliis multis, ut diximus, in omnibus quidem attenditur aliquis valor intrinsecus rerum, & actuum, sed attenditur etiam ad alias circumstantias personarum, ex quibus pensatur aliquis valor extrinsecus,

[1] Ps.57. [2] 2. Ethic.7. [3] Levit.19.

cus, & ex utroque simul taxatur merces, aut satisfactio, ut sint æquales non physicè, sed moraliter, & secundum humanæ rationis arbitrium. Cætera, quæ ad hanc virtutem pertinent, dicemus in speciali tractatu de justitia, & jure, si Deus dederit tempus, & vires.

DISPUTATIO IV.

De fortitudine Cardinali, seu morali.

INter virtutes morales præstantissima est fortitudo, sine qua inutilia sunt dictamina prudentiæ, & inclinationes justitiæ ad debita exolvenda, quia deesset firmitas ad prosecutionem boni ostensi, & dictati, & languesceret voluntas in executione actuum debitorum, cùm aliqua in illis appareret arduitas, seu difficultas.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit fortitudo moralis.

FOrtitudo ex nominis Etymologia venit à ferendo, & significat firmitatem tam animæ, quàm corporis ad difficilia sustinenda, vel aggredienda, & propulsanda. Sic Leo dicitur fortissimus inter bestias; sic [1] *Angelus Dei fortis*, & post luctam cum Angelo Jacob dicitur [2] *fortis contra Dominum fuisse*. Et de fortitudine animi dicitur: [3] *Nos infirmi, vos autem fortes*. Et, *Resistite fortes in fide*. Et sic pertinere potest ad omnem virtutem, quatenus in suis actibus aggreditur, & superat difficilia; imò & dici potest de vitiis, ut cùm Sathan dicitur fortis, & quòd *non est potestas super terram, quæ comparetur ei*. Sed propriè fortitudo hìc sumitur pro virtute illa morali, qua inclinamur ad perferendos labores, & justa pericula subeunda in prosecutione boni honesti. Ideò sit

CON-

[1] *Apoc.* 10. [2] *Gen.* 21. [3] 1. *Cor.* 4.

CONCLUSIO I.

D*Atur vera virtus fortitudinis, & definitur habitus electivus inclinans ad firmiter sustinenda mala, & aggredienda difficilia ex motivo honestatis, & prout recta ratio dictat.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Circa terribilia convenit virtutem humanam rectè tenere medium rectius, & rectissimè, quantum possibile est tali naturæ, sed hoc ex habitu fortitudinis*; ergo ex Scoto, datur illa virtus, & talis est ejus natura. Et infra dicit, [2] fortitudinem inclinare, & perficere *voluntatem quoad appetitum irascibilem circa non primò appetibilia*. Idem habet in Reportatis.

Prob. 2. tum quia ubique laudatur in Scriptura, & Deo ipsi tribuitur. [3] *Mea est fortitudo*. Et à Deo dari dicitur, [4] *Oculi Domini præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum*. Et Stephanus laudatur de plenitudine fortitudinis, & dicitur [5] *plenus gratia, & fortitudine*.

Confir. ex omnium Theologorum, & Philosophorum consensu, qui hanc virtutem commendant; & quia habet omnes conditiones verę virtutis, ut patebit.

Prob. 2. p. Nam sic explicatur sufficienter natura ejus secundum genus, & differentiam suam. Dicitur *habitus electivus*, quod habet locum generis. 2. *inclinans ad firmiter sustinenda, aut aggredienda difficilia ex motivo propriæ honestatis*, quod habet locum propriæ differentiæ; ergo, &c.

Confir. quia hæc descriptio convenit cum aliis, quæ à Theologis, & Philosophis dantur de illa; sed illæ aliæ approbantur, ut bonæ; ergo & ista. Prob. maj. Nam à Philos. [6] dicitur *mediocritas in audendo, & metuendo*: Et à Cicerone [7] *considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio*. Et ab August. *affectio, qua omnia incommoda, & damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus*. Et alibi approbat descriptionem Aristotelicam.

Dixi, *ob honestatem illius propriam*, nam qui aggrederetur, aut ferret dura ex motivo honestatis temperantiæ, vel justitiæ, ne sc. peccaret contra illas, aut

[1] 3. d. 34. 31. [2] *Ibid. F. 9.* [3] *Pro. 1.* [4] 2. *Paral. 16.* [5] *Act. 6.* [6] 3. *Ethic. 9.* [7] 2. *Invent.*

aut ut attingeret finem illarum, faceret actus temperantiæ, aut justitiæ; ergo fortitudo, ut est virtus specialis, sustinet, aut repellit ardua ex motivo propriæ honestatis, quæ relucet in suis actibus secundum se præcisè consideratis.

Objic.1.con.1.p. Fortitudo est in homine, imò & in brutis à natura: nam sine habitu acquisito homines sunt animosi ad subeunda pericula gravia; ergo fortitudo non est virtus moralis propriè.

Resp. dist. ant. & rationem ejus, fortitudo impropria, con. fortitudo virtus, & propria, neg. ant. Nam hæc acquiritur per actus aggressionis, aut tolerantiæ elicitos ex dictamine rationis, non ex instinctu naturæ, ut faciunt bruta, & homines inconsideratè, & temerè, & sine electione.

Objic.2. Fortitudo inclinat ad malum; nam impellit ad labores, & pericula, & ad mortes, quæ sunt mala vitæ humanæ; ergo non est virtus.

Resp. dist. ant. Ad mala physica propter honestatem, quæ relucet in eorum tolerantia, con. ad mala ut mala, neg. ant. & conf. *Pati tormenta non est optabile*, inquit Seneca, [1] *sed fortiter pati in hoc est virtus .... Tormenta à me abesse velim; sed si sustinenda fuerint, ut me in illis fortiter, honestè, animoseque geram optabo*, fortitudo ergo formaliter consistit in ferendis malis ex motivo honestatis.

Objic.1.con.2.p. Omnis virtus inclinat ad repellenda mala contraria fini suo; ergo vel hæc definitio non satis explicat naturam fortitudinis, vel hæc non est virtus specialis. Prob. ant. castitas inclinat ad tolleranda incommoda, & vincenda impedimenta, quæ imminent contra finem suum: idem est de justitia: v. g. judex non debet corrumpi ex metu mortis in suis judiciis; ergo, &c.

Resp. dist. ant. In propria materia, & ex proprio fine, & objecto formali, con. ex fine fortitudinis, & objecto ejus formali, neg. ant. & conf. prob. Nam fortitudo respicit terribilia, ut moderetur audaciam, & metum circa illa conformiter ad dictamen rectæ rationis, ut actus ejus sint honesti, & laudabiles: in materia autem castitatis, aut justitiæ respicit ea, ut impedimenta virtutum earumdem, & ex earum motivo illa contemnit, & repellit. Ideo sit

[1] *Ep.*65.

CON-

CONCLUSIO II.

F*Ortitudo est virtus specialis, & ab aliis distincta, inclinans ad terribilia toleranda, aut repellenda ex motivo honestatis hujusmodi tolerantiæ, aut repulsæ.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui supponit, posse haberi temperantiam sine fortitudine. Nam *habens temperantiam, & non fortitudinem non firmatur circa terribilia sustinenda; ergo si præsententur terribilia, puta, vel quòd fornicetur, vel sustineat mortem, potest obliquari circa terribilia*, &c. ergo censet, fortitudinem esse virtutem distinctam ab aliis.

Prob. 2. ex Script. in qua numeratur fortitudo cum aliis, ut specialis, & distincta, ut cùm dicit sapiens: [2] *si ergo justitiam* (id. perfectionem) *quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes, sobrietatem, & prudentiam, & justitiam & virtutem*, id. fortitudinem, inquit Glossa interlin. Item laudat sæpè hanc virtutem in heroibus, ut in Josue, Gedeone, Samsone, Machabæis, & Martyribus; & hanc inter cæteras eorum virtutes; ergo hæc est virtus distincta.

Prob. 3. Nam fortitudo habet objectum materiale, & formale diversum ab aliis; ergo & ipsa est ab aliis diversa. ant. prob. ex dicendis de objecto ejus.

Objic. 1. Fortitudo requiritur in omni virtute, nec potest assignari actus ullus ejus, qui non sit in materia unius ex aliis, v.g. charitatis, aut fidei, aut temperantiæ, &c. ergo non est virtus specialis. Prob. ant. nulla est virtus, quæ non velit pati, aut repellere mala sibi opposita potiùs, quàm peccare in sua materia; ergo fortitudo est in omni virtute.

Resp. neg. conf. Nam ex antecedente sequitur tantùm necessaria ejus connexio cum aliis, non autem identitas, ut dictum est de prudentia.

Resp. 2. neg. 2. p. ant. Nam proprium materiale objectum, & formale fidei est veritas, ut revelata, cum obligatione credendi, & confitendi, non obstante quovis periculo, vel difficultate. Idem est de aliis. Objectum verò fortitudinis sunt pericula illa, & actus ea ferendi, aut repellendi ex illorum honestate: Et sic singulæ virtutes habent munus suum in sua specie, & or-

[1] *3.d.36.n.2.* [2] *Sap.8.*

ordine diversum, sicut & actus suos proprios.

Inst. In omnibus illis actibus spectatur unica honestas; ergo & unica virtus. Prob. ant. in periculis fidei confitendæ honestas ejus obligat ad illa subeunda. Ita est de castitate, charitate, &c. ergo &c.

Resp. neg. 1. ant, & dist. 2. Si sola honestas solius fidei spectetur, sola obligat de facto, con. si proponatur honestas, & motivum fortitudinis, aut simul cum motivo fidei, aut seorsim, neg. ant. & conf. Nam qui sibi in martyrio proponeret solam honestatem fortitudinis, nihil cogitando de fide, haberet actum solius fortitudinis, nec in eum influeret fides, nisi materialiter; si verò respiceret, & moveretur ab honestate utriusque, actus ille participaret de utraque virtute.

Inst. 2. Numquam potest exerceri fortitudo, nisi in materia alicujus ex aliis virtutibus; at illarum habitus sufficit ad actus illos; ergo frustra ponitur hæc ut distincta.

Resp. 1. neg. conf. Nam licèt objecta materialia confundantur, sufficit ad distinctionem habituum, quòd formalia diversa sint, & influant in actus illos.

Resp. 2. dist. ant. fortitudo in agendo, transeat, fortitudo in patiendo, neg. ant. Nam patientia, quæ est principalior pars fortitudinis, potest exerceri in materiis indifferentibus, v. g. in morbis: activa autem debet exerceri in materia licita, vel imperata, & sic in materia alicujus virtutis.

Resp. 3. neg. conf. Nam, ut diximus, licèt objecta materialia confundantur, sufficit distinctio objectorum formalium.

CONCLUSIO III.

Vera fortitudo consistit vel in moderando metu, & audacia, ne ille in malis fugiendis torpeat, vel turbet mentem, aut frangat animum, & ne ista temerè, & supra vires audeat, vel agat.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Nam sicut concupiscibilis indiget moderari* (per temperantiam) *circa ea, quæ sunt nata primò appeti, ne inordinatè appetat illa, sed secundum moderamen rectæ rationis; ita etiam irascibi-*

[1] 3. d. 34. G. 11.

bilis indiget moderari per habitum (fortitudinis) *ne immoderatè velit propellere offendens, vel ulcisci de illo; sed moderatè velit propellere propellenda, & non propellere non propellenda*. Idem docet in Reportatis; ergo ex Scoto, [1] fortitudo consistit in mediocritate ordinanda in appetitu irascibili, ut moderatè se gerat inter timorem, & audaciam, &c.

Prob 2. ex Script. quæ aliquando metum suadet, aliquando improbat; ergo servanda est mediocritas in metu, & audacia, ne ille sit nimius, nec ista imprudens; ne ille torporem inducat, cùm repellenda sunt mala, nec illa effervescat, quando toleranda sunt. Prob. ant. Nam Deus dicit, [2] *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, sc. prohibet timorem hominum, & præcipit timorem Dei, *Timete eum, qui potest perdere & animam, & corpus*, &c. aliquando fugere suadet persecutores, *Cùm persequentur vos in una civitate, fugite in aliam*; & de facto Petrus educitur ex vinculis, & carcere ab Angelo. Paulus fugit, & per muros Damasci [3] *dimittitur in sporta*, ne caderet in manus Præpositi Aretæ Regis: & Christus ipse aliquando fugit volentes lapidare: & instante passione *cœpit pavere*. Aliquando è contra excitat ad pugnam. [4] *Audi Israel: vos hodie contra inimicos vestros pugnam committetis; non pertimescat cor vestrum*. Et Christus arguit discipulos, *Quid timidi estis modicæ fidei*? ergo, &c.

Confir. ex Philos. [5] *Qui quæ oportet, & cujus gratia, & quando, & ut convenit sustinet, ac metuit, & audet, is fortis est.... sunt quædam, quæ metuere honestum sit, non metuere turpe*; ergo in metu servare debet fortitudo mediocritatem.

Prob. 3. Multi definiunt fortitudinem, quòd inclinet ad mediocritatem inter timorem, & audaciam. *Fortitudo*, inquit Philos. *Est mediocritas circa metum, & audaciam*; ergo essentia fortitudinis consistit in ea mediocritate, sc. inter ignaviam, seu dejectionem animi, seu mœrorem, cùm ingruunt mala repellenda, & temeritatem in aggrediendo, ut repellantur, quæ sustinenda sunt, vel cùm supra vires nostras est eorum depulsio.

QUÆ-

[1] *Ibid. n. 6.* [2] *Matth. 10.* [3] *Act. 17.*
[4] *Deuter. 1.* [5] *4. Ethic. 9.*

QUÆSTIO II.

De objecto fortitudinis moralis.

Eodem modo agemus de objecto hujus virtutis, sicut egimus de aliis, sc. de materiali remoto, & proximo, & de formali.

CONCLUSIO I.

Objectum materiale remotum fortitudinis sunt omnia mala gravia, quæ imminent homini.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Circa terribilia convenit virtutem humanam rectè tenere medium: Igitur rectius, & rectissimè, quantum possibile est tali naturæ: sed hoc ex habitu fortitudinis*; ergo fortitudo respicit terribilia pro objecto materiali, ex Scoto.

Prob. 2. ex Script. & Patribus: nam quoties fit mentio de fortitudine, semper respiciuntur mala, circa quæ monemur moderari timorem, & audaciam. [2] *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus*, &c. [3] *Timete eum, qui potest perdere animam*, &c. Et August. describit fortitudinem, quòd sit *considerata periculorum susceptio, & malorum perpessio*. Et ex Ambrosio, *Fortis est, qui se in dolore aliquo consolatur*, &c. ergo fortitudo respicit mala gravia.

Confir. ex Philos. cit. *Quamvis circa terribilia, & audenda fortitudo sit; non tamen pariter circa utraque versatur, sed magis circa illa, quæ nos terrent*, &c.

Prob. 3. ex dictis de aliis virtutibus. Objectum materiale virtutis sunt res, circa quas versantur actus ejus; sed actus fortitudinis versantur circa mala gravia imminentia; ergo &c. maj. & min. patent ex dictis.

Objic. Nulla virtus respicit malum, sed bonum virtuosi; ergo fortitudo virtus non respicit mala. Prob. ant. virtus tendit non in destructionem, sed conservationem habentis; ergo, &c.

Resp. dist. ant. malum ut prosequatur, con. ut vitetur, aut ne noceat, sed prosit, neg. ant. & conseq. prob. Nam fortitudo respicit terribilia, ut propellat, & vitet, aut ut meritoriè, & in salutem sustineat; in utroque bonum est.

CON-

[1] *Ibid. n. 2.* [2] *Luc. 12.* [3] *Matth. 10.*

CONCLUSIO II.

O*Bjectum materiale proximum fortitudinis sunt actus moderativi timoris, & audaciæ circa terribilia; formale verò est honestas, quæ apprehenditur in illis actibus.*

Prob.1. ex Scoto [1] cit. dicit enim, *fortitudinem moderari appetitum irascibilem, ne immoderatè velit propellere offendens, & ulcisci de illo*, &c. ergo ex Scoto, virtus hæc versatur circa actus audaciæ, & timoris, ut sint moderati; & honestas illius moderationis est ratio formalis, sub qua respicit illos actus, qui sunt objecta ejus proxima.

Prob.1.p.ex dictis de aliis. Objectum materiale proximum virtutis, & omnis habitus practici sunt omnes actus per illum dirigendi, & eliciendi; sed actus audendi, & timendi circa terribilia diriguntur, & eliciuntur ab habitu fortitudinis; ergo sunt objectum ejus proximum.

Prob.2. p. Objectum formale habitus est ratio, sub qua tendit in actus suos, seu in objectum materiale; sed in fortitudine hæc ratio est honestas actuum timendi, & audendi circa terribilia; ergo hæc honestas est objectum ejus formale.

Confir. quia nihil potest rationabilius assignari, & per illam rationem sufficienter constituitur fortitudo virtus, ut ab aliis distincta; nam id soli huic virtuti est proprium, nec ullus alius habitus sic respicit illos actus; ergo, &c.

Colligis 1. quòd aggressio arduorum in materiis præceptis est verum objectum fortitudinis. Ideo laudabiliter ex fortitudine supernaturali heroica se exponebant Apostoli rabiei Tyrannorum, ut oves ante lupos, juxta præceptum Christi, [2] *Ego mitto vos, sicut oves inter lupos.* Sic David instinctu divino insurgit contra Goliat: sic milites exponunt se mortibus in bello pro tuenda patria: sic Judas Machabæus dicit: *Pugnabimus pro animabus nostris, & legibus ... vos ne timueritis eos*, &c.

Colligis 2. quòd omnia gravia, quæ solent terrere, perturbare, aut frangere animos, sunt materia hujus vir-

[1] *Ibid.* [2] 1. *Machab.* 3.

virtutis, & maximè patientiæ, quæ eſt nobilior pars ejus.

Colligis 3. mala famæ oppoſita eſſe gravia, & materiam patientiæ potiùs, quàm audaciæ; quia non timere infamiam eſt quædam impudentia, ſed eam tolerare eſt difficillimum. Nam inquit Sapiens: [1] *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis ejus*. Et Siracides: [2] *A tribus timuit cor meum, delaturam civitatis, collectionem populi, & calumniam mendacem: ſuper mortem omnia gravia ſunt*; ergo materia ſummæ fortitudinis, ac patientiæ.

Colligis 4. paupertatem eſſe materiam ejuſdem virtutis; eſt enim graviſſimum malum, quo homo fit odioſus ſibi, & aliis. *Omnes dies pauperis mali, & fratres hominis pauperis oderunt eum, & amici procul receſſerunt ab eo*. Uno verbo, fortitudo reſpicit ea omnia mala ferenda, & repellenda, quæ excludunt bona, quibus rectè poſſumus uti, divitiis, honoribus, vita, ſanitate, libertate, &c. Ideo ad fortitudinem ſpectat mala oppoſita ferre per patientiam, aut repellere per audaciam. E contra quia non poſſumus licitè, nec honeſtè uti voluptate fornicationis, vel adulterii, ita nec fortitudo eſt quærere carentiam ejus.

Denique colligis, quòd nec duellum, quod pro tuitione honoris, aut alia ex cauſa ſuſcipitur, nec torneamenta, nec haſtiludia, nec gladiatoria, nec pugna cum beſtiis ſunt materia veræ fortitudinis, quia nullum eorum licitum eſt per leges Canonicas, aut civiles, nec per rectam rationem; imò prohibentur, maximè duellum.

Igitur virtus fortitudinis conſiſtit in prædictis, & aliis malis ferendis, aut vitandis, & repellendis, quando dictat recta ratio, & cùm ſiſtitur in illa bonitate hujus tolerantiæ, vel repulſæ ſunt actus veræ, & ſolius fortitudinis; ſi verò hæc fiant intuitu alterius boni, v. g. ad propugnandam fidem, aut tuendam caſtitatem, pertinebunt ad iſtas virtutes.

QUÆ-

[1] *Eccl.7.* [2] *Eccl.26.* [3] *Pro.15. & 19.*

QUÆSTIO III.

De partibus fortitudinis, & vitiis oppositis.

JAm diximus, principalem, & proprium actum fortitudinis consistere in velle servare decorem externum, & internum in magnis periculis, & præcipuè in periculis mortis, non plus appetendo, vel contemnendo, vel fugiendo, quàm dictet ratio. Ideo tota versatur in moderandis motibus timoris, & audaciæ, & tristitiæ tam internæ, quàm externæ, ne sc. indecorè se gerat homo in his occasionibus per motus, gestus, verba, &c.

Hæc fortitudo elucet in martyribus, nec enim major est fortitudo, quàm quæ exponit hominem morti certæ, & crudeli sine motu tristitiæ, aut vindictæ, sed quia id fit ex amore Dei, & motivo tuendæ fidei, pertinet principaliter ad fidem, & charitatem.

Igitur principales partes integrantes meræ fortitudinis sunt *pati*, *& audere*, *aggredi*, & *propulsare* mala imminentia. Partes autem subjectivæ sunt 1. *Magnanimitas*, quæ à magnitudine animi nominatur, & est virtus inclinans ad omne arduum, & magnum, prout est consentaneum viro magno, & generoso, ferendum, aut aggrediendum intra periculum mortis; hoc enim pertinet ad ipsam fortitudinem. Hæc autem opponitur *præsumptioni*, qua quis ex nimia confidentia supra vires audet; & *Ambitioni*, quæ est nimia honoris appetentia: Ambæ enim peccant contra *magnanimitatem* per excessum: eidem opponitur *pusillanimitas*, quæ est fuga magnorum operum, eò quòd homo putet se illis imparem.

2. *Magnificentia*, quæ est quædam pars *magnanimitatis*, est virtus inclinans ad aliqua externa magnis sumptibus efficienda. Hæc denotat moderatissimum affectum erga pecunias, quas magnifici gaudent in expensis resplendentibus insumere, quantùm recta ratio dictat. *Magnificentia virtus quædam circa pecunias existit, sed non ita, ut liberalitas, ad omnes res pecuniarias pertinet, sed ad sumptuosas solùm. In his liberalitatem excedit magnitudine; nam, ut ipsum nomen ostendit, in magnitudine decens sumptuositas est,* in-

inquit Arist. [1] Et à Cicerone [2] describitur, *Rerum magnarum, & excelsarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione cogitatio*. August. addit, *atque administratio*. Quidam eam ponunt sub justitia. Et re vera non videtur spectare ad fortitudinem, nisi prout inclinat ad magna, & ardua obeunda, aut ferenda.

Huic opponitur per defectum *parvificentia*, qua quis ex nimia angustia parvos sumptus magno operi insumit, v. g. magno palatio tectum stramineum. Per excessum verò eidem opponitur *profusio*, qua quis supra quam res exposcat, & supra quam decorum patiatur, auget expensas; ut ille mercator, qui ignem nutriebat Cinnamomo.

3. *Patientia*, quæ hìc non sumitur præcisè pro gravium malorum ferentia; sic enim est ipsa fortitudo, vel pars ejus integralis, aut actus ejus nobilior; sed ista versatur circa minora, v. g. circa mortes parentum, filiorum, amicorum, circa opprobria, & contemptus, & dicitur *virtus contumeliarum, & omnis adversitatis æquanimiter mala portans*. Ex SS. Gregorio, [3] & Bonaventura, [4] *Vera patientia est aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum, qui mala irrogat, nullo animi dolore moveri*. Ab aliis dicitur *dilatio vindictæ*. Certè de ratione virtutis moralis est moderari passiones, & contra illarum violentiam conservare modum tam internè, quàm externè in motibus appetituum, & membrorum. Hoc præstat *patientia* in malis præsentibus. De illa dicitur, [5] *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Et Sapiens, [6] *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium*. Nam defectu patientiæ turbatur animus in malis etiam levioribus.

Huic opponuntur *impatientia*, qua quis immoderatè tristatur in malis, & quidem per excessum; & *insensibilitas*, seu *indolentia* per defectum, quia nullis malis tangitur, aut movetur.

4. *Longanimitas* patientiæ affinis, vel appendix, estque longior patientia, & maximè elucet in toleranda æquanimiter molestia ex nimia rei desideratæ dilatione. Nam *spes, quæ differtur, affligit animam*.

Oc-

[1] 4. *Ethic*. 5. [2] *De Invent*. 83. q. 31. [3] *Hom*. 35. *in evan*. [4] 5. *p. cevil*. 43. [5] *Luc*. 2. [3] *Prov*. 16.

Occupatur ergo in moderandis motibus iræ, quam provocat illa dilatio in anima expectantis.

Huic opponuntur eadem vitia, quæ patientiam frangunt.

5. *Constantia* spectat ad fortitudinem, quatenus firmiter persistit in ferendis, aut aggrediendis malis arduis: sic Machabæi dicuntur *constantes corde*, & *constantes stare*, quia immobiliter resistebant impiis mandatis Antiochi. Sumitur etiam pro firmitate animi in bono agibili, ut cùm orabat Judith. [2] *Da mihi constantiam in animo, ut contemnam illum* (Holophernem.) Hoc sensu pertinet etiam ad alias virtutes, in quarum bono persistitur.

Huic opponitur per excessum *obstinatio*, quæ immobiliter, & contra rationem hæret in malo, & dicitur etiam *pertinacia*; & per defectum *levitas*, seu *mobilitas*, & *inconstantia*, quæ faciliùs dimovetur, & recedit à bono.

6. *Perseverantia* cum præcedenti confunditur à multis, estque continuatio in bono, & maximum Dei donum, si sit finalis; nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, & hæc pertinet ad fortitudinem, quatenùs in bono, & boni duratione facit, ut patiamur, quæ nos ab illo avertunt, & multa aggrediamur, ut repellamus obstacula, & perveniamus ad finem virtutis.

Huic opponuntur per defectum *mollities*, & per excessum *pertinacia*, quæ est irrationabilis, & inconsiderata continuatio in proposito sub falso prætextu bonitatis.

7. *Fiducia* est virtus, qua confidimus in propriis, vel alienis viribus ad vincendum, & sustinendum; & sic promptè, & incunctanter aggredimur ardua cum spe magna felicis exitus, & maximè innitimur auxilio divino. Sic David dicebat: [3] *Deus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*. Juvat etiam mundæ conscientiæ status; nam qui nihil habet, quod remordeat, vel timeat, securus graditur. [4] *Justus, quasi Leo confidens, absque timore erit*. Et, ut inquit Bernardus, *Nihil in hac vita securius, jucundius possidere*

[1] 1. *Mach.* 9. & 6. [2] *Judit.* 9. [3] *Ps.* 26. [4] *Prov.* 28.

sidetur bona conscientia: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, semper erit secum. Juvat denique sollicitudo, & cura prævidendi, & providendi, & præstandi omnia, quæ munus nostrum decent, & concernunt. Sine hac virtute vix aliquid boni aggredimur.

Huic opponitur per defectum *diffidentia*, & per excessum *temeritas*: propter *diffidentiam* nihil boni aggredimur, & per *temeritatem* omnia sine judicio, & imprudenter tentamus.

Principalia vitia, quæ magis directè opponuntur fortitudini sunt 1. *audacia*, quæ est quidam excessus in audendo; quia cum virtus hæc consistat in mediocritate in audendo, *audacia*, quæ non servat, sed excedit, & transgreditur illam mediocritatem, est vitium illi oppositum per excessum, est quædam *ferocia*. Nam, ait Philos. [1] *excedens in audendo ferox est*. Est autem *ferocia* vehemens fervor aggrediendi, qui parùm durat. Isti sunt jactatores ag bilium arduorum, qui apparenter ignem per nares emittere videntur, & volunt videri fortes, & intrepidi, sed citò tepescunt, & ab inceptis resiliunt, quia audent supra vires, & istæ deficiunt. Vera autem fortitudo, & verus fortis audet, & aggreditur *quæ oportet, cujus gratia, quando, & ut convenit; sustinet, & metuit, & audet*. Hæc non servat *ferox*, seu *audax*. Iste *videtur jactator quidem, & fortitudinis simulator; nam qualis est fortis circa terribilia, talis iste vult haberi*, ait Philosophus. [2]

Ideò monet Ambros. [3] *In omnibus, quæ agimus, non solùm quod honestum, sed etiam quod possibile sit quæramus, ne fortè aggrediamur quidquid non possumus exequi;* tales ausus vocat *temeritatem*. Monet etiam Sapiens, [4] *Cum audace ne eas in via, ne forte gravet mala sua in te*.

2. In alio extremo vitioso est *timiditas*, seu *ignavia*. *Qui enim timendo excedit, timidus est; nam & quæ non oportet, & ut non oportet, timet*, ait idem Philos.

Dicitur etiam *meticulositas*, atque *codardia*, quia per eam statim atque aliqua gravia incommoda imminent, animo linquitur, & timore perculsus abrumpit actio-

[1] 3. *Ethic.*9. [2] 4. *Ethic.*9. [3] 1. *offic.*27.
[4] *Eccl.*8.

actionem, & minimæ difficultati occurrenti succumbit.

3. Vitium est *stupiditas*, quæ est objectio omnis metus, & quam Philos. [1] vocat vitium innominatum. *Nam qui in non metuendo excedit, absque nomine est. Foret autem hic stupidus, & insanus, si neque terræ motus, neque fluctus pertimeat, ut de Celtis dicitur.* Nam ratio dictat, ut quæ timenda sunt, timeamus. Unde *si quis tonitrua, & fulmina non metuat, vel quidvis aliud horrendum super hominem fuerit, non est fortis, sed furens.* Isti (inquit August. [2]) *non fortitudinis excubiis, sed mentis sopore securiores sunt,* ut de Celtis narratur, qui oceano vicini turpe existimant parietem, aut domum corruentem fugere; inundatione autem externi maris adveniente armati occurrentes sustinent, donec obruantur undis, &c.

4. Est *mollities* vitium oppositum constantiæ, ac perseverantiæ in bono, à quo propter minima incommoda receditur; sicut mollia facillimè cedunt. *Circa dolores alter constans, alter mollis.* Vitium est effœminatum, inquit idem Philos. [3] delicati sunt, & molles, ut mulieres, nimirum dolorum impatientes. [5] *Audi hæc delicata, & habitans confidenter*, ait Isa. [4] Alii legunt, *Audi hæc mollis.* Dicitur autem mollis, qui recedit à bono propter tristitias causatas *ex defectu delectationum, quasi cedens debili moventi*, ait S. Tho. post Philos. [6]

[1] *Ibid.* [2] *De vit. be.t.* 3.
[3] 7. *Ethic.* 7. 10. [4] *Ibid.*
[5] *Isa.* 47. [6] 2. 2. q. 138. a. 1.

DISPUTATIO V.

De Temperantia virtute.

TEmperantia videtur corona, & veluti complementum aliarum virtutum moralium, quia earum motus videtur moderari, ne excedant: temperat ardores fortitudinis, ne ascendant ad furorem; zelum justitiæ, ne accendatur ad crudelitatem; sollicitudines prudentiæ, ne consilia sint tardiora, aut præcipitata. De hac virtute agendum restat pro coronide hujus tractatus.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit Temperantia.

TEmperantia, ut dicebamus, potest sumi pro quadam virtute generali, quæ moderatur omnes appetitus circa omnia appetibilia, & sic pertinet ad omnes virtutes, & respicit omnia illarum objecta. Nam ex vi vocis significat moderationem passionum circa res quaslibet, ne abeant in extrema defectus, vel excessus; imò & circa res ipsas, ut inter justos limites coerceantur. Sic calor, & frigus dicuntur temperata. Oratio dicitur temperata, si nec longior, nec brevior, nec mollior, nec acrior, aut durior, &c. Sed hic sumitur pro virtute speciali, quæ consistit in moderatione appetitus concupiscibilis circa concupiscibilia.

Concupiscibilia autem sumuntur 1. largè pro quovis bono, quod potest honestè, & propter se appeti; nam sub hac sola ratione bonum est objectum virtutis: & tales sunt deliciæ corporales, & spirituales, & honores ipsi. 2. magis propriè pro solis voluptatibus corporalibus, quæ pertinent ad *gustum*, ut cibus, & potus; ad *tactum*, ut delectationes venereæ, &c. Et quærimus, an detur virtus aliqua, quæ illa bona respiciat, & quid illa sit. An distincta ab aliis virtutibus moralibus.

CON-

CONCLUSIO.

D*Atur virtus temperantiæ, quæ est habitus inclinans voluntatem ad moderandum appetitum suum circa voluptates, & dolores, maximè sensuum gustus, & tactus.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui semper hanc reponit inter virtutes Cardinales addens, quòd *Prima concupiscibilia à natura rationabili sunt honor, & delectatio strictè sumpta. Igitur primæ species temperantiæ, quæ moderantur circa concupiscibilia, erunt duæ; quia quæ moderatur circa honores, dicitur humilitas: quæ circa voluptates, retinet nomen genericum temperantiæ, quæ moderatur ipsas voluptates.* Habes ergo ex Scoto existentiam, & essentiam hujus virtutis.

Prob. 2. ex communi Patrum, Theologorum, & Philosophorum consensu, qui de illa loquuntur, ut de eximia virtute, & quidditatem ejus explicant, ut cum dicit August. [2] post Ciceronem, *Temperantia est rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio.* Et alibi, [3] *Temperantiæ munus consistit in coercendis, sedandisque cupiditatibus, quæ nos à vita beata prohibent.*

Confir. ex Philos. [4] Temperantia est, *per quam ita ut lex imperat, domitæ cupiditates habentur, cui intemperantia adversatur.* Et Cicero, [5] *Est moderatrix omnium commotionum.* Hoc pertinet ad temperantiam generalem, & extenditur ad omnes virtutes. Et Plato, *Temperantiæ officium est nequaquam se prosternere libidinibus. Itaque iis convenit, qui corpus despiciunt*, &c.

Prob. denique ex omnium sensu. Per hanc virtutem intelligitur illa, quæ ad tales affectus moderandos inclinat, & per se honestū est eos sic moderari; ergo Temperantia in hoc consistit, & in hoc virtutis rationem habet, quòd est habitus inclinans ad moderandos appetitus circa delectabilia. Per hæc verba declaratur verum genus ejus, & vera differentia, &

[1] 3.*d*.34. *C.K. M.* 15. [2] 83.*qq*. 11. 1.*d*. *mor.*
[3] *Eccl*. 19. [4] 1. *Rhetor*. 9.
[5] 5. *Tuscul. Phædo.*

maximè cùm dicitur, *circa voluptates, & dolores, maximè sensuum.*

Objic. Omnes virtutes moderantur peculiaria vitia sensibilia in suis materiis; ergo ad hoc non est necessaria virtus specialis temperantiæ. Prob. ant. prudentia moderatur imprudentias carnales, justitia injustitias, &c. Denique singulæ habent suam mediocritatem; ergo & temperantia suam.

Resp. neg. utramque cons. Nam præter illas speciales mediocritates, quam singulæ virtutes præscribunt, & moderantur, dantur delectationes speciales in sensibus, quibus moderandis requiritur etiam specialis virtus temperantiæ, & maximè in cibo, & potu, & in venereis, ut patet ex dictis de virtutum istarum distinctione, & objectis sive in particulari de singulis, sive in communi, & magis patebit ex dicendis.

QUÆSTIO II.

De objecto Temperantiæ.

SUppono, voluptatem, delectationem, gaudium, lætitiam, jucunditatem, & similes voces esse synonymas, & idem significare sub diversis nominibus. Voluptas autem dicitur ab Arist. [1] *motus animæ quidam, & affectio tota simul, & sensibiliter in naturam proficiscens, cujus contrarium est dolor.* Et à Cicer. *Jucundus motus in sensu, vel elata preter modum lætitia opinione præsentis boni.* Dicitur *voluptas* à volitione, quia hanc maximè volumus. Dici etiam potest *passio animi consistens in commotione, jucunditate, vel delectatione suavi ex aliqua concupito præsenti in re, vel in spe, vel imaginatione.*

Porrò quædam voluptates sunt spirituales, quæ in sola anima percipiuntur, ut istæ; *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et istæ; *Videam voluptatem Domini*, & istæ non indigent temperantia, benè verò quæ ex scientiis, & cogitationibus, & desideriis percipiuntur, sed magis ordinariæ sunt corporales, quæ in sensibus resident, ut dicebamus, quæ percipiuntur in cibo, potu, & venereis per gustum, & tactum.

Rursus

[1] 1. Rhetor.

Rursus nomen *voluptatis* sumitur vel pro ipsa passione, quæ resultat ex præsentia, & possessione rei amatæ, vel pro ipso actu appetendi objectum, ex quo nascitur ista passio. His suppositis ad vitandam omnem æquivocationem.

CONCLUSIO I.

Objectum materiale remotum temperantiæ sunt res omnes concupiscibiles, ex quibus nascitur voluptas; proximum verò, totale, & adæquatum est omnis voluptas.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Temperantia versatur circa primò concupiscibilia... omnia primò concupiscibilia à natura rationali sunt objecta temperantiæ...* Unde *erunt duæ primæ species temperantiæ, quia quæ moderatur circa honores, dicitur humilitas, quæ circa voluptates, retinet nomen generis...* &, ut probet dari voluptates spirituales, addit; *Nec solum de voluptatibus sensitivis, quibus delectatur voluntas conjuncta, sed etiam de voluptatibus propriis ipsi voluntati, ut voluntas est; unde voluntas Angeli potest appetere bonum delectabile, licèt non habeat appetitum sensitivum*, &c. ergo ex Scoto, objectum materiale Temperantiæ est omne concupiscibile, &c.

Prob. 2. Temperantia consistit in moderatione appetitus, seu voluntatis circa omnes voluptates, quæ percipiuntur immoderatè, & contra dictamen rectæ rationis; ergo respicit mediatè res omnes, ex quibus resultare potest voluptas moderanda sive spiritalis, sive corporalis.

Prob. 2. p. ex Script. [2] quæ prohibet tam actus, quàm ipsas voluptates immoderatas, ut cùm dicit, *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam.* [3] *Attēdite vobis, ne forte graventur corda vestra crapula, et ebrietat:*; ergo actus edendi, & bibendi, & voluptates ex illis ortæ sunt objecta materialia proxima temperantiæ.

Prob. 2. Nam (ut diximus de aliis) illud est objectum proximum virtutis, in quod immediatè cadit formale, seu in quod inducitur immediatè rectitudo, & moderatio ejus, sed moderatio temperantiæ imme-

[1] *Ibid.* [2] *Eccle.37.* [3] *Luc.21.*

diatè inducitur in actus, & passiones ortas ex voluptatibus, v. g. in usum potus, & cibi, &c. ergo isti actus, & passiones sunt objectum materiale proximum temperantiæ.

Confir. Nam cùm D. Joannes improbat in mundo *concupiscentiam oculorum*, *& carnis*, Glossa explicat de omni curiositate, quæ est *in addiscendis artibus magicis*, *in contemplandis spectaculis*, &c. ergo censet in his desiderari moderationem temperantiæ. Sic Psaltes David, [1] *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*. Et in Euangelio, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*, &c. Idem est de excessu delectationum in aliis sensibus, v. g. in auditu, & lingua. [2] *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostium, et seras auribus tuis*. Et August. fatetur, [3] *Voluptates aurium tenacius me implicaverant, et subjugaverant, sed resolvisti, et liberasti me*.

Denique de voluptatibus spiritualibus dicit Philos. *Distinguendæ sunt voluptates animi, et corporis*. Et de intellectu dicit Apostolus, [4] *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, sc. temperanter. Item, [5] *Altiora te ne quæsieris*. Et [6] certè *scientia inflat*, &, ut loquitur August. [7] *Curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est... Reprimat ergo se anima ab hujusmodi vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo servare disposuit*; ergo Temperantia respicit omnes voluptates ut moderandas etiam spirituales.

Objic. I. Voluptas est passio nascens ex conjunctione potentiæ cum objecto amato, & possesso; sicut dolor nascitur ex conjunctione objecti noliti, sed passio non est objectum virtutis; ergo nec voluptas. Prob. min. objectum materiale virtutis est illud, in quod potest induci rectitudo; sed passio non potest rectificari; ergo &c. Prob. min. passio resultat independenter à voluntate, & ratione; est enim motus naturalis, & naturaliter resultat ex præsentia rei delectabilis ad potentiam, ita ut voluntas non possit impedire talem resultantiam; ergo &c.

Resp.

[1] *ps.* 118. [2] *Eccle.* 78. [3] 10. *confess.* 33.
[4] *Rom.* 32. [5] *Eccl.* 3.
[6] 2. *Cor.* 8. [7] 1. *mor. Eccle.* 21.

Respondeo neg. 1. & 2. min. & dist. ant. resultat in sensu, con. in voluntate, neg. ant. & conf. Nam temperantia non respicit voluptates externas sensuum, nisi remotè, & indirectè, sed internas voluntatis, & has debet moderari temperantia, removendo causas earum, sicut & externarum eo modo, quo dictat ratio, ut non excedant modum rationis.

Objicies 2. Voluptates, quas respicit temperantia, veniunt à concupiscentia, & ita; sed illæ non sunt in voluntate; ergo temperantia non respicit voluptates etiam internas. Prob. min. tales voluptates non sunt in Angelis, nec in anima separata, sicut nec concupiscentia, nec ira; ergo nec in voluntate nostra.

Respondeo neg. min. & dist. ant. Non sunt in Angelis, nec in anima Beata, con. saltem quoad actus, secundum se, & præcisè à statu beatitudinis, neg. ant. Nam illi peccaverunt ex luxuria spirituali, ut diximus, seu ex nimia voluptate, & amore ex complacentia sui. Ita esset de anima separata, si relinqueretur sibi ante beatificationem, aut damnationem.

Inst. Ex Philos. virtus moderatur partes irrationales, quæ nobis sunt communes cum brutis; ergo non respicit voluptates internas voluntatis, quæ homini rationali sunt propriæ.

Resp. 1. neg. cons. Nam licèt Arist. non agnoverit temperantiam in voluptatibus animæ, non sequitur, eam non dari, & nos aliter sentire debemus cum Scriptura, & Patribus.

Respondeo 2. neg. ant. Nam licèt sæpiùs loquatur de temperantia *irrationabilium partium*, ut de magis nota, non sequitur, quin admiserit spiritualem; ut cùm definit temperantiam, [1] *per quam ita ut lex præcipit, domitæ cupiditates habentur, cui intemperantia adversatur*; nam lex æquè præcipit modum in desideriis internis, saltem lex divina.

Objic. 3. Temperantia respicit etiam dolores, & tristitias; ergo non solas voluptates. Prob. ant. ex Philos. [2] *Circa dolores autem non ita, ut in fortitudine, propter tolerantiam dicitur temperans, & intemperans, quia non tolerat*; ergo &c.

Respondeo dist. ant. Respicit indirectè, & secundariò, & per accidens, con. directè, & per se, & immedia-

[1] 3. *Ethic.* 12. [2] 1. *Rhetor.*

tè, neg. ant. & conf. Nam addit Arist. quòd *intemperans dicitur, quia nisi voluptate potiatur, dolet magis, quàm oportet*; ergo primariò temperantia respicit voluptates directè, & per se, & quia eas nimis amat, nimis dolet de illarum absentia, & ideò dicitur intemperans; Temperans autem dicitur ex eo, quòd de absentia voluptatum non dolet, & quòd à præsentibus abstinet.

Igitur fateor, quòd dolor, & tristitia ingrediuntur aliquo modo objectum temperantiæ, sed indirectè, secundariò, & per accidens, sc. per respectum ad voluptates, quas respicit directè, immediatè, & per se, & quibus opponitur dolor ex illarum absentia.

CONCLUSIO II.

Objectum formale temperantiæ est mediocritas in delectabilibus ad præscriptum rectæ rationis. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] ubi dicit, quòd *primæ species temperantiæ moderantur circa concupiscibilia.... tot possunt esse species temperantiæ, quę moderatur ipsas voluptates, quot possunt esse voluptates distinctæ*; ergo moderatio voluptatum est ratio formalis, sub qua temperantia respicit objecta sua.

Prob. 2. ex Philos. [2] *Temperans circa hæc mediocriter se habet; nam neque iis oblectatur, quibus intemperans esse maximè consuevit, sed potiùs ægrè afficitur; neque omninò iis gaudet, quibus non oportet*; ergo formalis temperantia consistit in illa mediocritate, quam præscribit ratio circa voluptates. *Temperans non hujusmodi est, sed sicut ratio præscribit... Non afficitur temperans quapiam re magis, quàm decet, neque quando non decet.*

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit August. [3] *Munus temperantiæ est in coercendis, sedandisque cupiditatibus*. Et S. Prosper, [4] *Temperantia abstinere facit, parcum, sobrium, moderatum, pudicum. Virtus hæc si in animo adsit, libidines frenat*. Et Bernard. [5] *Temperantia est in resecandis superfluis; in admittendis necessariis.... est modus vitæ in omni verbo*,

[1] *Ibid.* [2] 3. *Ethic.n.*& 12. [3] *Ibid.*
[4] 3. *vita.con.*19. [5] 1.*consid.*

bo, & opere; ergo ex Patribus formalis temperantia consistit in moderatione cupiditatum.

Prob. denique ex dictis de aliis. De ratione virtutis moralis est inducere mediocritatem in passionibus, & motibus circa sua objecta; sed objecta temperantiæ sunt voluptates, & actus circa illas; ergo mediocritas circa modum, & usum voluptatum est objectum formale temperantiæ, min. patet ex dictis.

Objic. 1. Temperantia est realis; ergo & objectum ejus formale debet esse quid reale; sed mediocritas conformis rectæ rationi non est quid reale, sed ens rationis;ergo non est ratio formalis constitutiva temperantiæ. Prob. 1. conf. omnis habitus specificatur ab objecto suo formali, & ratio formalis constitutiva habitus realis debet esse realis; ergo &c.

Resp. dist. subs. est ens rationis realiter, con. ens fictum per intellectum, neg. subs. nam illa moderatio est effectivè, seu directivè à ratione, sed tamen est quid reale.

Objicies 2. Multæ voluptates non rectificantur per mediocritatem, quia non sunt capaces ejus; ergo illa mediocritas non est objectum formale temperantiæ. Prob. ant. in venereis non datur mediocritas, nec parvitas materiæ; ergo &c.

Respondeo neg. conf. Non enim est necessarium, ut possibilis sit in omnibus, sed tantùm in iis passionibus, & voluptatibus, quæ sunt ejus capaces.

Quæres, *in quo consistat illa mediocritas*; seu *quæ sint extrema temperantiæ*, *quæ ipsa debet moderari*.

Resp. non esse in omnibus idem medium. Nam in voluptatibus, quæ ex objecto malæ sunt, non potest peccari deficiendo, in illis minimus actus est intemperantia, & inhonestas, ut in venereis. In solis indifferentibus, aut licitis admittitur medium inter excessum, & defectum, v.g. in gustu quoad cibos, & potus peccatur per defectum, si non comedatur, cùm naturæ necessitas urget, & per excessum, si superfluè comedatur. Quod magis patebit ex dicendis de vitiis oppositis.

QUÆSTIO III.

De actibus, & partibus temperantiæ virtutis, & de vitiis oppositis.

QUærimus de actibus propriis hujus virtutis tam elicitis, quàm imperatis; nam certum est, quòd actus communes pertinent ad temperantiam generalem omnium virtutum, proprii autem, qui specificantur ab objectis singularum specierum temperantiæ, de quibus hìc agimus, nam singulæ habent sua objecta partialia, & specifica: v. g. *studiositas*, *castitas*, *abstinentia*, *jejunium* sunt diversæ species temperantiæ circa diversas materias, & actus: nec de his est difficultas.

Actus temperantiæ sunt illi, quibus moderamur voluptates omnes sensibiles, & spirituales. Alii dicuntur *eliciti*, qui procedunt immediatè à voluntate informata habitu temperantiæ (idem est de aliis) sive sistant immanenter in ipsa voluntate; nisi complaceat ultra modum in voluptatibus; sive extendantur ad alios actus externos, quos imperant ex directione rationis. Alii dicuntur *imperati*, qui sic imperantur à voluntate ad moderandos affectus circa easdem voluptates, sive sint externi, ut sunt actus gustus, & tactus, & similes, qui bonitatem non habent ex se, sed ab internis imperantibus, sive etiam sint interni, ut cùm voluntas imperat sibimet talem moderationem.

Partes integrantes sunt illæ, quæ disponunt hominem ad eam acquirendam, aut conservandam, & sine quibus perfecta non est, ut sunt *verecundia*, & *honestas*. 1. observat moderationem in gestu, & verbo, & describitur *timor, seu dolor probri ex consideratione facti probrosi*; nam fugit probrosa, seu turpia, & probrum ipsum. Quippe temperantia affectat quendam decorem in actibus suis, sicut vitia illi opposita habent specialem turpitudinem. *Honestas* inquit S. Thomas, [1] *est quædam spiritualis pulchritudo, cui opponitur turpe .... ideò ad temperantiam specialiter pertinere videtur, quæ id, quod est homini turpissimum, & indecentissimum, repellit, sc. brutales voluptates ... sic hone-*

[1] 2.2. q. 144. a. 4.

honestas, prout speciali quadam ratione temperantiæ attribuitur, ponitur pars ejus, non quidem subjectiva, vel sicut virtus adjuncta, sed pars integralis ipsius, sicut quædam ejus conditio.

Partes subjectivę communiter distinguuntur penes diversa objecta, circa quæ versatur temperantia, ut in eorum appetitu, & usu servetur mediocritas: & quidam illas numerant 25. alii pauciores, quia illas tantùm considerant; quæ versantur circa voluptates tactus, & gustus. Principaliores autem sunt

1. *Studiositas*, quæ respicit voluptates spirituales animæ, & est ea virtus, quæ inclinat ad moderandum appetitum scientiarum, & delectationem in illis, ut se nec nimio ardore, nec nimio neglectu ad eas feramur. Nam, inquit Scotus, [1] *Potest aliquis esse intemperans circa speculabilia, puta, si voluntas ejus delectatur in hoc, voluntas ejus summè speculatur intelligibilia, quorum speculatio non est multum utilis secundum se, hæc delectatio est immoderata, & moderanda.*

Studiosus ex August. dicitur, [2] *qui ea, quæ ad se pertinent, requirit, quæ ad nutriendum animum, ornandumque pertinent.* Studiositas ergo hunc apetitum, & studium moderatur, ne sit nimium, aut neglectum. Excessum damnat Scriptura, [3] *Nec plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas.* Et Apostolus; *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

Hic excessus, seu vitium dicitur *curiositas*, quæ est nimia aviditas sciendi tum intensivè, tum extensivè, vana, aut superflua, & prohibetur, cùm dicitur, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quæ præcepit tibi Deus, hæc cogita semper.*

Alterum extremum vitium in defectu est *ignorantia crassa*, seu *affectata*, ex negligentia discendi ea, quæ ad salutem, & statum nostrum necessaria sunt. [4] *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Et, [5] *Quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Et, [6] *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Item, [7] *Ubi*

[1] *Ibid.* [2] *De utili. cred.* 7.
[3] *Eccle.* 7. [4] *Ps.* 35. [5] *Baruch.* 9.
[6] *Ose.* 4. [7] *Prov.* 19.

Ubi non est scientia, non est bonum. Denique, *Ignorans ignorabitur.*

2. *Philautia*, seu amor sui moderatus est virtus temperantiæ: quoad hanc moderationem huic opponitur per excessum vitium, quod magis communiter dicitur *Philautia*, seu amor sui nimius, quem Scotus vocat in Angelo *luxuriam spiritualem.* Et cum Augustino dicit, quòd *duo amores fecerunt duas civitates; amor Dei usque ad contemptum sui civitatem Dei; amor sui usque ad contemptum Dei civitatem diaboli.* Est ergo hæc *Philautia* immoderatus sui amor; nam, inquit Phil. [1] *Non frustra quisque ad semetipsum amicitiam habet; est verò id naturale; sed amator sui non reprehenditur, quia se amet, sed quia magis se amat, quàm oportet*, &c. non ergo omnis *Philautia* est intemperans, nec vitium, sed nimietas ejus opponitur huic virtuti.

De hoc vitio dicit Apostolus [2] *Radix omnium malorum cupiditas:* quippe [3] *Erunt homines seipsos amantes, cupidi*, &c. hi nimirum *quærunt quæ sua sunt, non quæ I. C.* unde inquit Chrysost. in priorem textum; *Ex hoc sui amore omne malum nascitur. Ex eo elatio nascitur, ex elatione superbia, cujus proles blasphemia est*, &c.

Eidem opponitur per defectum *odium sui*, quod licèt rarum sit, tamen aliquando inficit animam: inde sequitur nimius neglectus animæ nostræ, imò & corporis. Rarum, inquam, & si qui tales sunt, non videntur homines, & est tam rarum, quàm oppositum frequens est. [4] *Deficientes voluptatibus, aut minùs gaudentes, quàm oportet, vix reperiuntur; non enim est summa ejusmodi insensibilitas; sed si est, quem nihil delectat, nec quidquam proponat, longè hic ab homine est, nec nomen sortitus est, quia non facilè reperitur.* Quod etiam docuit Apostolus. [5] *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed eam nutrit, & fovet.*

3. Species est *humilitas*, quam 1. loco ponit Scotus; & *moderatur appetitum circa honores.* Celeberrima hæc est inter virtutes christianas: Dico, *christianas*, quippe quam Ethnici philosophi non putantur novis-

[1] 2 *polit* 5. [2] 1. *Tim* 6. [3] 2. *Tim* 3.
[4] 3. *Ethic.* 14. [5] *Ephes.* 5.

novisse. *In nullis alienigenarum libris est*, ait August. *Est virtus, qua ex intuitu propriæ conditionis, vel fragilitatis voluntaria mentis inclinatio cohibet passiones spei, & audaciæ, ne velimus ullo modo nobis quidquam tribui ultra id, quod nobis congruit in gradu nostro*, ait S. Bonaventura: unde non fugit honorem debitum, sicut non quærit indebitum.

Est ergo humilitas medium servans inter *superbiam*, quæ est extremum in excessu, & *pusillanimitatem*; quæ est aliud extremum in defectu. Deus quidem *superbis resistit, & humilibus dat gratiam*. Sed pusillanimitatem non amat; nam monet, *Ne des alienis honorem tuum*; & vult omnibus reddi honorem debitum, *Cui honorem honorem*, & non vult nos contemni, & maximè Sacerdotes, & Prælatos, quibus dicit, *Nemo vos contemnat*.

De humilitatis natura, gradibus, & excellentia, & necessitate pleni sunt libri Scripturæ, Patrum, Asceticorum, & Concionatorum; illos consule; humilitatis actus sunt 1. *contemptus sui*, quo quis seipsum, & sua parvifacit. 2. dum se Dei donis, & hominum æstimatione reputat indignum. 3. fuga honoris, & laudis propriæ, dum omnia Deo tribuit 4. verus humilis amat contemni quoad personam, non quoad officium, vel dignitatem, si aliquam habet. 5. ægrè fert honores, & laudes proprias 6. dum se aliis comparat, nemini se præfert, sed omnibus se postponit quoad personam. 7. Deo se offert ut vile mancipium, & creaturam ad omnem usum paratam. 8. in conversationibus infimum locum eligit juxta Euangelii præceptum. 9. in verbis mitis est, & parcus; in vestibus, & supellectilibus modestus; in consultationibus defert plus aliorum judicio, quàm proprio; nec quærit peritior videri, nec loquax, nec tenacior est suæ opinionis, &c.

Hinc facile patet de actibus vitiorum humilitati oppositorum. Vide citatos libros, nec opus est de illis plura hìc dicere.

4. *Abstinentia*, quæ est temperantia in cibis, sicut *sobrietas* in potu, dum in his servatur debita moderatio juxta rectæ rationis mensuram. Utramque commendat sapiens. [1] *Noli avidus esse in omni epula-*

[1] Eccle. 31.

pulatione, & non te effundas super omnem escam ... propter crapulam multi perierunt ... qui abstinens est, adjiciet vitam .... qui diligit epulas, in egestate erit ... qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur. Et Apostolus [1] vetat comessationes, & ebrietates, &c.

Igitur *abstinentia* est virtus inclinans ad mediocritatem servandam in cibo, & potu, ut non excedamus in quantitate, aut qualitate, vel tempore, ultra quàm natura, vel recta ratio petit; nec deficiamus ab his, quæ dictat esse necessaria.

Illi opponitur per excessum *gula*; quæ est irrationabilis appetitus ciborum sive in quantitate, sive in qualitate, sive in tempore. Nam in hoc vitio attenduntur *Quid*, id. res, quæ appetitur, seu substantia ciborum. 2. *quantum*, id. quantitas, ut non plus sumatur, vel appetatur, quàm decet. 3. *quando*, sc. ut non ante tempus, nec tardiùs, quàm natura pati potest. Et 4. *quomodo*, sc. ne ardentiùs, quàm decet, nec frigidè. Quæ in his peccant, hoc versu traduntur. *Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè*.

Actus principalis abstinentiæ est *jejunium*, quod sumitur generaliter pro omni abstinentia à cibis illicitis. 2. magis propriè pro omnimoda abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu, qualis requiritur ante sumptionem Eucharistiæ, & dicitur *jejunium naturale*. 3. communiter pro abstinentia à quibusdam cibis aliàs licitis, & à pluribus refectionibus in die, ita ut unica sumatur hora competenti, & dicitur *jejunium Ecclesiasticum*.

5. *Castitas*, & hæc largè sumpta significat puritatem animæ carentis omni amore illicito creaturæ: propriè autem est virtus inclinans ad mediocritatem servandam in venereis delectationibus, & triplex est. 1. *virginalis*, quæ consistit in munditie ab omni commixtione carnis suæ, & ab omni actu carnali, & venereo, & est perfectissima castitas corporalis; sed adhuc perfectior erit, si addatur spiritualis, seu mundities ab omni cogitatione, & desiderio carnis. Nam inquit Aug. [2] *Non solo tactu, sed affectu quoque, & aspectu appetitur, & appetit fœmina*. Et S. Hieron. in hæc verba Euangelii, [3] *Qui viderit mulierem*,

[1] *Rom.* 15. [2] *Ser.* 3. *vit. concler.* [3] *Ep. ad Eustoch.*

vem, &c. addit, *Perit ergo & mente virginitas. Istæ sunt virgines malæ, virgines carne, non spiritu.* 2. Castitas *conjugalis*, qua prohibetur in conjugibus non solùm coitus, & actus omnes carnales cum tertia persona; sed etiam excessus, & actus omnes inordinati inter ipsos conjuges.

3. Castitas *vidualis*, quæ dicitur etiam *continentia*, consistens in omni abstinentia ab omnibus actibus venereis post dissolutionem matrimonii, ut de Juditha legimus. [1] *Eò quòd castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris, ideò manus Domini confortavit*, &c.

Alia est *perfecta*, quæ non solùm ab illicitis delectationibus carnis abstinet, sed etiam à licitis: alia *imperfecta*, quæ solùm ab illicitis, sed ut moderatè licitis, seu indifferentibus utitur, si quæ sunt. Alia *perpetua*, quæ per totam vitam servatur; alia *ad tempus*.

Huic virtuti opponitur vitium luxuriæ, quod inclinat ad actus intemperatos carnis circa venerea.

Luxuriæ species sunt 1. *fornicatio*, quæ generaliter sumitur pro quovis actu consummatæ luxuriæ inter mares, & fœminas, sed *propria*, seu *simplex* est actus, seu coitus soluti cum soluta servato vase debito. 2. *stuprum* est oppressio virginis violatæ, nam si jam fuerit corrupta, non erit stuprum, sed simplex fornicatio. 3. *Raptus* est violenta abductio fœminæ ad explendam libidinem. 4. *Peccatum contra naturam* est actus luxuriæ consummatæ contra ordinem naturæ institutum ad generationem, ut pollutio, seu mollities, bestialitas, & sodomia. His adduntur *incestus*, *adulterium*, &c.

6. Affinis castitati est *continentia*, & est virtus, qua quis reprimit in se motus concupiscentiæ, quibus ad voluptates movetur. Illi assignantur tres gradus 1. in quo reprimuntur desideria futurorum. 2. in quo resistitur præsentibus. 3. quo removentur studiosè omnia voluptatum incentiva, & quæruntur omnia, quibus ingruentes reprimi possint.

Sæpè sumitur pro ipsa castitate perfecta, & affectu abstinendi ab omnibus venereis, etiam licitis, ut *cœlibes*, aut *viduæ*: sæpe pro illa virtute, quæ reprimit

[1] *Judith.* 15.

mit omnes motus concupiscentiæ carnalis contra rationem insurgentes; & sic est ipsa temperantia inadæquatè sumpta, quæ moderatur omnem affectum inordinatum ad venerea. Si verò moderetur, & refrænet omnes, & quoscumque motus cujusvis concupiscentiæ, in hoc sensu erit generalis temperantia.

Sic de illa loquitur S. Thomas, [1] prout distinguitur à temperantia, aut virginitate. Alii dicunt continentiam esse, per quam aliquis resistit concupiscentiis pravis, quæ in eo vehementes existunt .... hoc autem modo continentia habet aliquid de ratione virtutis, in quantùm sc. ratio firmata est contra passiones, ne ab eis seducatur; non tamen attingit ad perfectam rationem virtutis moralis, secundum quam etiam appetitus sensitivus subditur rationi sic, ut in eo non insurgant passiones vehementes, & contrariæ. Verum hæc acceptio virtutis est paulò strictior, nec mihi videtur convenire virtutibus viatorum, quę nunquam, aut rarissimè sunt ita pacatæ. Testis est D. Paulus, qui sentiebat legem repugnantem legi mentis suæ, & contra quam implorabat auxilium divinum.

Igitur continentia est virtus, & licèt non adeò perfecta, ut non patiatur graves pugnas contra concupiscentiæ motus, nihil interest, modò vincat.

Aliqua etiam continentia poni potest in aliis virtutibus, & circa alias passiones; de quo vide Cardinalem Lauream. [2]

Huic opponitur *intemperantia*, quæ est actus ex passione indomita, & efferata, & brutali in voluptate ex genere, seu ex objecto suo vituperabili, & quę honestari non potest. In hoc differt ab intemperantia, quæ peccat contra moderationem voluptatis ex objecto licitæ, & indifferentis. Uno verbo, hæc peccat solùm in excessu, illa verò in substantia. Nam incontinentia *non solùm fugiendorum est, sed vituperabilium* (ait Philos.) *incontinentia omnis aut immanis est, aut insana*. Et Glossa in hæc verba Apostoli, [3] *Incontinentes sunt*, addit, *non refrænando malas cupiditates*; vel *omni luxuriæ se exponentes*, ait Lyranus.

7. Eu-

[1] 2.2.q.15.a.1. [2] d.51.a.12.
[3] 1.Tim.3.

7. *Eutrapelia*, id. *bona conversatio*, sive *urbanitas* virtus inclinans ad dicta, aut facta jucunda, faceta, & jocosa, quibus recreatur animus, & hoc secundum mediocritatem; & temperatè juxta regulam rectæ rationis. De hac dicit Philos. [1] *Cùm sit in vita cessatio quædam à negotiis, & in ea cum jucunditate temporis transitio, videtur hæc quoque esse conversatio quædam conveniens, & qualia, aut quomodo dicere, audireque oportet ...... constat circa hoc esse excessum, aut defectum medii ... qui igitur alium magis, quàm oportet, movent, scurræ videntur esse, & onerosi sunt; nam risum secuti magis cogitant, quemadmodum movere possint, quàm quemadmodum honeste loquantur, ne quemquam offendant* (ecce extremum vitiosum in excessu in conversationibus) *Qui verò nec dicunt ipsi aliquid jucundum, nec alios dicere patiuntur, rudes, & agrestes videntur*. (ecce aliud extremum in defectu) *Enim verò qui cum moderatione jocatur, comis appellatur. Redundanti autem periculo, plerisque gaudentibus joco, & salibus magis, quàm oportet*, scurræ ... *nuncupantur*. *Medius autem habitus est* urbanitas. *Urbano autem convenit talia dicere, atque audire, qualia modesto ingenuo conveniunt*.

Habes descriptionem *Eutrapeliæ*, seu *urbanitatis* virtutis, & vitiorum illi oppositorum. Monuerim autem cum Augustino, [2] & SS. Canonibus, quòd hæc virtus, etiam cùm dicit non vera, non mentitur, ut notatur Cap. *Quod autem*; ubi dicitur de Ioseph loquente cum fratribus, quòd *quia non seriò, sed joco dictum est, ut exitus docuit non est habendum mendacium: mendacia enim seriò aguntur, non joco; cùm autem quæ non sunt, joco dicuntur, non deputantur mendacia*.

Nec tantùm in verbis facetis exercetur hæc virtus, sed etiam in factis. Sic Isaac [3] visus est jocans cum Rebecca; Sic David [4] & *omnis Israel ludebant coram Domino*, modò hæc fiant moderatè, ut recreetur animus fatigatus, ad hanc virtutem illa spectant. Et hæc pertinent ad temperantiam; quatenùs in his oblectamentis servatur modus, & vitantur excessus ruditatis, & scurrilitatis.

8. *Ma-*

[1] 4. *Ethic.* 9. [2] qq. *Gen.* 145.
[3] *Exo.* 15. [4] 2. *Reg.* 6.

8. *Modestia* generaliter sumitur pro quavis moderatione in omni re virtutis; *Modestus est, qui modum tenet in agendo*, ait Doctor [1] dicitur enim à tentione modi. Propriè est virtus inclinans ad modum servandum in verbis, & motibus externis; seu *quæ modum tenet in verbis, & factis*; ait Glossa. [2]

E cōtra *immodestia* est omnis loquendi, aut movendi membra modus, qui bonis moribus, juxta honestorum hominum judicium, difformis, & indecorus est: virtus autem, quæ loquendi, aut gesticulandi modos ad mediocritatem decentem reducit dicitur *Modestia*. Vox, inquit Ambros. [3] *Non sit remissa, non fracta, nihil femineum sonans.... sed formam quandam & regulam, ac succum virilem reservans. Et ut molliculum, infractum aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita nec agrestem, ac rusticum.*

9. *Mansuetudo* dicitur à *manu*, & *assuetione*; & significat ferocitatis depositionem; sicut feræ assuescunt ex manuum assuetione, & mitescunt. Propriè, & ut ad temperantiam spectat, est virtus, quæ moderatur impetum iræ juxta dictamen rectæ rationis. Seu, ex Philos. [4] *est mediocritas circa iram, ejusque medium, & extrema sunt absque nomine.*

Non abjicit omnem iræ motum, ut *mititas*, aut *lenitas*: nam *mites* etiam provocati non irascuntur, sc. ex naturæ lenitate, & humanitate, mansueti autem irascuntur, sed moderatè, & rationabiliter. De his dicit Scriptura, [5] quòd *hæreditabunt terram* .... Deus *salvos faciet omnes mansuetos terræ* .... Et, *Exaltabit mansuetos in salutem*. Et Christus dicitur, *quasi agnus mansuetus*.

Medium hujus virtutis est, ut homo irascatur pro rebus, ut oportet, & contra quos oportet, quando, & quandiù oportet. Extremum in excessu, cùm irascimur pro iis aut de quibus, aut quando, aut contra eos, & quandiù non oportet; denique irrationabiliter, & dicitur *iracundia*. In defectu verò, cùm silemus, aut dissimulamus, denique non irascimur, quibus, aut quando oporteret irasci, & dici potest *segnities*, aut *stoliditas*.

Differt

[1] 3. *d.* 34. *P.* [2] *ad Gal.* 5. *a.* 23. [3] 1. *offic.* 19.
[4] 4. *Ethic.* 12. [5] *Ps.* 36. 75. & 144.

Differt mansuetudo à clementia, quia illa respicit præcisè, & absolutè moderationem iræ, & convenit omnibus; hæc autem (*clementia*) moderatur iram quoad punitionem, & convenit illis solis, quorum est alios punire, ut sunt principes, & superiores.

10. Inter virtutes temperantiæ ponunt aliqui *ornatum*, & est virtus inclinans ad mediocritatem servandam in cultu exteriori juxta uniuscujusque conditionem, & statum. Huic per excessum opponitur *luxus*, & per defectum *sordities*: Nam inquit Hieron. [1] post aliquot Philosophos, *Vestes pullas æquè devita, ut candidas: ornatus, & sordes pari modo fugienda sunt. Non absque amictu lineo incedere, sed pretium vestium linearum non habere laudabile est*. Sc. æquè vituperantur excessus, & defectus; seu *luxus*, & *sordities* in ornatu. Sed maximè in luxuriam vestium invehuntur SS. Patres.

Hæc de virtutibus moralibus satis, pro instituto, ad D. Opt. Max. & B. M. & S. P. Fr. Gloriam, &c.

Finis Tertii Tomi.

[1] *Ad nepot.*